








IACOBI GORSCII PRAELECTIONVM PLOcensium Liber quintus.

SIVE.

De lapsu & restauratione, iustificationeq́ʒ hominis.

Opus nouum, solidum & elegans, in quo quàm falsò & impiè aduersarij in Iustificationis materia hallucinentur, clarè demonstratur.



COLONIAE.
Apud Maternum Cholinum.
ANNO M. D. LXXXIII.
Cum gratia & Priuileg. Caesar. Maiest.

IN QVINTVM LIBRVM PRAELECTIONVM PLOCENSIVM, IACOBI GORSCII, AD Reuerendiss. Dominum, D. Petrum Dunin de Volia, Episcopum Plocensem.

PRAEFATIO.



SOlonem illum, qui Athenienſibus leges dedit, Reuerendiſsime Pontifex, inter ceteras eam quoque ſcripſiſſe, quæ in diſſenſione, ſeditioneq; ciuili, eum qui neutram partem ſequeretur, infamem eſſe iubeat, omnes qui res geſtas antiquorum literis mandarũt, paſsim teſtantur: Non iudicabat enim Princeps ille ſapientiſsimus, virum bonum & vtilem ciuem eſſe, qui Repub. mutuis ſe vulneribus conficiente, nullam opem ei ferret, ociumq́ue priuatum ſaluti ciuitatis anteferret, ipſe etiam ſtatim cum Repub. ſaucia interiturus. Quamobrem vir prudentiſsimus, æ-

Lex Solonis Eccleſiæ reb. apta.

Ciuis bonus nõ eſt, qui ſtudio rerũ priuatarum Rẽpub. deſerit.

In cōmuni periculo oēs adesse oportere

quū esse iudicauit, vt oēs q in eodem periculo essent; tanq̄ ad cōmune incendiū accurrerent, flāmā nascentem restinguerent, Reipu. periclitanti, quisq; pro viribus suis auxilio esset, ac quisq; ei, q̄ meliorem iudicaret, parti se adiungeret, armaq; aduersus deteriorē caperet. Præclarum equidem Solonis cōsilium, præclara lex, quæ & bonis ciuibus, ac reip. ꝓpugnatoribus, meliorūq; partiū patronis honorem tribueret, & ignauos, q priuatā rem. & periculis plenū otiū, præferrēt, infamia notaret; vt qui vulneribus reip. non cōmouerentur, sua ipsorū infamia & præsenti supplicio, ad benè de rep. cogitandū excitarentur, neq; dum ad se nihil publica mala pertinere iudicarēt, suisq; voluptatibus ac numulis oblectarentur, casu reip. cuius salutem negligerent, obruerentur. Quis. n. priuatorū nō solū fortunas suas incolumes, rep. cui⁹ pars est ruēte, integras tueri, verū ēt vitā cōseruare poterit? Quod gen⁹ hoīū nō minor Atheniēsi Solone Cato Roman., in ea oratōie, qua ratiōes Cęsaris de cōiuratis seruādis refutauit, grauissimè rephēdit, ac stultitiā eorū, q suos hortos, suas piscinas, & cætera libidinis suę instrumēta, euersa rep. salua & integra fore putarent, miratur, cū tota rep. euersa, nulla pars eius nō interitura esset. Præclarè igitur Solō censuit, ac prudentissimè reip. q̄ legibus suis cōformauerat, prospexit. Cuius cōsiliū, si oēs q se Xp̄i

Consiliū Solonis in lege ferenda.

Priuatorum fortunæ sine repub. stare non possunt.

Salustius in Iugurtho.

Lex Solomonis in tuenda Eccleſia neglecta multa incõmoda cõ ſequuta.

alũnos profitentur, nomineq́; Chriſtiano glo riantur, in reip. Chriſtianæ diſſenſione, religi oniſq́; auitæ vulneribus, ſequuti fuiſſent, nũq̃ in eas calamitates, quas indies experimur, Eccleſia Catholica ciuitaſq́; Dei, quã ꝑ filiũ ſuũ Chriſtũ Ieſum erexerat, legibus ſalutarib. cõ formauerat, ita cõuulſa, ita dilacerata eſſet, vt dilaceratã videmus. Verũenimuero dũ Solonis lege neglecta, otio noſtro, commodis noſtris cõſulimus, nihilq́; noſtra, remp. Chriſti & Eccleſiã Catholicã ab aduerſarijs opprimi intereſſe iudicamus, eo ventũ eſt, vt nihil præ ter interitũ p̃ſentem expectemus. Nõ ceſſant aduerſarij, inuigilant cauſę ſuæ, cui nos arcto preſsi ſomno indormimus: coëunt aduerſus Eccleſiam Catholicã, cuius nos ignaui alumnos eſſe iactamus: nõ modo ſinguli hæretici, verũ ciuitates ac Prouinciæ, regnaq́. integra ſocia arma iungunt. Refer oculos in totã eam orbis partẽ, q̃ Septemtrioni ſubiecta, in qua Xp̃i Ieſu doctrina ſub maioribus noſtris florentiſsima erat, q̃ lucẽ Catholicæ fidei in oẽs reliquas orbis partes effundebat, nihil videbis, nihil audies, p̃ter vaſtitatẽ Eccleſiarũ, maiorũ inſtituti euerſa, cœremonias ꝓfligatas, blaſphemias, nõ in mẽbra ſolũ Xp̃i Ieſu ſanctos ei⁹; verũ etiã in ipſum Xp̃m: videbis pignora illa, q̃ Chriſtus Ieſus à nobis diſcedẽs in ſinu Eccleſiæ repoſuit, conculcari, & authorem ſalutis noſtræ cum ſuis donis irride-

Euangelicorum cõtẽtio.

Calamitates Eccleſiæ per Septẽtrionẽ.

ri,eiusq́; beneficiū explodi. Tantus improbo rū hominum cōtra Ecclesiam Catholicam, & caput eius sedem Apostolicā consensus est, vt cum in cæteris, quæ improbè fingunt, dogmatibus, nunquam consentiant, in oppugnāda Romana, hoc est, Catholica ecclesia, idem omnes & sentiant & conentur, atq; vel hoc maximè gloriētur, suasq́; doctrinas veras & consentientes asserant, quod in Rom. Pontifice oppugnando cōsentientes sint, & cū omnia dogmata quantumuis insania esse videāt, eo tamen furore excęcati, probent: verā & Catholicam religionem oppugnent & planè id facunt, q̄ p Tertullian⁹ gentiles facere solitos esse dicat, vt oēs deos vanos colerent, solū verum illum, qui cęlum & terram cōdiderit, & qui solus & vnus Deus sit, non solum nō reciperent, sed etiam grauiter persequerentur ac oppugnarent. Recipiunt isti omne dogma mendax, negant oppugnandum esse, quāuis apertè veritati aduersetur, modo Pontificem Romanum, hoc est, veritatis Christi Iesu custodem, oppugnet: oīa figmenta exosculātur solā Catholicam fidem explodunt, ac nullū apud se veritati locū relinquunt. Quod dum illi summa contentione conātur, nos, si Christo placet, Catholici, in vtramq; aurem dormimus, ruinamq́; præsentē Christi Ecclesiæ despicimus, opibus Ecclesię & pecunia paupe

In solo Pontifice oppugnādo Euangelici consentiūt.

In Apologia.

Romani oēs deos coluerūt præter verū.

Negligentia Catholicorū.

rum

rum abutimur, tota die Baccho, tota nocte Veneri parentamus, ac bona ecclesię libidini sacramus, non modo nos non iungimus parti illi meliori, q̃ aduersus hostem ecclesiæ arma sumpsit, ac in acie perpetuò pro ea stat, verũ etiam vt insanos, & ocio ingenioq; abutẽtes, reprehẽdimus ac ridemus: nullus honor, nullũ premium militibus & propugnatorib. Ecclesiæ Catholicę redditur, cõtumelia afficiũtur, negligũtur, ac indigni qui in ecclesias recipiãtur, iudicãtur. Quã contumeliã non oẽs perferũt: pleriq; arma Catholica exuũt, omne studiũ cõtentionis deponunt, contumeliã illã, non tã suã, q̃ ecclesię Catholicę, & Christi, intra priuatos parietes secũ mussitant, pleriq; etiam ad eos ipsos hostes cõtra quos steterãt, indignitate rerũ cõmoti, transeũt, & quos ingratos laboris sui expti sunt, oppugnãt: ignauiam eorũ ac luxum exagitant, flammæq; hæreticorũ oleum adfundunt: ingratus enim hĩc ociosorũ, & libidinoso ocio deditorũ animus, multos ab Ecclesia alienauit, multorum ardorem extinxit, ac planè à vinea Christi ex colenda reiecit. Quiquidem ꝙ se meliori parti adiunxerint, ꝙ arma pro veritate sumpserint, laudem merentur. Quod verò humanis premijs fraudati, Christi Iesu militiã abiurauerint, neq; p̃mia illa ęterna, q̃ filius Dei se parasse, coronasq; certãtib. pro se ꝓposuisse docet

Luxus ociosorum.

Neglecta virtus studiũ remittit.

Desertores castrorũ Catholicorum quid moliantur.

Catholico doctori non ab hominib. sed à Deo premia expectanda.

cẽt, expectent, magna reprehensione digni: mundꝰ non nisi mundũ diligit, similibus sibi premia largitur, Christus Iesus suos ad cœlestia & ęterna premia vocat; vt cũ istos delicatos, & mũdi huius alumnos, fluxis & caducis huius mũdi premijs ornauerit, beatosq́; vt sibi vidẽtur, hic reddiderit, nihil illis debere se ex illis æternis & cęlestibus demõstret, & exclusos ab hęreditate sua, ad huius mũdi principẽ cuius facta imitati essent, remittat. Quod ita se facturũ, diuitis & Lazari parabola, sceleratis Iudæis relata demõstrauit. Vt igitur isti ignaui, q̨ arma pro Ecclesia, otio & libidine mundi huius mancipati, non sumpserunt, ita & illi q̨ certamen ingressi ob negata premia, stationem suã deserunt, vituperandi. In qua statione si p̃stitissẽt, magna premia à Christo suo duce tulissent, ac pro caducis ęterna recepissent. Sed querelã & reprehensiones mitto, ad eã rem à qua exorsi sumus redeo, ac Solonis sapientiã veneror, q̨ in seditione ciuili, neminem otiosum, & à certamine seiunctũ vult esse, q̨ meliori parti se adiungere, deteriori q́; obsistere iubeat. Quod quidẽ cõsilium Solonis cùm vehementer probarẽ in ista rei Christianæ dissensione, quantumcunq; meę vires, quas infirmas sentio, ferre possent, ei parti q̃ patres sancti probauerunt, ac magnis viribus defenderunt, deesse nolui, & in ea permanere

Quæ præmia quibus dat Deus.

con

cōſtanter decreui, ac ea q̄ poſſem arma ferre aduerſus furorē aduerſariorū, indui, nec à ſtatione mea niſi Chriſto imꝑatore euocāte, decedere cōſtitui. Et quoniā videbā alias artes, alia arma, & aduerſus alios nobis dare, aduerſus Xp̄i hoſtes nulla, ad eā officinā me verti, q̄ arma ꝓ Xp̄o expolit, q̄ toraces veritatis cōficit, ac è pharetra Xp̄i, iacula cōtra oppugnatores veritatis depromit: nulla n. alia arma hęretici extimeſcūt, p̄ter hęc, quibus patres ſancti inſtructi Eccleſiā Catholicā tuebantur, ac inuicti ꝓ veritate Xp̄i in acie ꝑſtiterunt. Nihil ſibi iſti cū Philoſophis, nihil cū Sophiſtis negotij eſſe clamāt, hominū dogmata & acutas aggreſsiones rident, ſolū Xp̄i verbū: & id quidem expreſſum exoptant, adeò vt nec ſanctis patribus, verę doctrinę Xp̄i magiſtris & Eccleſiæ Catholicæ columnis, vllū locū in ſuis ſcholis relinquant: homines fuiſſe, qui errare & labi in interp̄tanda ſacra ſcriptura poſſent, magna voce detonant, ipſi ſcilicet dij è ſinu Dei patris nuꝑ demiſsi. Quę impudētia iſtorum ab eodē magiſtro, qui Prophetarū ſcripta reijcienda eſſe docebat, ac ſolā legem Moyſi ſeruandā eſſe Saducæis ſuis perſuadebat, hauſta eſt: idem iſte magiſter patrum interpretationem calumniatur, qui Prophetas calumniari non erubuit, qui verā & conſentientem doctrinam dilacerauit, falſaſque opi-

Arma pro Ecclesia Catholica sumpta non sunt deponenda.

Argumenta non ex sacris literis petita, Ecclesiæ non prosunt.

Euangelici Philosophorū dogmata reijciunt.

Insania Euāgelicorum patres reijcit.

Sathanæ artes.

Sathan artes suas interpolat & pronouis vendit.

opiniões miſeris mortalibus aſpſit, ac ſenſim mēdacijs ſuis à veritate abduxit. Prophetę illi ſancti legē à Deo datā, pleni ſpiritu ſancto interpretati sūt, & quo sēſu, q̄ Moyſes docuit accipienda eſſent, mōſtrarunt. Cum. n. Deus qui legē populo illi ſuo ꝑ Moyſen dederat, & pcepta ſua digito exarauerat, qui ſenſus, q̄ ſua voluntas verborū legis eſſet, populū non agnoſcere, & verbis hęrendo voluntatē ſuā q̄ ſub litera lateret, nō apphendere videret, ſpiritū ſanctū in Prophetas ſuos effudit, & q̄ voluntas ſua eſſet, q ſenſus ſub elementis literarū legis tegeretur, demōſtrauit, qui eodē modo cū Chriſti doctrinam nō oēs intelligerēt, cū verbis & ſono literarū offenderentur, ac à Chriſto diſcederēt, qui ſenſus verborū eiꝰ & doctrinæ, q̄ è ſinu ſuo hauſtā ad nos ꝑtulit, eſſet, effuſo primū in Apoſtolos ſpiritu ſancto, deinde in eos oēs q in Apoſtolorū cathedris conſederunt, doctrinam Chriſti interptatus eſt, verumq; eius ſenſum demōſtrauit, quod Chriſtus ipſe apte teſtatus fore, cum diceret, ſpiritum ſanctū quem à patre miſſurus eſſet, ea q̄ nō caperent, diſcipulos edocturum: hoc verò fuerit, verba ſua q̄ arcanos haberent ſenſus, interpretaturum. Hic ſpiritus ſanctus Eccleſiam Catholicā docet, hic veros ſenſus doctrinæ Chriſti mōſtrat, ꝑ hunc Chriſtus nobiſcum, vt promiſit, ſemper habitat, hunc ſpiritum ſanctum pectora illa ſacra ſanctorum

Prophetæ interpretes Moyſi.

Non omnes Chriſti verba intelligūt.

Patres Prophetæ noui teſtamenti.

Interpretatio ſcripturæ eſt ſpiritus ſancti propria.

patrum hauserunt, vt noui testamenti Prophetæ fierent, hoc aspirati scripturas sacras interpretati sunt, vnamque & consentientem in tota Ecclesia Catholica doctrinam constituerunt, & tanquam ciuitatem optimis institutis & legibus salutaribus munierunt: & cũ diuersis in locis, multumq; distãtibus ac temporibus diuersis in Ecclesia instituenda versati essent, idẽ sem p senserũt, idẽ docuerũt: quæ eorũ cõsentiẽs doctrina, veritatis à spiritu sancto mõstratæ, argumentũ est. Vnũ Magistrũ spiritum sanctum vt & Prophetæ habuerunt vnam & eandem veritatem ab eo audierunt, vnum dogma consentiens condiderunt: idẽ semper & eodem modo spiritus sanctus docet, vnius huius magistri vna & constans ac sibi coherens doctrina est, vnam Ecclesiam, vnum ouile cum Christo Iesu à quo missus est, spiritus sanctus, vult esse idem dogma, eandẽ fidem, eundem Baptismum, eadem Sacramenta, in ea quam docet & gubernat Ecclesia Catholica, vult esse. Et quemadmodũ Christus, nonnisi humana natura indutus nos docere, arcanaque sui patris nobis aperire voluit, ita spiritus sanctus quem ille misit. & qui quæ ab ipso accepit docet, non in sua illa diuina Maiestate quæ inuissibilis est, nos docere voluit, sed in hominum piorum corda ingressus, per os eorum nobis loquitur, ac quæ sit volun-

Ecclesia ciuitas Dei.

Consensus patrum.

voluntas Dei patris, & filij eius Iesu Christi enarrat. Locutus est idem patribus per os Prophetarum, loquitur nobiscum per ora patrũ, qui nobis sensus doctrinæ Christi aperiunt, & scripturas sacras interpretantur: idem spiritus sanctus, qui scripturam sacram attulit, interpres eius est. Idem igitur qui olim per Prophetas, nũc ꝑ Doctores & patres sanctos, quæ sit voluntas DEI & sensus verborum Christi, demonstrat. Quod si isti cœci cogitarent, & ad amussim regulamq́; spiritus sancti, dogmata sua accommodarent, quod patres sancti fecerunt, nunquam tam impudenter, & Catholicam doctrinam repudiarent, & sua dissona & absurda dogmata iactarent. Nam quod Philosophos Sophistarumq́; inuenta in nobis reprehendunt, certè vt in cæteris, ita & in hoc multum cęcutiunt: non. n. Ecclesia patrésve sancti, Philosophorum doctrinas tradidit, sed CHristi vera dogmata mõstrat. Non ignorarunt quidem patres inuenta & dogmata Philosophorum, ingressi sunt scholas eorũ, callebant argutias illas dialecticorũ, ac captiones Sophistarum, sed veniebant ad eos, nõ vt transfugæ & Christi castrorum proditores, verùm vt exploratores. Non petebant inde quod Ecclesiã docerent, sed quod pro veritate & Ecclesia Christi in ipsos

Euãgelicorũ temeritas.

Euangelici falsò Ecclesiã accusant quasi Philosophorum doctrinis doceat.

Vsus Philosophiæ.

ipſos authores retorquerēt, ac eorum ipſorū telis eos conficerent, vel nonnunquam quorundam Chriſtianorum temeritatem, exemplo eorum qui in tenebris deliteſcerent, conuincerent: non eſſe Chriſtiani, qui in luce CHriſti verſaretur, ea ignorare, quæ cœca gens videret, & ea facere, quæ illa vt naturæ aduerſa damnaret. Eſt vſus Philoſophiæ in Eccleſia, eſt artium illarum quas gentium doctores excoluerunt, ſi quis ſobriè eis vtatur: doctrina CHRISTI & verbum eius, in Eccleſia ſolum perſonat: hoc ſolum patres ſancti docuerunt, in hoc ſolo fundamento Eccleſiam conſtruxerunt, Philoſophis ſua reliquerunt, quæ tamen interdum vt Chananæos ad viliora & abiectiora negocia aduocant, & ſi quæ apud eos ſint, quæ veritati è tenebris eorum eruendæ inſeruirent, ea non negligunt, verùm vt opibus alienis victores vtuntur: nuſquam enim veritatem negligunt, quam ſuam eſſe ſciunt, & quam à Philoſophis vt ab iniuſtis poſſeſſoribus vindicant & ad ſe reuocant.
Non eſt igitur quod nobis Philoſophiam obijciant, non eſt quod propterea doctrinas patrum repudient, quod quales doctrinæ Philoſophorum fuerint cognouerint, exploratoreſque copiarum eorum,
non

non Christi desertores fuerint. Plurima inuenit Iosue & Caleb scelera in ea terra in quã ducebatur Dei populus, vt tamen ingrederẽtur in eam, hortati sunt Israel, non vt idola eorũ venerarentur, sed idolis eiectis DEVM verum colerent, ac opibus eorum perfruerentur. Quibus qui nõ paruerunt, qui cæteris terrã illã dãnantibꝰ acquieuerunt, quem fructũ cœperint, historia sacra testatur. Quẽ eundẽ fructũ percepturi sunt, qui ꝙ in Ecclesia vicia quædam videant, populum Dei ab ea auocant, & in desertas vacuasque veritate synagogas suas deducunt, clamantes cum illis exploratoribus mentientibus: terram sceleratam, incolas suos vorantem ab igantibus possessam. Nihil inde petendnm, omnia execranda, in Aegyptum potius redeũdum, nouasque sedes cepis & porris mendaciorum plenas quærendas esse. Quæ quidẽ non propterea dico, quod Philosophorum doctrinæ in Ecclesia sedes ponam, Cathedrasque statuam, cùm inimici ei, quam Christus demonstrauit veritati fuerint, & luce illa, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat repudiata, in tenebras rationum suarum se coniecerunt, sed vt vsum artium in stabilienda CHristi doctrina, ostendam. Neque enim probandi sunt, qui Christi doctrinam infirmam esse arbitrentur, nisi in

Quid ab hostibus veritatis capiendum.

Synagogæ hæreticorũ steriles.

Philosophi veritatem ignorauerũt.

Ly-

Lyceum deducatur, nisi Accademias perlustret,& ad Platonis firmamenta confugiat, & in Prithaneo alatur. Nihil Aristoteles probat, nisi quod sensus insentatus & ratione vacua illa eius ratio āpprehendat & probet. His in omni disquisitione locum primum dat, cum Christi doctrina rationibus abiectis ad fidē omnem veritatem referat, neminemq́ue quid sonat, intellecturum asserat, nisi crediderit, nisi fidei oculos induerit: hæc enim sola inaccessibilem lucem diuinam ingreditur, hæc arcana illa apprehendit, sensum & rationem in tenebris delitescentem, atq; ad lucem illam, vt ceram ad ignem liquescentē in eius cognitionem deducit. Fides in rebus diuinis rationem ducit, ratio in his quæ Philosophi nugantur, principatum tenet. Sed ijs relictis ad Solonem redeamus: cuius equidē sententiam cum alijs Rebuspub. salutarem, tum verò ciuitati Dei, & vineæ illi quam Deus pater per filium suum Christū Iesum plantauit, saluberrimam iudicio. Cui legi patres sancti Athanasius, Chrisostomus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, qui Theologus appellari meruit, Gregorius Nissenus, Theophilus & eius nepos Cyrillus Alexandrinus Patriarcha, multiq́ue alij apud Græcos viri & pietate & litterarum excellenti peritia celebres: Apud latinos verò, Diuus Hyeronimus,

Aristotelis doctrina.

Principium veritatis cognoscendæ fides.

Solonis lex Ecclesiæ vtilis.

mus, Ambrosius; August. Hilarius, Cyprian. Tertullianus, Ireneus, Lactantius, Gregorius Magnus, & cæteri plurimi, qui vel hos antecesserũt vel consecuti sunt, sedulò paruisse, ac tanquam sibi scriptam cõplexos fuisse videntur. Vt primum Arrius impias suas voces in Christi diuinitatem euomuit, nunquã illi patres sordes illas detergere, non incendio illi obsistere cessarunt, & eos se in eo errore & blasphemia doctrina oppugnãda præbuerũt, vt nullis incõmodis, nullis damnis, nõ exilio, non tormentis, non acerbo cruciatu à sua sententia, Imperatorum etiam & tyrannorũ vi, dimoueri potuerunt. Consecuti alij errores, nati Manichæi, & alia turba hæreticorum, qui cùm se instructos (vt erant instructi) suis mendacijs, contra Ecclesiam Catholicam egregiè putarent, statim aduersa arma experti sunt; statim concursum patrum aduersus insanas suas copias senserunt, à quibus mox vel cohiberentur, vel prorsus profligerentur. Magnus ille patrum in oppugnandis improbis ciuibus, ardor erat, magnus consensus; nullus hostis doctrinæ CHristi & veritati Catholicæ tum arma inferre potuit, qui statim aciem Catholicam pro Ecclesia CHRISTI excubantem inueniret, inde fiebat, vt aut prorsus hæresis illa nascens opprimeretur, aut apud

Diligentia patrum.

pau-

paucos intra priuatos parietes, & in tenebris domesticis se contineret, neque extra prodire auderet, ac ita delitesceret, vt cum paucis illis vna extingueretur. Habebat eo tempore Ecclesia sua propugnacula, habebat centuriones peritos, & in omni genere literarum exercitatos, habebat strenuos & ad omnem impressionem paratos milites, habebat inuictas acies, quæ nihil præter quã Christum Iesum, cum principe huius mundi pro nobis decertantem spectarent: qui nõ quæ sua essent, sed quæ Christi, cum Paulo quærerent: qui opes Ecclesiæ non suæ libidinis instrumenta, sed pauperum, sed pupillorum, ac egenorum victum esse scirent. Erat tum pietati ac eruditioni in Ecclesia suus honor, & præmia debita. Quantum quis eruditione & pietate cęteris præstabat, tanto altiore in loco collocabatur. Non tum nobilitas, non cognatio, non auri argentique cumuli spectabantur, virtus sola, pietas, & eruditionis excellentia expendebatur. Ijs solus Princeps locus & Apsides in Ecclesia dabantur, pietatem, virtutem, ardentemque animũ erga Christum, studiumque perpetuum con seruãdæ augendæque Ecclesiæ, ac hostium eius euertendorum honorabant: pia paupertas summa nobilitas erat. At cum illi paupe res milites Ecclesiam extulissent, & ex mini-

Arma Ecclesiæ sub patribus.

Veteris Ecclesiæ disciplina.

Nobilitas apud patres sanctos.

Opes Ecclesiæ. ma maximam reddidiſſent, opibus, quæ pietatis inſtrumenta & egenorum alimenta eſſe volebant, compleuiſſent, ſtatim in eam lupi *Luporum ingreſſus.* pelle ouis cõtecti, impetum fecerunt: & cùm per oſtium CHriſti in eam ingredi non poſſent, alios ingreſſus quæſierunt: quo cùm penetraſſent, id quod Chriſtus prædixit fecerunt, faciuntq;. Reiecta pietas, reiecta illa quę pios extollat, & ſuper aſtra euehit humilitas, ſoli nobilitati, ſoli cognationi & fœdiſsimæ arti Simonis Apſides dati, & CHriſti patrimonium, viris iſtis bonis, qui præter faſtum & tumorem animi nihil in Eccleſiã afferunt, *Abuſus Eccleſiæ bonorũ* in prædam datum. Qui ita opibus illis Eccleſiæ incubuerunt, vt illis, qui aut piorum illorum patrum in Eccleſia laborem & imitantur & perferunt, aut qui totos dies ea quæ ad honorandum Deum ſupplicationeſq; inſtituta ſunt, nihil inde vel ad victum neceſſariũ largiantur: ita enim in egenis à patrimonio Eccleſiæ amouendis, diligentes incubatores iſti ſunt: qui cùm Eccleſiam à patribus omni genere virtutum ac pietatis opibuſque honeſtis, & in ſinu eius repoſitis, & in alium vſum quàm in quem iſti verterunt, congeſtis, ornatam, ac omni eruditionis firmamentis cõmunitam accepiſſent, quaſi nullum hoſtem contra ſe venturũ arbitrẽtur, otio & luxui ſe dederũt, vt nihil minus quã de propugnaculis

Ecclesiæ hosteq; eius cogitarent, ad alias artes, alia studia, quàm quibus apri qui Christi vineam conuellunt ac deuastant, arceri ab ea possent, se verterint, in otio & in absumendis Ecclesiæ bonis, totum tempus terere cœperint. Quod cũ Christi & Dei aduersarius mũdi huius princeps toties profligatus videret, datũ sibi tempus vineæ Christi non solũ depopulandæ, verumetiã prorsus exterminãdę ratus: quę. n. labore, periculis perferẽdis, paupertate, pietate & humilitate extructa sunt, luxu, otio, superbia & voluptatibus euertuntur. Arripuit igitur occasionem Sathan, accesit ad suos satellites, quorum plurimi inter eos etiam Ecclesiæ delicatos & otiosos pastores laterent, in quo loco sit res Ecclesiæ indicat, eius custodes securos, & nihil non solùm de Ecclesia, sed etiam de sua vita & salute cogitantes, demonstrat, incautos securosque ac sua fœlicitate ebrios, aggrediendos esse suadet, ac illius aggresionis principem Martinum Lutherum, quem iam ante multo tempore ad eam rem delegerat, suisque armis instruxerat, producit. Qui vt primum bellicum cecinisset, signumque proposuisset, improborum manus è suis latebris statim euolant, nomina dant, Sacramentum faciunt, ac contra Romanam & Catholicam Ecclesiam coniurant, in-

Ecclesiæ securitas quid attulit.

Occasio Sathanæ data.

Lutherus dux exercitus Sathanæ.

ſtructique armis Sathanæ & artibus hæreticis, ab inferis quò patres noſtri eas relegarant reuocatis & interpolatis, in vineam Chriſti ingreſsi. vt apri obuia quæque ſternunt, ſanctis patribus, & omnibus qui ſuo ſanguine Eccleſiam Chriſti firmarunt, bellum denun-ciant, cœloque eos detrahere conantur, virtutum & omne ſtudium pietatis cum bonis operibus profligant nihilque in Eccleſia prę ter fiduciam quandam, ſuis artibus ſimulatam relinquunt. Quo tempore noſtri illi delicati duces, qui ſecurè cauſæ ſuæ indormirent, vicino incendio calefacti, tandem oculos aliquantum attollerent, quem illis impijs obijciant per quirunt, vixque vnum & alterum, quorum nomina nunc prætereo, inueniunt, qui cauſam illam ſuſciperent, qui aduerſa arma furentibus obijcerent, ac in certamen cum eis deſcenderent. Quod cum aduerſarij viderent, non ſolum ſingulos ſuos ſatellites ad ſe euocant, verum etiam vrbes Principatuſque integros in Eccleſiam armant, ac omnia euertunt, nobis alia præſidia & alia arma fruſtra cogitantibus, & ad extraneos milites confugientibus, contra quos impia acies ſuos etiam prædixit, ac non ſolum literis ſe munitos, ſed etiam ferro inſtructos oſtendunt. Quod ſi, vt illi, nos quoque arma pro Eccleſia parata tenuiſſemus, ſi omnes

Audacia hæreticorum.

Paucitas defenſorum Eccleſiæ.

Diligentia Lutheri in uertenda Eccleſia.

nes ad rumorem illum ſeditionis perditorum ciuium accuriſſemus, ſi veterani non tyrones eſſe maluiſſemus, naſcens malum ſtatim oppreſſum fuiſſet, neque tam late ea peſtis virus ſuum effudiſſet, neque orbem terrarum occupaſſet. Ad huiuſmodi caſus opprimẽdos maiores noſtri excubabãt. ea arma quæ hereticus fugit parabant. quibus nos reiectis, ad inanes quaſdam concertationes ſtudium retulimus, ac Ariſtoteli veritati ei quam Chriſtus Ieſus è ſinu patris deprompTam nobis attulit, inimiciſsimo in Eccleſia apſidem dedimus. Quod cum aduerſarij viderent, eo furoris progreſsi, vt patribus etiam ſanctis omnem authoritatem adimerẽt, hominum doctrinas figmenta eſſe clamarent, qui D. Thomæ aliorumque authoritatem aſſererent, eos vt Antichriſtos damnarent. ſi quod inde argumentum aduerſus ſuas aſsertiones afferretur, cum riſu illud exciperent & pedum ſtrepitu, è congreſſu & certamine inſtituto exploderent, nec amplius cum aduerſarijs de religione, ad quam firmandam verbum Dei flagitarent, vel vnum verbum facere vellent, non cum Philoſophis & Sophiſtis ſibi rem de materia prima & alijs Philoſophorum inuentis eſſe dicerent, ſed expreſſum verbum Dei, quod ſolum admitterent flagitarent. Ita fiebat vt ea arma

Inanes diſputationes.

Cur aduerſa-ſarij reiecerunt authoritatem patrũ & qua occaſione.

quæ nos iactauimus, nos ipsos magis quàm aduersarios premerent: Nam isti è consisto-rijs cum cachinno prorumpentes, apud plebem rerum imperitiam clamabant, Papistas Sophistarum nugis armatos contra se venisse, nihil sibi cum Philosophis mundi huius histrionibus, qui soli CHristo nomina dederint, negotij esse, cuius verbum & Euangelium purè docerent, ac veritate instructi defenderent, vociferabantur, adeò vt omnis authoritas apud plebem illã detracta nostris esset, vt quicquid deinceps dicerent, nugæ meræ & Sophisticę circulationes dicerentur, aduersariorum doctrina, vt quæ verbum Dei sonaret, probaretur, ac sola reciperetur. Quod cùm nostri viderent, ad artes patrum disputandique rationem se verterunt, ac instructa acie in triumphantes Lutheranos duxerunt, Concilium coëgerunt, ac illam impiam doctrinam, quæ colore verbi diuini vulgo commendaretur damnarunt, viros pios & sacræ scripturæ peritos vndique euocarunt, ac in acie vt custodes veritatis locarunt, qui ita rem agunt, ita impresionem asiduè faciunt, vt aduersarij retrò se recipiant, ac pauciores duces, quàm solerent habeant, & qui veritate victi, modestius agant quàm olim, cum illis aut nemo aut pauci resisterent, cùm armaturam patrum sibi oppo-

Fraus aduersariorum.

Catholicorũ consiliũ in tuenda Ecclesia

Ecclesia vires reparat.

ni

ni non viderent, ſolebant. Quam armaturam quoniam ſibi opponi videant, ſuis figmentis diffidere incipiunt, cùm noſtris & animus creſcat, & opes eruditionis augeantur, & milites centurioneſque in dies plures ad eos accedant, armaque in aduerſarios ferant. Nulla regio eſt, in qua Chriſti militum auctior numerus non proueniat, alij ſcribendo & figmenta aduerſariorũ detegendo, alij apud populum cõcionando ac veritatem doctrinę Catholicę demóſtrando, vires eorum frangunt, ac in ordinem inflatas illas mentes redigunt, omnem authoritatem illis detrahunt. Quorum ſtudium, vt dixi, pietatis plenum cùm viderem, Soloniſq; legem eam expenderem, otioſus ſpectator certaminis iſtius eſſe nolui, meliori parti me adiũxi, arma quæ potui, pro ſalute Eccleſię ſumpſi, ac tum apud meos de doctrina CHRISTI pro concione diſſerendo, tum libris edendis oppugnare errores eorum cœpi. A quo incepto meo, nec precibus nec premijs propoſitis, me reuocari vnquam paſſus ſum, ſed neque contemptus vel ſcriptorum meorum vel cõcionum me vnquam mouit: Chriſti .n. miles nó hæc caduca ſed illa ęterna pręmia cum Paulo expectat. Ac primùm eos quidem aggreſſus ſum, qui recens natos ſacris initiari debere, & ad lauacra ſacra afferri nugarent, contrà

Milites Eccleſiæ Catholicæ

Occaſione author ductus ſcribere cœpit.

Chriſti miles

quos & publicè in Ecclesia Plocensi disserui, & librum ea de re conscriptum edidi. Deinde cum viderem hæretici Stancari quosdam etiam viros doctos & Catholicos dogma de mediatore Christo approbare, consultis sanctis patribus, quos post Apostolos veneror, quid illi de mediatore Christo senserint, q̃d docuerint, quam concordes in ea doctrina sint, eorum ipsorum patrum scriptis, in vnũ volumen collatis demonstraui, Stancarique hæresim cum viris pijs & Catholicis damnaui. Quoniam verò aduersarij in pastorum vicia acrius inuehuntur, & in eo Euangelio, in quo Christus pastorem bonum describit, nimium diserti sunt. Quod dum faciunt, in Episcopos sacerdotesque solos eam reprehensionem vulgus cadere putat, arctisque auribus conuicia illa excipiat: vt eorum opinionem conuellerem, quid sit pastor, quæ genera eius, quod cuiusque officium sit demonstraui, ac reprehensiones illas, non in Episcopos suosque vicarios solum conuenire, sed in eos etiam, qui seculi principes magistratusque sunt, aptè quadrare demonstraui, vt deinceps de se etiam parabolam illam narrari sciant, ac secum quam rectè pascendi munere fungantur cogitent. Et quoniam aduersarij nihil magis aduersus nos vrgent, quam vsum vtriusq; speciei Sacrosãctæ Eucharistiæ, hoc-

que vnum crimen inter præcipua habeant, quod Romanæ Ecclesiæ vt grauissimum nefas impingant, apud populum clament, Christum in suprema cæna sua vtramque speciem discipulis dedisse, eum morem seruari voluisse, quem etiam Paulus apud Corinthios seruatum refert, hortando eos ne ab institutis Christi recedant, contra hos quoque in certamen descendi, publicè eam materiam tractaui, & quantum illi errent, qui nos erroris accusent, demonstraui: Romanæ Ecclesiæ iudicium & institutum legittimum esse ostendi. Restabant multa alia quæ isti fundamenta Euangelij sui quinti posuerunt, & in quibus fiduciam suam locarunt, quæque assiduè vrgent, vt iustificationis ratio, liberi arbitrij, & alia non pauca quę primum in Ecclesia publicè disputata, in hunc librum cóieci, quem quintum librum prælectionum Plocensium inscripsi. Qui quidem liber ad quinquaginta capita excreuit, in singulis capitibus aliam materiam quæstionémve continens. Quem librum Reuerendiss. Pontifex ad te mitto, ei te patronum adscisco, vt tua amplissima authoritate munitus, in vulgus progressus securior & tutior aduersus & hostes Ecclesiæ Catholicæ, & Romani Pontificis oppugnatores rem agat, & obtrectatorũ censuras morosas contemnat. Quem quidẽ

Dedicatio libri.

librum vt ea humanitate & benignitate quã testatam toti orbi reliquisti, qua gentem illam rerum dominam, & religionis Catholicæ patronam Hispanorum deuicisti, & in tui obseruationem vertisti, quæ te Italis quę vrbis Romanæ principibus charissimum reddit, complectaris, & à me cliente tuo accipias rogo. Non peregrinum quid hic liber, verùm ea quæ in Ecclesia Plocensi, cui Reuerédissima Paternitas Vestra pręsidet, ac optimis institutis & disciplina instruit, à me Canonico tuo, & collega eius Ecclesiæ, tractata, primumque apud populum explicata sunt, deinde hortantibus quibusdã viris magnis, literis mandata, ad reuerendissimam paternitatem vestram Patronum suum affert. Quantum laborauerim, quantum vigilauerim hoc volumine scribendo, nouerunt illi cum quibus versor, & morbus quem mihi ea lucubrandi ratio attulit, testis est: Dum enim & hęc scribo, & publicè in Academia Cracouiensi, quo me, & vt liberior & instructior in scribendo essem, receperam, docendo occupor, eum morbum attraxi, quem sanari posse nõ credo, vix ossibus hæreo, labe lenta consumor. nec planè mihi promitto, hoc opus ab officina Calchographi progressum, me lecturum. Quod si acciderit, posthumam hanc meam prolem vt reuerendissima Paternitas

Dexteritas rerum agendarũ volscij in Hispanijs.

Author scribendo in morbum incidit.

nitas vestra, sua bonitate & authoritate tueatur, ac se illi benignũ patronum præbeat, etiã atq; etiam rogo Magnũ bonitatis & singularis humanitatis tuę vbiq; fructum capis. Vidi in Hispanijs quãti te ob singularẽ tuã modestiam, prudentiã, ac erga oẽs benignitatẽ homines facerent, qui sermo omniũ, quocunq; veneram, de te esset, ita nomẽ tuũ in illo amplissimo regno notum, & fama humanitatis tuę peruagata erat, vt in ea gente amplissimo loco natus esse videreris. Quam verò ipsi optimo & sapientissimo Regi Catholico charus fueris, quam authoritatem apud tantum Regem tibi integritate & prudentia tua singulari cõparaueris referre nolo: scio multos nũtios, sæpè dum ad regem ingredi cuperent, in aliud tempus reiectos, supplicesq; illis, qui regias ædes seruarent fuisse, tibi verò vt primũ veneris custodes cessisse, & regem absq; vlla mora & dilationibus, te attentè & cum summa animi alacritate negotia Serenissimi Augusti regis exponentem audiuisse. Quo munere apud Catholicum regem cùm annos quatuordecim fugereris, nunquam nec ipsius regis, nec cuiusquam vultum erga te mutatum scimus fuisse, in dies magis ac magis nomen tuum fauorque in eo regno florescebat atque increscebat. Vnde digrediens magnum fructum officij exacti cepisti. Nam

Volscij in Hispania existimatio latè peruagata.

Quanti fieret apud regem Catholicum.

Catho-

Henrico Regi electo cōmendatur.

Catholici Regis literis & authoritate eius illa ſumma Henrico Valeſio, quem regem in comitijs Vvarſchouienſibus elegeramus commendatus eſſes, moxque ipſi Regi electo familiaris & chariſsimus factus. Qui vt primùm in regnum noſtrum venit, ad clauumque Reip. conſedit, ampliſsimo honore Procancellarijque dignitate te exornauit, & arcanis & Regni & ſuis conſilijs cuſtodem fecit, hoc verò fuerit. fidei tuæ ſe ipſum & Rem pub. tradidit. Quo officio dum cum ſumma laude fungeris, Sereniſsimus Rex Stephanus Princeps ſapientiſsimus tua integritate perſpecta, primum ad Cancellariatus ipſius honorem te extulit, deinde ampliſsimo ſacerdotio. Epiſcopatu Plocenſi auxit, & dignitatem tuam vt merebatur exornauit, & inter Senatores Regni locauit, atque vt prudentiæ & in rebus gerendis dexteritatis tuæ fructū vberiorem caperet, nuncium te ad ſummum Pontificem in vrbem miſit. Cuius muneris tui qui fructus ſint, quæ in ea gente conuerſatio, quàm & ipſi ſummo Pontifici & Senatui eius vniuerſo charus fueris, quæ præmia honoreſque te in ea vrbe maneant, nihil ego nunc dico, alij ſatis paſsim teſtantur: ad preces meas redeo, rogoq; vt librū hūc quē tibi dicaui quē pign⁹ ꝑpetuū animi mei obſeruātiæq; meę erga Reuerend. P. veſtrā eſſe volui, benigne

Volſcius regni Procancellarius.

A Sereniſſ. Stephano Epiſcopatu & ſenatoria dignitate ornatur.

Romā mittitur.

benigne recipias, receptumque authoritate tua tuearis. Quod cũ feceris, & me ſi morbo præſenti liberatus. ad ſtudia mea rediero; & alios multos, qui eadem meditantur, & ad te omni genere officiorum & reuerentiæ colendum, & ad ſtudia ea quæ præſidio fuerint Eccleſiæ aduerſus impia Euangelicorum dogmata, excitabis, fructumque patrocinij tui, & ſummæ humanitatis tuæ apud eos, qui in literis ætatem agunt, qui hoſtibus Eccleſię arma inferunt; tanquam dux & imperator optimus, & religionis Catholicæ propugnator promptiſsimus, non mediocrem percipies, tuaſque laudes vbique, & apud omnis ordinis homines propagabis, præmiumque virtutis tuæ, gloriam & laudem veram referes. Qua vt perpetuò perfruaris, DEVM Opt. Max. precor.

AD LECTOREM PRAEFATIO.

QVintus liber prælectionum nostrarum Plocensium, lector candide, in publicum prodit, in quo conditi, euersi et reparati hominis ratio exponitur, atque ea quæ ad iusticiæ nostræ rationem pertineant, vt quidem mihi videtur, non negligenter explicātur. Nam quæ in Sacrosancto Concilio Tridentino patres sancti, grauiter quidem sed compendiosè, vt legum sacrarū legislatores decebat, de Iustificatione tradiderunt, et canonibus breuioribus cōprehenderunt, nos ea copiosius explicamus, de totáque illa ratione reformādi hominis ex authoritate Ecclesiæ Romanæ disserentes, non solum quæ Catholicæ fidei consentanea sunt, in hos commētarios nostros coniecimus, verum etiā aduersariorum doctrinā, rationesq; cōuellimus, ac totam illam doctrinam eorū de ratione iustificationis, vt nouā et alienam à veritate oppugnamus, errorisq; plenam demonstramus: Et quod Cōcilium Tridētinū sua authoritate simpliciter aut tenendum vt veritati consentiens, aut vt hæreticū & fidei Catholicæ aduersū dānauit, vitandumq; præcepit, nos populari oratione & ornamus & dilatamus, argumentis serijs animos nostrorū firmamus, & aduersariorū firmamenta euertere conamur, populumq; ad veritatis cōfessionem,

onem, ab illis falsis opinionibus, quibus ab aduersarijs Ecclesiæ Romanæ, pectora eorũ euersa sint, reuocare contendimus. Quod vt consequeremur, & nostra nos confirmare, & aduersariorum doctrinam pluribus argumentis oppugnare oportebat: simplex enim earum rerum expositio quas tractamus, apud nostri temporis homines, & ad veritatem persuadendam, & ad opiniones peruersas euertendas, non multum efficax fuerit, nec satis virium haberet. Copiosius igitur agimus, & eadem sæpè non eodem tamen modo animis auditorum inculcamus, atq; vrgemus, in aduersarios audacius prouehimur, temeritatemq; eorum grauius reprehendimus. Quod studium nostrum, & conatum nostrum veritatis tuendæ, & fidei Catholicæ, quam sola Romana Ecclesia integerrimè custodit, & aduersæ opinionis profligandæ curam, vt boni & æqui consulas, per eam ipsam quam tuemur CHRISTI veritatem, te rogo, lector candide. Non equidem ignoro esse nonnullos, qui me quod ea tractare, quæ aliena à mea, quàm præ me fero, professione sint, audeam, & iurisprudentiæ scientiam professus, in his quæ Theologorum sunt, occuper, grauius reprehendant: Qui si & vocationis meæ & officij mei, quo in Ecclesia Plocensi fungor, vnde hæc prodeunt, & communis incendij Ecclesiæ, ad quod extinguendum omnes accurrere, & vndecunque aquas hau-

stas

stas afferre oporteat, meminisse velint, nonsolum non reprehenderent conatus nostros, verũ etiam gratias nobis agerēt, qui in communi periculo defendēdo non cessamus, & ad maiora in hoc genere molienda nos hortarentur. Canonum quidem scientiam profitemur, eoq; nomine collegio Canonicorum in ea Ecclesia inserti sumus, sed ei nostro officio munus publicè concionandi, & de religione Catolica populi docendi annexũ, vnaq; cũ canonum professione, humeris nostris impositũ est Quod munus dum obimus, populúmque docemus, ea quæ in Prælectionum nostrarum libris quinque continentur, explicauimus. Quæ ne interirent, authoritate virorum grauium inducti literis manda a in publicum damus, ac non solum illis qui nos audierint, sed etiam ijs qui procul à nobis absunt, consultum esse voluimus. vt quod illi audiendo consecuti sint, hi legendo consequantur. Vale & nostro labore gratis fruere.

SVMMA.

SVMMA EORVM CAPITVM, QVAE IN HOC Libro continentur.

(?.??) Cur

Non

Gra-

FINIS.



IACOBVS GORSCIVS DE LAPSV, ET RESTAVRATIONE, IVSTIFICATIONEQUE hominis.

Mundi huius structuram, Dei potentiam, sapientiam & bonitatem demonstrare.

CAPVT PRIMVM.



RIMVM omnium constat, Deum Opt. Max. mundum hunc quem cernim⁹, condidisse, & eo splendore quem admiramur exornasse, eoque modo suam immensam potentiam, qua creando, & infinitam sapientiam, qua adornando eo, & in ordinem omnia redigendo, vsus fuerit, demonstrasse. Ac non solùm quanta sit sua potentia, quæ ex nihilo tantam molem produxerit, quæ sapientia, qua tot rerum discrimina effinxerit, vario & multiplici ornatu instruxerit, vim rebus incomprehẽsibilem infuderit, singula suis locis composue-

Mundi structura, sapientiam, potentiam, bonitatẽ diuinam testatur.

rit, diuersas & repugnantes res, vno in corpore vt membra cõcluserit, ac summa concordia, ac societatis indiuisæ vinculo astrinxerit: verũ etiam quos suę bonitatis thesauros in eo condiderit, testatum reliquit. Nam scriptura
Gen. 1. sacra non solùm eum mundi huius machinam, qua omnia continentur, cõdidisse & exornasse, ac in ordinem, sapientiæ eius immensæ testem, redegisse testatur, sed etiam ea omnia ipsum vidisse, inspexisse, & oculis suæ sapientiæ perlustrasse, ac bona esse quæ fecerit pronunciasse, apertè ait. Ita fit vt & potentiam Dei infinitam in hoc eius opere agnoscamus, & sapientiam admiremur, & bonitatẽ veneremur. Testis hic mundus est, & potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis Dei immensæ, huius ordinem, pulchritudinem, vari-
Rom. 1. etatem, motusq́ue conformes ac constantes admirati quondam homines, ipsum conditorem, ac tantæ talisq́ue machinæ gubernatorẽ inquirere cœperunt, ac in eius cognitionem venerunt. Quem vtinam ita vt decebat coluissent, nec rebus creatis gloriam creato-

atoris tribuissent: nunquam enim in tot errores prolaberetur genus humanum, nunquam regnum Sathanæ tanta incrementa habuisset, quanta mox habuisse ostendemus. Nunc ad DEI conditoris nostri potentiam, sapientiam, ac bonitatem redeamus, & quã partem huius suæ tam elegantes structuræ, quam Græci aptissimo nomine κόσμον appellarunt, nos verò mundum dicimus, plurimum amauerit, præcipuasque ei partes dederit, quemque principem eius statuerit, & cuius causa totum hoc quod est, condiderit, à quo suam potentiam, sapientiam & bonitatem agnosci, prædicari, ac præconem suarum virtutũ esse voluerit, dicamus.

Regni Sathanæ incremẽta lapsus hominis à veritate.

Homo pars præcipua mũdi & princeps.

Hominis officium.

Qualis homo à Deo creatus.

CAP. II.

COnstructo, & adornato, & approbato mundo, ad hominis creationem Deus cõsilium suum vertit, atque ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã, & præsit piscibus maris & volatilibus cœli, &

Gen. 1.

vniuerſis animalibus quæ mouentur ſuper terram, hic.n.ſol⁹ ad eam, quam Deus inſtituit mundi perfectionē deerat. Conſtituta erant quæ ſeruirent, quæ vſum ſui præſtarent, qui imperaret, & qui frueretur eis deerat, homo ille, quem Poëta ſanctius animal, & mētis capacius altæ, & quod dominari in cætera poſſet, vocat. Quem Deus non ſolùm producit, verùm etiam ad imaginem & ſimilitudinē diuinitatis ſuæ conformat, imperiumq́; ei in cętera omnia largitur, & quaſi regē huius mūdi conſtituit. Ac vide dignitatem hominis: cætera alia forma effinxit, huic ſuam imaginem impreſſit, qua nihil præſtantius ac magnificentius cogitari poteſt: alia ſeruire iubet, hunc imperij habenas tenere, & dominum eſſe vult, omniaq́ue eius ſubijcit poteſtati. Sed nec conformatio huius cum cæteris communis eſt: terra iubetur producere herbas & arbores, reptilia: aqua piſces, verbo ſolo, non admota eis manu Dei, omnia cætera procreantur: hominem verò non terra producit, ſed manus Dei conformat, ſpiritu ori eius

Homini omnia ſubiecta eſſe.

Metamorph. 1.

Homo ad imaginē Dei formatus.

Dignitas hominis.

eius insufflato animat & viuificat. Decebat enim eum, qui in cætera imperium habiturus esset, qui omnium commodis frueretur, cum singulari prærogatiua effingi, ac de eius qui vniuersa regat manibus prodire, & non alterius quàm ipsius DEI plasma esse, vt nulli alteri præterquàm soli Deo conditori suo se debere quicquam agnosceret, & cogitaret. Quamobrem grauissimum est scelus eorũ, qui conditore suo contempto, rerum earum quibus nihil deberent, quæ suo imperio subiectæ essent, serui sua spõte esse voluerunt, terram vt Deum cæteraq; elementa & bestias, diuinis honoribus ornarunt, ac imaginem Dei sibi impressam defœdârunt, & quãtum in illis fuit, exuerunt. Cuius enim sceleris & insaniæ est, eum qui te omnibus bonis cumulauit, qui tibi imperium mundi tradidit, omnia pedibus tuis subiecit, imaginem potentiæ, sapientiæ & bonitatis suæ tibi impressit, ea conditione te condidit, vt omnium earum rerum quas condiderat, dominus & gubernator esses, suo honore fraudare, & te bonis illis,

Cur homo manibus Dei cõformatus.

Scelus hominum.

& conditione præstantissima vltrò exuere, ac infra infima te prosternere, seruumque velle eorum esse quæ tibi tuisque vsibus seruirent? Vide bonitatem Dei, agnosce honorẽ, quem tibi tremenda illa maiestas habuit: Faciamus, inquit hominem, ad imaginẽ & similitudinẽ nostram. Magnus honor Dei similem esse, imaginem eius portare, & quod solum summũ beneficiũ habendum fuerit, illi tamen non satis est, dat mundi imperium: Dominetur, inquit piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs vniuersę terræ, omniq; reptili quod mouetur super terrã. Imaginem suã te gestare voluit ô homo, tu Sathanæ imaginẽ expetis: Dominũ te esse iubet, tu seru⁹ turpissimi & crudelissimi tyrãni esse cõtendis? vltrò hosti manus tradis, ac prudẽs sciensq; peris? Sed longius ferimur quàm materia ad explicandum proposita, postulat.

Diuina benignitas in homine ornando.

Gen. 1.

Imago Dei ad quam homo factus est, quæ sit.

CAP. III.

ET

ET quoniam hominem ad similitudinem DEI factum esse, sacra scriptura testatur, nosque longè præstantiorem eius conditionem ac sortem propterea esse diximus, quod non qualicunque forma plasma hoc suum Deus effinxerit, sed conformē sibi esse voluerit, ostendimus: quæ illa forma Dei sit, cuius imaginem & similitudinem homo gerat, inquirendū videtur. Neque enim vna eadem est omniū de ea re sententia: Nam multi non hęretici solū, qui vno nomine Antropomorphitæ dicuntur, verùm etiam pij & in heremo Aegyptia vitam duriorem agentes monachi, in ea sententia fuerunt, vt omnino Deum ea forma quæ in homine cernitur esse assererent, & imaginē eā esse in homine Dei, quę sensu in eo cernitur, lineis corporeis circumscripta, & cultu expressa, cōtenderent, quod scriptura sæpè talē formam Deo tribuere videatur, qualis in homine cernitur, cū illi oculos, aures, cæteraq; mēbra attribuat, ac visum esse patrib⁹, vt Abrahæ & alijs, in hominis figura testetur. In quo eos multum erraſſe,

Hominē corporeæ formæ esse cur hæretici asseruerint.

Deus spiritus est. rasse, & CHristi verborum oblitos fuisse, qui DEVM spiritum esse testatus
Ioan. 4. sit, & sacræ scripturæ consuetudinem loquendi ignorasse, cõsensus patrum & Ecclesiæ Catholicæ columnarũ docet, qui vno ore Deum non corporeũ, nec corporeis membris partibusq; cõpositum, sed spiritũ esse, vna cum Magistro nostro Christo Dei filio, qui so-
Ioan. 1. lus Deum patrem vidit, solus qualis sit cognoscit, & nobis enarrauit, cõstãter asserũt, & eam quã Antropomorphitę sentẽtiam vrgent, vt hæreticam, impiam, & falsam à cœtu fideliũ expellunt, & vt veritati & testimonio Christi aduersam reijciunt. Nam quod Deo oculi, aures, aliáve mẽbra, quæ in homine cernũtur, sacra scriptura interdum tribuat, id ob imbecillitatẽ nostri intellectus fit, vt ea quæ nec sensu, nec intelli-
Cur Deo sacra scriptura membra tribuant. gendi vlla acie apprehendi possunt, ex ijs quæ nostris sensib⁹ nota & subiecta sunt, comprehẽdamus. Quomodo & montes exultasse, & instar arietum saltasse, & arbores locutas esse, mare fugisse, eadem scriptura ait, cùm nec mõtes saliant, nec arbores loquantur, nec mare

mare pedes quibus fugiat, habeat. Tribuimus sæpè sensum rebus anima carẽtib⁹, multis sermonẽ damus, mortuos excitamus, cœlũ & terrã alloquimur, ea loquẽdi figura, quã Prosopopeiam dicunt. Non est ergo quod inde Deum qs corporeũ, & mẽbris constare putet, quod scriptura ei aliqua membra tribuat, ac in hominis forma eum apparuisse aliquando dicat, Antropopatia suo more vtens, & ea quæ hominum sunt, Deo tribuens, & nostro sensui seruiens. Alia est Dei forma, ad cuius imaginẽ homo conformatus est, non corpori, sed meliori illi parti nostrę, quam animam appellam⁹ impressa: animus enim noster imago Dei est, animo similes conditori Deo non corpore, qđ nullũ ille habet, sumus. Imaginem & similitudinem ad quam homo factus dicitur, in animo non in corpore impressam esse vel inde cõstat, quod Adã filiũ Seth genuisse scribitur ad imaginem & similitudinem suã. Nam si corporis effigies eo in loco intelligatur imago, Adami omnes liberi eius ad imaginem eam nati fuisse dicerentur,

Animus imago Dei.

cum omnes faciem eius referent. Sed quoniam ſcriptura ſolum Seth, Adamum genuiſſe ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ait, animi imaginē, hoc eſt, virtutes, pietatemq; in Deū, quam Seth imitatus eſt, ſcriptura ſignificat, quæ vera imago eſt, ad quam homo conformatus Seth enim pius, prudēs, Dei & parentis amans fuiſſe perhibetur. Relicto igitur corpore, ad ſpiritū, cogitationem noſtram, & totam hāc inquiſitionem referamus, & in qua eius parte imago illa diuina cōſiſtat inquiramus. Nam & hic non omnes idē ſentiunt, & alij quidam partem eam animi, quę rationis particeps eſt, ac intelligendi vim complectatur, imaginē Dei gerere volunt, cum Deus ipſe ratio & intellect⁹ ſit, qui omnia cognoſcit, omnia intelligit: ac non ſolum particeps rationis, ſed ipſa ratio, nō ſolum ſapiens, verum ipſa ſapientia ſit Cuius quoniam hominem participem eſſe voluit, hanc in eo imaginem Dei eſſe aſſerūt: ratio enim & intelligendi vis, diuinum quiddam eſt, & ſimilitudinem expreſſam diuinæ ſapientiæ et naturæ

turæ in homine præ se fert. Nam & filius Dei sapientia patris, λόγος, verbum & ratio dicitur, à qua ratione homo animal rationis particeps siue λόγικος appellari meruit. Vnde etiam videntur suæ sententiæ firmamenta sumpsisse, qui hominem non Dei, sed filij eius imaginem esse dicunt: Aiunt enim filium Dei imaginem esse Dei patris, hominem verò ipsius filij ad cuius similitudinem factus sit, imaginē esse. Quorum sententia quam vim habeat, Cyrillus, Chrysostomus, Augustinus, & alij Ecclesiæ Catholicæ Principes facilè docebunt. Et Paulus non obscurè dixit, virum esse imaginem Dei, mulierē verò imaginē viri. Non filij dixit Paulus tanquam vnius personæ, sed Dei & totius Trinitatis, quod cõfirmatur illis Dei verbis: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non ad meam, sed ad nostram inquit, quod plurium est personarum & totius Trinitatis, cuius vna & eadē forma & substantia dininitatis sit, ad cuius imaginem homo conformatus est Sed hæc ex fontibus vbi ex professo hæc

Aduersus Antropomorphitas.

1. Cor. 11.

Hominem imaginem Dei non filij esse.

Gen. 1.

materia tractatur petenda: Nos aliud agentes, & ad alium ſcopum, quem in hac lucubratione noſtra nobis propoſuimus, tendētes; hæc ſatis eſt attigiſſe.
Liberũ arbitrium imago Dei. Alij imaginem Dei, ad quam homo eſ formatus eſt, liberum arbitrium, volũtatemq́; illam, quæ nullo iugo preſſa, quã in partem vellet, ſe liberè referret, & inter ignem & aquã poſita, quò vellet manum extenderet, vitam vel mortem eligeret, Deum cõditorem ſuum, Sathanámve tyrannũ crudelem ſequi mallet, aſſeuerant. Ita.n. Deus hominẽ illum cõſtituit, vt quam vellet partem eligeret, vitam & mortem ante oculos eius poſuit, conſilium dedit, vim nullã eius iudicio & voluntati adhibuit, & qua libertate ipſe vteretur, eam illi in deligendis cõmodis vel incõmodis reliquit. Quæ voluntatis libertas, quod homini cum Deo communis eſſet, liberũ illud hominis arbitrium, imaginem Dei graues viri dixerunt. Alij aũt ſimilitudinem illã, & imaginem Dei in homine eſſe aſſerunt, quam ipſe cõditor rerũ omnium & ipſius hominis indicauit, cùm diceret: Faciamus hominem

minem ad imaginem & similitudinē
nostram, & dominetur piscibus maris, volatilibus cœli, animalibusque & reptilibus terræ. Volunt enim hæc posteriora verba, vt dominetur piscibus maris, & quę sequuntur, eorum verborum, Faciam⁹ hominem ad imaginem & similitudinem nostrā, explicationē & interpretationem esse, & hoc modo Deum, quæ illa imago sua sit, ad quam hominem fieri & fingi vellet, ostendere. Cùm enim Dei conditoris rerum omnium proprium sit, vt rebus omnibus præsit, & totum mundum sua sapientia gubernet, huius potestatis participem voluit esse hominem, vt omnib⁹ ijs quæ corporea sunt, & quæ ei⁹ causa à se creata & facta essent, præesset, & tanquā dominus imperiū in ea haberet. Imperandi igitur hāc facultatem à Deo homini datā imaginem Dei esse & similitudinē in homine, concludūt, & virum imaginem Dei à Paulo appellari volunt, propterea quod vir vxori suæ, vt Deus ipsi viro imperet & præsit: vxorem autem imaginem viri, quod vt ipsa viro subiecta sit, ita 1.Cor.11.
do-

domui ac domesticis præsit, Cyrillus Patriarcha Alexandrinus imaginē Dei esse vult, potentiam, sapientiam, bonitatem, iustitiam, cæterasq; virtutes eius. Quarum quia homo magna ex parte particeps & consors ab eo factus fuerit, eas ipsas virtutes in homine imaginem Dei asserit esse: Ita enim Deus hominem condiderat, vt in eo virtutes illę, quibus ipse abundat, relucerēt. Nam & potentia illa, quæ in Deo immensa est non obscure in eo lucebat, cum omnibus illis animalibus suo imperio subiectis imperaret, & mundo visibili præesset, quem non viribus, q̃bus à belluis superetur, sed prudentia & sapientia à Deo sibi communicata & impressa, gubernaret, cum voci eius omnia animalia, & maris, & terræ, & cœli parerent, vocata statim ad eum currerent, mandatis eius obedirent, vt & nunc videmus ea, quæ nobiscum versantur bruta animalia, & boues, equos, & alia voci nostræ & nutui etiā parere. Nam quod feræ bestiæ non solum nō parent nobis; sed etiam impetū in nos faciunt, id peccati pœna est,

Quæ sit imago Dei Cyrillo.

Beluæ cur homini non solum non parent.

Vt

Vt nos Dei iussa abiecimus, vt illi rebelles facti sumus, ita ille & imperium nostrum contemnunt, & inimico animo in nos ruunt, quasi conditoris sui iniuriam vlciscentes. Ac non solum in animalibus regendis potentia hominis, nisi peccasset, constitisset, sed etiã cœlo & montibus legem ponere & imperare poterat quod Moysen dum mare discedere iubet, petrã percutit: Isaiam dum Solem redire iubet, & Iosuecum stare eum, nec ad occasum tendere vetat, & Heliam dum ignem è cœlo euocat, dum cœlum ne pluat claudit: Gregorium ob multitudinem miraculorum Taumaturgum appellatum, dum montem Ecclesiæ condendę obstantem alio transferret, & paludẽ discordiæ inter fratres causam, oratione sua exsiccaret, fecisse videmus. Hæc imago Dei est in homine, Dei hoc munus est proprium, cuius hominem participem esse voluit, quemadmodum sapientiæ, potentiæ, bonitatis, misericordiæ, iustitiæ, liberæ voluntatis, & cæterarum virtutum, quarum igniculos mentibus nostris inseuit & infudit. *Hominis imperium.*

Nam

Nam vt ipſe eſt ſapiens, ita nobis animam ratione præditam, quæ ſapientiæ ſedes ſit, dedit. Vt ipſe omnia gubernat, ita homini imperium in omne genus animalium dedit, ac totam eam partem, quę corporea eſt, tum imperio, tum vſui eius ſubiecit: totum enim hoc quod cernimus, hominis cauſa conditum eſt, ſolus homo propter ipſum Deum, vt ſit qui eius potẽtiam, ſapientiam, bonitatem, iuſtitiam, miſericordiam, cognoſcat, miretur, adoret & laudet. Quamuis enim eſt ille ſolus verè bonus, non eſt enim bonus niſi ſolus Deus: quamuis ſolus eſt iuſtus, miſericors, liber, æternus, nihil tamen horum ita poſſidere voluit, quin nobis magnam partem eorum elargiretur, quin in nobis magna pars eorum reluceret. Voluit vt liberi, vt prudentes, vt iuſti, boni, ſancti, vt miſericordes eſſemus, vt in ea quæ condita ab eo eſſent, imperium haberemus, ac poſtremò æterni & beati redderemur. Hic eſt ille DEI character, quo nos ſibi conſignauit, ſolus enim homo præ cæteris omnibus quæ in ter-

ris

ris sunt, animantibus, ratione præditus: solus misericors, & ad omne genus virtutum bene comparatus: solus imperiũ in omnia ea quæ orbis complectitur, iuxta similitudinem atque imaginem Dei obtinet Hæc est illa imago Dei, quam homini impressit: & similitudo, ad quam hoc figmentũ vitam suam componere voluit. Et quoniam ipse est sanctus, non desunt, qui hominem etiam sanctificatum inspirato illi dono spiritus sancti à Deo statim vt creatus est afferant, atque eam sanctitatem, imaginem & similitudinem Dei in homine esse contendant. Aiunt enim, spiraculũ vitæ à Deo homini illi primo inspiratum, non animam quæ cum corpore simul creata esset, sed spiritum sanctum, quo Adam sanctificaretur. Quemadmodũ Christus in discipulos insufflauit, vt eos ab incredulitate spiritu sancto mundaret ac potestatem dimittendi peccata eis daret. Cuius sententię sunt duo magni viri, Basilius Magnus & Cyrillus Alexandrinus. Quæ disputatio quoniã longior, & à multis clarissimisque viris &

Cyrillus & Basilius.

Ecclesiæ Catholicæ columnis in partem vtramque agitata, nihil est quod de ea nunc agamus. Testantur illæ voces, in nobis sanctitatis & misericordię suæ imaginem & similitudinem Deũ relucere velle: Sancti estote, vt ego sanctus sum. Estote misericordes, sicut & pater vester qui in cœlis est. Omnes virtutes quæ in eo lucent, nobis largè dat & commendat. Non terram nos vt cæteras animantes producere iussit, non quauis specie conformauit, sed manibus suis magno cum consilio effinxit, ac formam suam, imaginem suam nobis impressit, & naturæ & beatitudinis suæ cõsortes esse voluit. Qui nisi nostra temeritate & præuaricationis vicio vltro nos tantis Dei muneribus indignos faceremus, nihil nobis secundum Deum, cuius imaginẽ gereremus, qui proximum gradum dignitatis secundum eum teneremus, beatius fuisset. Qua beatitudine quomodo exciderimus, quomodo ex fœlicissimis miseri, ex libris & alũnis dei serui, crudelissimi, Tyranni facti sumus deinceps dicendum est.

Quomodo homo sua fœlicitate exciderit, et imaginem Dei in se obscurauerit.

CAP. IIII.

COndito igitur hoïe, & tantis cõmodis cũulato, & in partẽ ĩperij vocato, in paradiso illo omni genere delitiarũ ac voluptatis omnis affluẽte, constituto, ne illa nimia & tanta felicitate, rerumq; vltro affluente copia, honore tãto ac libertate immensa, insolẽtior & arrogãtior fieret, Deoq; conditori, & omnis illius suæ beatitudinis authori rebellis esset, legẽ Deus imposuit, libertatẽq; eius ne fines aggrederetur ꝑcepto suo coarctauit, ac quasi cãcellis sepsit: par.n. erat (inquit Cyrillus) non ꝑmittere, vt homo ita ornatus, & cœlestiũ bonorũ affluentia locupletatus, facilè ad arrogantiã raperetur, seruitutẽ & seruorũ conditionem ignorans: nimia enim affluentia atque immodica libertas execrabilis superbiæ vicium inferre solet. Quod ne fieret, Deus pro sua sapientia prouidit, occasionem agnoscendi domini sui, abstinentiæ legem ei proponit, vt per eam semper vocaretur ad noticiam

Homini condito cur lex data.

eius, qui cum tanta poteſtate authoritateque imperat, certo ſciret, ſe potentis domini legibus eſſe ſubiectum, cui rationes, & omnium eorum quibus frueretur & quæ ageret, redditurus eſſet. Ita.n.eũ dominũ mundi fecerat deus, vt ſe ſuũ dominũ agnoſceret, &ob ſeruãdo mãdato, ſciret ſeDeo creatori ſuo, à quo mũdi imperium accepiſſet, ſubiectũ eſſe. Nam vt cæteris oĩbus à ſe creatis rebus, ac vniuerſo mũdo leges certas poſuit, intra quarũ metas cõtinerentur, quas nunquã egrederentur: ita ipſum hominem quem illis præeſſe iuſſit, vna hac lege obſtrinxit, vt ab eſu vnius arboris fructus abſtineret, ac vel hoc vno modo imperium eius in ſe, ſeque ſeruum eius eſſe agnoſceret & teſtarerur. Neque tamen ita homo legem accepit, vt non quod vellet ageret, vlláue neceſſitate aſtringeretur. liberum enim Deus arbitrium & volũtatem eius fieri iuſſit, vt quod illi optimum videretur eligeret ac ſequeretur Nam qui neceſſitate coacti quid agũt, neque premium benefactorum, neq; pænam maleficij merentur: Deus aũt

Librum arbitrium homini relictũ.

pro

pro ſuo immenſo amore erga hominem, non ſolũ eum creare, ſed & omni honorum ac premiorum genere exornare voluit. nullam igitur vim voluntati eius adhibere, nullam neceſſitatem legis ſeruandæ imponere ei voluit, ſuo arbitrio & liberæ voluntati eum permiſit, vt ipſe ſibi author, vel vitę & ęternitatis, vel mortis & interitus eſſet. vt & obedientiæ premia merita à ſe petere poſſet, & de pœna præuaricationis accuſare eum non poſſet. Nam vt ſi vi & neceſſitate aliqua Deo obediſſet, nullam laudem, nullam gloriã, nullum premium petere poſſet, quod voluntarie agentibus debetur: Ita nec peccati pœnas iuſte ſuſtineret. Atq; ita fieret, vt iuſtitiæ ignarus fieret, quæ & rectè factis premia largitur, & peccantibus ac præuaricantibus diuina mandata, pœnas meritas irrogat. Ne igitur conqueri homo de ſuo authore occaſionem haberet, quod vel premia obedientiæ coactæ ſibi non redderentur, vel inobedientiæ & præuaricationis non ſua ſponte, ſed neceſſitate ſibi impoſita perpetratæ, iniuſtas ſuſtine-

ret pœnas:placuit optimo illi vniuersi tatis rerum opifici, propriæ voluntatis habenas, inquit Cyrillus, illi permittere, vtque in id quod quisque vellet spontaneo motu ferretur, potestatem illi dare: voluntariam enim nō necessitate quadam inhærentem virtutem conspici oportet, neque ita legibus astrictam, vt excidere non posset: voluntaria enim vel laudantur vel damnantur à Deo: voluntaria oris sui Dauid commendat Deo, voluntariè se sacrificaturum ei promittit, non quid fiat, sed quo animo & qua voluntate quid fiat Deus spectat: nec in vitam virtutem ornat nec vi expressa peccata punit. Posita igitur lege, primo illi homini liberam voluntatem illi reliquit, ac neutram in partem eam impulit, inter ignem & aquam, inter mortem & vitam eum statuit, vt quam vellet in partem se ipse sua sponte verteret, quò vellet suo arbitrio deligeret, quò vellet manum extenderet. Ac ne homo ille ab officina recens & rerum inexpertus, nullum discrimen esse inter obedientiam legisque ob-

ser-

ſeruantiam & præuaricationem putaret, quid vtrumque conſequeretur pro ſua bonitate Deus admonuit, ſeruati præcepti & legis à ſe datæ, premium vitam æternam & beatam eſſe docuit: contemptus verò & præuaricationis, mortem miſeram & luctus plenam demonſtrauit, vt & ad obediendum ſpe premij amplissimi eum alliceret, & à præuaricatione & contemptu mandati ſui, ſupplicij acerbitate deterreret, ac ita nullam de ſe conquerendi occaſionem, homini illi arbitrio ſuo & voluntati liberæ relicto, relinqueret. Non enim dicere poteſt, ſe vel premium legis ſeruatæ, vel pœnas deſertæ & violatæ ignoraſſe, ac ſibi non prædictum eſſe. Atque equidem homo cum hæc audiret, videbatur diuinum præceptum & conſilium amplecti, abſtinuit à fructu arboris vetitæ, quem videbatur nunquam deguſtaturus: obſeruabatur illi ante oculos mors illa, quę eſum fructus eius ſequeretur, vitam beatam expetebat, in eam toto ſtudio conuerſus erat. At verò teterrimus

ille & perpetuus humanæ naturæ hostis, vt primùm vidit hominem tantis bonis à Deo cumulatum, atque vt in suum suorumque locum, vnde superbia exciderat, succederet à Deo factũ esse, vehementer indoluit, inexpiabile odium & inuidiam aduersus eum cõcepit, occasionemque eius à Deo auertendi, cursumque suum impediendi cogitare & quærere nõ destitit, in hoc vno scelere totus erat, vt tam elegans opificium Dei deformaret, euerteret, & perderet, ac vel hoc modo deo conditori suo molestus esset Neque enim sceleris à se admissi scelestum hunc pœnitebat, non supplex Deo suo erat, nõ veniam facinoris petebat, sed tanquã rabidus canis in suum Dominum impetum fecit, omnia ab illo facta si vires supperterent, statim euersurus. Nõ deerant illi satellites spiritus nequam, qui furorem eius alerent, consilia fouerent, & ad euertenda ea quæ Deus condiderat, ornauerat, & stabilia æternaq; esse voluerat, incitarent. Et quoniã hominẽ pulcherrimũ, & imaginẽ Dei referentẽ, & mundi huius sensilis

Homo deceptus.

Malitia diaboli.

Satellites Sathanæ.

Do-

Dominũ viderẽt:cõſtitutus.n erat, vt in terra & in omnib.quæ in ipſa sũt reg nũ obtineret: erat.n. formoſus, factus namque erat ad imaginem exemplaris pulchritudinis: erat aut impatibilis natura, imitator enim erat eius qui eſt impatibilis. Dicendi autem libertate plenus erat ac fiducia, vt qui facie ad faciem cum Deo ei apparente loquendi voluptate ſe expleret, in hunc vt primum impetum faceret hortabantur, vt eo euerſo mundi huius princeps fieret. Placuit conſilium: homine enim ſtante, & domino ſuo adhęrente, nullam principatus ſpem videbat: eo capto, & ad ſe traducto, ſe imperio mundi huius facile potiturum non dubitabat Huic igitur bellum inferre decreuit Quod quoniam ſi aperte inferret, nihil acturum ſe videbat. Cum eũ intra præſidia Dei, cuius potentiã ſuo caſu expertus erat, ſtare videret, & diuina benedictione, cuius vis potentior quàm ſuæ vires eſſent, munitum, & tanquam thorace indutum cerneret, ad dolum & fraudem conuerſus, occaſionem quærit, vt ex præſidijs DEI &

Vide Greg. Niſſ. orationem Catechiſticam & Cyrilli cont. Antropomorphitas.

Diabolus nõ apertè hominem oppugnat.

quaſi è ſinu eũ auelleret, & in ſuas partes traduceret: hoc vno facto totum negocium confecturus. Neque enim homo deſtitutus ope Dei, & extra eius præſidia poſitus, eius potentiæ quam conditori ſuo Deo opponere non dubitauerat, reſiſtere poterat. Hoc igitur machinatur, hoc vnum agit, vt eum abducat à potentia, quæ eum corroborabat ac conformabat, vt ſuis facilè pareret inſidijs. Nam quemadmodum cum in lucerna ignis elichnium apprehenderit, nec flatu quiſpiam poſſit flammam extinguere, oleo aquam miſcet, & ea ratione debilem flammã reddit & euanidam: ita, inquit Gregorius Nyſſenus, aduerſarius, cum libero arbitrio viciũ immiſcuiſſet, effecit vt quodãmodo extingueretur benedictio, qua deficiẽte ꝑ ea ſubijt contrarium. Aduerſatur autem vitæ quidem mors, viribus imbecillitas, benedictioni execratio, fiduciæ pudor, & omnibus bonis ea quæ intelliguntur ex contrario. Propterea homo nunc eſt in malis præſentibus, cum illud principium talis finis argumentum dediſſet

& oc-

& occaſionem. Cum igitur hoſtis ille hominis ad occaſionē huius facinoris intentus eſſet, videt Deum legem homini impoſuiſſe: ne arborem ſcientiæ boni & mali attingeret præcepiſſe: & vt à fructu eius ſe abſtineret conſilium dediſſe: ita tamen legem illam tuliſſe: vt libera voluntas homini relinqueretur, eiuſque arbitrij eſſet, ſeruare repudiaréve mandatum illud & legem Dei. Aggreditur igitur illam eius libertatem, non armis, non bello aperto vt diximus, verum dolis & fraude: ſerpentem ingreditur, alienam faciem ſumit. Nam ſi ipſe in ſua illa iam deformata ſpecie, & damnata hypoſtaſi veniſſet: non dubitabat hominem conſilia ſua repudiaturum: & vt hoſtem à Deo damnatum vitaturum: nullam fidem ſuadenti habiturum. Non in ſua igitur illa iam damnata & fœda hypoſtaſi hominem aggreditur, ſed ſerpentis formam induit: atque vt amicus ſeruuſque hominis obediens accedit, officia, obſeruantiā, beneuolentiam erga illum iactat ſuā: parebant enim tum omnia animalia & rep-

Artes Sathanæ.

& reptilia terræ homini, vt quæ à Deo imperio eius ſubiecta eſſent. Et quoniam Adamum virum prudentẽ & fortem, mulierem verò infirmiorem, & gloriæ voluptatumque cupidiorem eſſe videbat, miſſo Adamo & tum alio in loco demorante, mulierem aggreditur, ad fructum vetitum ducit, pulchritudinem eius dilaudat, saporẽ prędicat, vt eam cupiditate eius incendat. Conſentit illa, fructum illum & pulcherrimum aſpectu eſſe, & ſaporis ſcitiſſimi non negat, verùm ſibi non licere ex eo vel deguſtare per eam legem, quam Deus Adamo poſuerit: ac non ſolum mandati Dei obſeruandi religione ſe teneri, verum etiam mortem, quæ illius fructus eſum ſequeretur, & in ea venuſtate eius lateret, metuere. Quod ille cum audiſſet, mulieremque deſiderio fructus vetiti teneri ſentiret, ſolumque metum mortis denunciatæ, quominus eo veſceretur, ac à mandato Dei deduceretur, obſtaculo eſſe videret, ſcrupulum illum alia fraude amouere aggreditur, metum omnem illi excutere conatur, Deum calumniatur

Cur mulierẽ aggreſſus Sathanas.

atur

atur, ac quo consilio legem illi posuerit, credulæ mulieri interpretatur, ac non à beneuolentia & amore Dei illam legem, sed ab inuidentia eius profectam esse mentitur, Deum & inuidũ & mendacem asserit: non mortẽ quã mulier fugeret latere in eo fructu: sed scientiam & cognitionem illam rerũ abditarum, quæ vitam beatam efficiant, inclusam esse, morsuque solo illã eliciendam, ac vna cum fructu deuorãdam fingit: quam scientiam quod Deus homini inuideret, quod ea sola eo superior esset, vetuisse ne eum fructum vnquam attingeret, ne eo gustato, scientiam, qua sibi exæquaretur, ad paremque maiestatem ascenderet, cõsequeretur: non beneuolentiæ illud consilium Dei esse, sed inuidentiæ. Ita mulier misera & voluptate quam edẽdo sperabat, & sciẽdi omnium rerum cupiditate, parisq; honoris cum Deo conditore suo ambitione decepta, & sua fraude capta: Sathan maiora molitur, virum quem species illa serpentis non fefellisset, per eam ipsam mulierẽ aggreditur non syncere Deum secum agere

Mendacia Sathanæ.

Adamũ quomodo aggrediatur serpẽs.

agere contendit:quam illi felicitatem & ſapientiæ altioris, ornamenta inuiderit narrat : ac eo rem deducit: vt maritus ille, rem ita ſe habere credat: mulieris factum probet : & repudiato Dei præcepto, legem, qua ſuam libertatem arctari putabat calcat, intrepidè fructum illum arripit ac deuorat. Mox mortis leges ſubiturus, Sathanæque iugum collo ſuo impoſiturus, ſeruúſque eius ac fœdum mancipium pro alumno Dei pro domino mundi futurus. Sic ille ſerpens ac teterrima beſtia non homini tantum illuſit, ſed etiam Dei maieſtatem oppugnauit, crimen inuidiæ & mendacij ei impegit, ac imaginem illam virtutū eius, quæ in homine eluceret fœdare auſus, bonitati eius in hominem, inuidiam, quæ maliciæ fons eſt : veritati mendacium opponens, ac virtutes eius in contraria vitia vertens : Hic eſt enim eius conatus, hæc vna voluptas, vt regnum Dei euertat:vt ea quæ ille ornat, ſceleribus ſuis obſcæna reddat:mendacijſque ſuis veritatem peruertat.

Deceptum hominem quæ mala consecuta.

CAP. V.

DEcepti homines, & vt pda in casses diaboli cōiecti, q̄ verus fuerit serpens ille, statim agnoscunt. Vident se fraude eius captos, recordantur præcepti diuini, & suam temeritatē damnāt. agnoscunt suam deformitatē, nuditatem ac turpitudinē, qua vt cœno corpora sua fœdarētur: cernunt in mēbris suis aliā legem, quā ante esset, excitari: rationi & consilio affectus suos nō obtemperare: libidine ardere, prauisq; cupiditatibus se vrgeri. Quā turpitudinem nō sola ratio improbaret, verum etiam oculi auersarentur, adeò vt non solum alter alterum, sed etiam seipsos erubescerent, & suam miserā conditionem deplorarent, latebrā in qua delitescerent, oculosque diuinos laterent, quærūt: syluā densam vt feræ bestiæ ingrediuntur: folia ficus consarcinant, ac membra sua contegunt. Didicerunt, quid quidē bonū & quid malum esset, sed suo graui incommodo & ruina: fæliciores si ea ignorascēt, Semper abominanda est ea scientia,

quæ

Quæ ſcientia fugienda. quæ miſeros reddit, quæ non exornat animum, imo deformem vna cũ corpore & Dei gratia caſſum efficit. Fælix ignorantia ſcelerũ, fælix peccati. Vna *Scientia fælix.* eſt ſcientia, quæ beatos reddit exornatque animos, Dei conditoris rerũ cognitio, præceptorumque eius obſeruatio. Gentilium ſcientia, quæ eos ad idola & ſacra illa occulta, ad opiniones & ſententias à veritate auerſas, & Deo aduerſas abduxerat, infelix & miſera eſt. Dum hanc venamur, dum ſequimur, veri boni ſciẽtiam Deum ipſum amiſimus, omnium malorum & calamitatis noſtræ magiſtri & artificis, facti ſumus ſerui, multorum peccatorum & libidinum occultarum experimenta quærimus, quæ non ſolũ non ſcrutanda eſſe, ſed nec nominanda, B. Apoſtolus ſuos monuit. Relicta hac igitur improba ſcientia turpitudinis & pudoris perpetui magiſtra, ad veritatis ſcientiam, quæ ſolum bonum eſt, fonteſque beatitudinis aperit, Deum ipſum & mandata eius ſcrutemur, in eius cognitionem venire cõtendamus, ac imagini eius conformes fieri enitamur

mur. Transgresso igitur præcepto Dei homo nudus fit, turpitudinem suam agnoscit, quam olim gratia Dei vestitus ignorabat. Sentit non solùm pisces maris, volucres cœli, animantes & reptilia quæ feruntur super terram, sed etiam membra sua sibi non obedire, affectus & libidines, sensusq; corporeos rationi rectè aduersari, & menti repugnare, aliam legem quàm quæ à recta ratione poneretur, sibi condere ac bellum rationi rectè inferre. Videt se pro domino mundi huius corporei, seruum diaboli, & cupiditatum mancipium factum esse: non solùm nō obsequi sibi ea, quibus iussu Dei præerat, verùm etiam impetum in se facere, & occidere conari, & vt hostem conditoris sui auersari, & vindictam cogitare. Neque tamen id iniuria: desciuerat ille à Deo suo, cui colendo factus erat: discesserunt ab eo omnia, quę eius causa creata erant: deiecit ille imperium Dei, excusserunt iugum suum omnia animalia, quæ illi subiecta erant: quæ voci eius nutuique parebant, & quó vellet, sequebātur. Ac non solùm hæc

Inobedientia vnde nata.

Homo peccato admisso mancipiū cupiditatū fit.

Pugna membrorum hominis.

vt diximꝰ, verùm etiam membra eius non obediunt illi: Caro militat aduersum ſpiritum, ſpiritus carnis affectibus & libidini aduerſatur. Caro in libidines & in omnia mala inuitis nobis, & ratione recta reclamante ruit, & nolentes nos ad interitum cum ſua ſumma voluptate trahit. Ita homo ille, qui mundi dominus & Rex conſtitutus erat, ne affectibus quidem ſuis moderari poteſt, & deteriori parti libidinibuſq; carnis ſubiectus, pronus, præcepſque in ſuum interitum fertur, fruſtra ratione recta ſpirituque ſuo reclamante: ita factum, vt qui ſecundum Deum primum gradum potentię, Dei beneficio conſecutus erat, qui cæteris præeſſe iuſſus, adeò infirmus & impotens eſt, vt nec ſua membra motuſque libidinis frenare queat, & imagine illa Dei, ſimilitudineque ad quam conditus erat, quę in eo elucebat, ita exutus, vt beluis etiam deteriore conditione eſſet. Pro potente imbecillis, pro domino ſeruus, pro ſapiente ſtultus, pro bono malus, pro miſericorde crudelis, pro iuſto iniuſtitiæ & tyrannidis mi-

minister factus, & imaginem illam DEI, & si non prorsus amiserit, ita tamen cœno malorum, & diaboli fraude defœdauit, vt vix in eo vestigia eius compareant. Debilitatæ in eo virtutes illæ diuinæ, quibus ornatus erat, languet illa eius libera voluntas, qui erat liberi arbitrij: Qui in omnes partes cùm vellet se flecteret, vix nunc ac nisi Dei auxilio præsente, aliquam partem honesti & boni eligere, peccato in corpore eius regnante, & ad deteriora etiam nolentem rapiente queat. Vno verbo dicam, seruus mundi, mancipium Sathanæ factus. Hic enim seducto illi & à lege Dei desciscenti, manus iniecit: pro imagine Dei suam illam fœdam faciem, & scelerum formas omnes ei impressit, similitudine viciorum suorum, superbiæ, crudelitatis, homicidij, & aliorum, induit, ac veluti Mascaratam suã faciem, ex omni turpitudine & sceleribus compositam, faciei illi veræ & imagini Dei iniecit, vt prorsus similitudinem illam diuinæ naturæ, quæ in eo elucebat, obtegeret, ac cęno illo suo fœdissimo, pi-

Liberũ arbitriũ peccato informatũ.

Similitudo Sathanæ homini impressa.

ſturam illam Dei & imaginem viuam obliniret, defœdaretque, ac ita eneruaret, ita oneraret, obrueretque, vt nullo modo tanto ponderi deijciendo, & ſe eo exonerando, par eſſet. Hęc fraus illa ſerpentis operata eſt, hāc tetram faciem præuaricatio homini induit.

Imaginem Dei hominem præuaricatione ſua, non omnino perdidiſſe, nec liberum arbitrium peccato prorſus euerſum eſſe.

CAP. VI.

NEque tamen audiendi ſunt illi, qui hominem lege diuina violata, imaginem illam Dei ad quam formatus eſſet, penitus perdidiſſe aſſerunt. Manſit enim ea imago in homine, etſi ſordibus peccati oblita, ac obſcurata ſit, ſed dicitur homo imaginem DEI & ſimilitudinem amiſiſſe, quod ab iuſtitia Dei diſceſſerit, virtutum cultū deſeruerit, ac Sathanæ maliciam moribus ſuis & vita effinxerit, & quaſi veræ illi faciei diuinæ, quæ in eo eluceret, Maſcaratam diaboli effigiem impoſuerit, ſplendoremque eius adumbrauerit. Neque enim verum

eſt,

est, prorsus illam quam nobis DEVS impressit imaginem, Sathanæ fraude & præuaricatione parentis nostri primi, ita detritam & abolitam, vt nulla in ea lineamenta externa remanserint, inquit D. Augustinus. Nam & in ipsa impietate, illisque qui veram Dei cognitionem non habuerunt, totosque ad imaginem mundi huius & principis eius se composuerunt, tanquam luna per nebulam splendebat: quod Paulus non obscurè docet, cùm ait: Gentes quæ legem non habeant, ea tamen quæ legis sunt naturaliter facere, & sibi legem esse, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis cōscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Hi enim legem, non quam homo illis posuerit, sed quam Deus mentibus eorum, vt imaginem suam impresserit, sequuntur: iustitiam sectantur, vitia puniunt, ac detestantur. Hanc enim legem illis conscientia dictat, iusta & honesta suadet, iniquitatem & omnem turpitudinem reprehendit. Non penitus

Cap. 26. de spirit. & lit.

Rom. 2.

tus igitur imago DEI in homine per præuaricationem & peccatum detrita: manent eius non obſcura veſtigia. Nulla gens eſt tam effera, quæ iuſtitiam omnino exterminet, omnemq́ue eius curam abijciat. Nemo eſt ita barbarus, ita efferus, qui aliena calamitate nunquam commoueatur, nunquam afflictorum miſereatur, cuius viſcera nunquam commoueantur, qui nulli prodeſſe velit, in quo aliqua veſtigia virtutis & iuſtitiæ non cōpareāt. Nam quod dicunt, liberum arbitriū, in quo multum diuina imago elucebat, in homine, peccato Adæ penitꝰ extinctum,
Gen.8. noſq́; nihil arbitrio noſtro agere poſſe, nec in noſtra poteſtate poſitum, vt meliora ſequamur, deteriora fugiamus, id totum vt impium, ita mendax eſt. Etſi enim cogitatio noſtra & ſenſus noſtri proniores ſunt ad malum,
Mens malo reſiſtit ſua natura. mens tamen videt & ſuadet meliora, nec rarò eius conſilium homo amplectitur: iniuſtitiam fugit, æquitatem ſequitur. Quod etiam in Gentibus illis apparebat, quos PAVLVS, quæ legis ſunt, ſine lege facere dixit. Quæ

etsi ad omnem iniquitatem, consilio sui principis Sathanæ raperentur, meliora tamen eligerent, & sponte sua eam iustitiam, ad quam seruandam Iudæum lex vrgebat, amplecterentur. Fatetur Ecclesia quidem liberi arbitrij vires multum debilitatas peccato esse, nec vi sua quicquam boni aggredi posse, nisi gratia diuina iuuante, & quasi ægrotum alleuante, vim tamen vllam fieri ei negat: Spiritus enim sanctus, qui mentes nostras ad pietatem, & ad omnem iustitiam excitat, volentes & consentientes ducit, *Volentes Deus ducit.* Nam vt oculus, nisi Solis lumen accesserit, videre non potest, ita nisi lumen spiritus sancti, & DEI auxilium mentem nostram illustret, calefaciat, excitet, & ad omnem pietatem vocet, ignaua in tenebris delitescit: & cùm ad malum sit prompta, ad bonum infirma & insufficiens est. Neque tamen statim & semper lumen gratiæ DEI amplectitur, nec vi eius ad rectè agendum rapitur, sed vt oculus, etsi radijs Solis feriatur, si lucem oderit, aut palpebris obiectis, aut fene-

ſtris clauſis eam excludit, in tenebris manet. Ita voluntas noſtra, etſi poteſt meliora eligere & ſequi, illuceſcente in cordibus noſtris ſpiritu ſancto, & gratia Dei nos prouocante, tenebras tamen peccati magis amat, lumen illud gratiæ Dei excludit, & Deum manum ſuam illi porrigenti refugit, ac quod deterius eſt, antefert. Non quia igitur infirmum eſt liberum arbitriũ noſtrum, nullum eſt, ſed quia infirmũ & peccati mole onuſtum, & quaſi attritum, Dei auxilio, ſpiritus ſancti gratia, cuius ope excitetur, roboretur, & ad meliora accendatur, opus habet: nec quia opus Dei ſubſidio habet, propterea nullam libertatem ei relictam eſſe dicendũ. Nam vt infirmi etſi morbo grauantur, vitam tamen retinent, quamuis ſuis viribus, quó vellent tendere non poſſunt, manibus tamen ducentis innixi, quo deſiderant, veniunt: ita infirmum quidem eſt liberum arbitrium, at firma manus DEI, & robuſtus ſpiritus ſanctus, cuius digito infirmitas illa liberi arbitrij leuatur. Sed de libero arbitrio & Doctores ſancti mul

Gratia Dei liberũ arbitriũ firmat.

ta di-

ta dixerunt, ac euerſores eius penitus euerterunt, & Concilia eum errorem damnauerunt, & hoc caput ſerpentis Deum calumniantis, & libertatem noſtram appetentis, ſuis diſputationibus obtriuerunt. Quod niſi Martinus Lutherus erexiſſet, ac Deum calumniari voluiſſet, peccata noſtra ei, quæ Sathanæ opus ſunt, accepta tuliſſet, nullam de ea materia quæſtionem haberem⁹. Per hunc vnum ſerpens ille, in faciem Dei virus ſuum euomuit, crudelem eſſe, qui cum nos peccare cogat, acerbis ſupplicijs afficiat, ac ſuum facinus in nobis damnet, mentiens. Cui calumniæ alio loco, ſi ita Deo patri omnium miſericordiarum videbitur, reſpondebimus. Nunc quod cœperimus perſequamur, ac imaginem DEI in nobis non funditus euerſam eſſe, demonſtremus. Conſtat equidem imperium illud, quod Deus homini in cunctas animantes dedit, quodque imaginem & ſimilitudinem Dei in homine vel præcipuam eſſe, grauiſſimi Doctores Auguſtinus & Chryſoſtomus conſtanter & grauiter aſſerunt, hominem nõ

Lutherus liberũ arbitriũ euertit.

prorſus amiſiſſe: nos enim bobus, nos equis, nos canibus, ouibus, capris, & cæteris domeſticis, vt libuerit imperamus & vtimur, & parere non planè inuitè cogimus: Nam quod ad feras beſtias attinet, etſi illæ rebelles ſint, & in nos plærunque præuaricatione noſtra in Deū offenſæ deſeuiant, agnoſcimus tamen & in illis imperij noſtri reliquias: metuūt voces noſtras, fugiunt aſpectum. Et quanquam viribus nos ſuperent, ratione tamē & prudentia noſtra ſuperantur, capiuntur, & vſum ſui nobis præſtant. Neque ratio viſque intelligendi nobis erepta, manet integra eius ſubſtantia, niſi quod caligine quadā ex peccato & præuaricatione orta obſcuretur, corporeis affectib⁹ perturbetur. ac de ſuo ſtatu nō raro detrudatur. Nihil dico de cæteris virtutibus, quæ non obſcurè in hominum natura etſi non eluceant, lucent tamen: Non extincti ſunt illi nobis virtutum & honeſtarū actionum igniculi, quos etiam gentiles agnoſcunt, quos exercitatione excitari, & ad ſummum perduci te-

Non omnino hominem perdidiſſe imperium in beluas.

Vt ſcribit Epiphanius ad Joannem Hieroſolimitanum.

ci testantur, quanquam contrarijs vicijs ea obrui sæpè non negent. Nam quod Origines & Augustinus ac alij viri graues, interdum scripsisse reperiantur, hominem prçuaricatione mandati diuini, imaginem DEI perdidisse: id non ita accipiendum, quasi illi prorsus ea nos exutos esse sentiant, sed quod vitijs oblita, & cœno peccati tecta iaceat, neque ita vt in statu illo innocentis vitæ, splendeat. Quemadmodum dicimus hominem perijsse, qui in graue periculum inciderit, non quod perierit, vitamq́ue amiserit, sed quod morti proximus sit, quod in graui periculo positus versetur. Neque Augustinus alijsq́ue Catholici doctores ita à se discesserant, vt quod alibi constanter docerent, alio loco impugnarent, & suam sententiam euerterent Non sic igitur accipienda sunt Augustini & aliorum verba, cum aiunt, perdidisse hominem imaginem Dei peccato, tanquam totam obtritã, radicitusq; conuulsam assererent, nulaq́; eius vestigia in nobis remansisse sentiant, sed quod caligine peccati ita adum-

Lib. 2. retra. cap. 24.

Amissam imaginem dei quomodo accipiendũ est.

adumbrata ſit, vt vix appareat, & ſub cortice peccati lateat. Nam quemadmodum Regis effigies nummo impreſſa, ſi in cœnum deiciatur, inquinatur quidem, non tamen aboletur: ita imago Dei in homine, crimine quouis deformatur, non tamē prorſus tollitur, & ſæpè videmus egregiè expreſſas rerum formas, cœno ita obrui, vt perijſſe videantur, & dicantur, quæ tamen ſub illo cœno maneant, ac reformatę ſordibuſque purgatæ ad ſuum ſplendorem redeāt. Teſtatur non obſcurè ſacra ſcriptura, etiam in perditis, in peccatorum cœno hęrentibus, ac nefandiſſimis ſceleribus obrutis hominibus imaginem Dei manere Audimus apud Moyſen Deum dicentem:
Gen. 9. Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis eius: cuius ratio ſtatim redditur: quod ad imaginē dei factus ſit homo. Sciebat deus hominem illum eſſe, qui in ſe præuaricatus fuerit, q imaginē ſuā peccato fœdauerit, nihilo ſeciùs tamē, hominem ad imaginē Dei creatū eſſe ac imaginē illā poſt admiſſū pęccatū in eo hærere ait:

Et prop-

propterea eum, qui hominē occidat, puniendum esse, quod imaginem dei cæde illa patrata euertit. Et Iacobus vetat maledicere homines ob eam rationem, quod ad imaginem Dei creati sint. Videbat Iacobus in ea se tempora incidisse, quibus homines pessimi essent, qui creatorem suum crudelissimè occidissent, infinitis sceleribus obruerentur, prohibet tamen maledicere eos ne imago Dei in eis violetur, ne Deo, cuius imago essent, maledicere videamur. Non extinctam igitur imaginem in homine per peccatum credere debemus, sed tantum labefactatam, sordibusque peccati oppletā. Cum enim peccatum irrepsit, characteres similitudinis eius cum Deo, nō amplius illustres ac splendidi in nobis permanserunt. Vnde videtur multis & magnis viris similitudinem tantū non imaginem Dei, hominem peccato suo amisisse, quam filius Dei & verbum patris, homo factus, per suam iustitiam & sanctificationem reuocatā homini restitueret, cum imaginē semper retinuisset. Iacob. 3.

Diſcrimen imaginis & ſimilitudinis.

CAP. VII.

Volunt enim aliud eſſe in homine imaginem Dei, aliud verò ſimilitudinem. Nam aiūt imaginem Dei in his quæ ad perfectionē & quaſi ſubſtātiam hominis pertineant, conſiſtere: quod genus ſunt imperium in animantes, ſapientia, ratio, iuſticia & cæteræ virtutes à Deo homini communicatæ. Similitudinem verò, in rectè & iuſtè agendo, piè viuendo, & pro viribus contendendo, vt ſimiles fiamus Deo, manſuetudine, lenitate, miſericordia cæteriſque virtutibus. Volunt enim ſimilitudinis nomine pietatis opera intelligi: ſimilitudo enim Dei in agendo & bonis operibus noſtris elucet. Quam tamē diſtinctionē Cyrillus non probat, & acuratè refellit, prorſuſque idem eſſe, imaginem & ſimilitudinem hoc loco cōtendit, cuius verba in eo libro, quē cōtra Antropomorphitas ſcripſit, hæc ſunt: Siquidem inter ſe diuerſa eſſe dicunt, ad imaginē & ad ſimilitudinem, doceant differentiam: Noſtra enim ſententia eſt, nihil aliud

Quid imago.

Quid ſimilitudo.

aliud ſignificare ad imaginem, quàm ad ſimilitudinem, & ſimiliter ad ſimilitudinem quàm ad imaginem: ſimilitudinem verò cum Deo nacti ſumus in prima creatione, & ſumus imago Dei. Hæc Cyrillus; Nos ea controuerſia alijs ad iudicandum relicta, quomodo ſiue amiſſa, ſiue deformata imago illa Dei, recuperanda nobis ſit, videamus.

Reformatio hominis.

CAP. VIII.

SVa ſponte ſciens & prudens homo ĩ laqueos ſe diaboli induit, ſua ſpõte imaginem Dei cœno Sathanæ defœdauit, ac ſimilitudinem creatoris ſui exuit, liberum illi erat vitam mortémue, in quarum medio liber ſtabat, deligere. At cum ſemel alteram elegiſſet, omnis libertas illa eius, ac ad alteram eam partem quam repudiauerat, redeundi poteſtas adempta eſt ei; mors ſemel appetita deponi nõ potuit, Non enim, inquit Diuus Auguſtinus, ſeipſum reformare potuit, ſicut potuit deformare. Nam quemadmodum illi qui in puteos altos ſua ſpon-

Homo ſua ſponte in laqueos incidit

De Trinit. cap. 14.

ſponte ſe demittunt, & nullo impellente præcipitãtur, niſi auxilio aliorũ inde euadere nequeunt :ita homo ille ſpõte ſua in inſidias diaboli ingreſſus, nec vi inde erumpere, nec conſilio vllo laqueos eius exuere potuit, captus & ligatus, carcerique tetro incluſus, *Aeneid. 6.* vectes inferi effringere nõ potuit, Facilis eſt deſcenſus auerni, inquit Poeta, ſed reuocare gradum, ſuperaſque redire ad auras, hoc opus, hic labor. Facile potuit deponere diuinam illam effigiem homo, facilè ſe immergere cœno Sathanæ; recuperare veſtem reiectã, & ſordes illas tenaces, quibus oblitus erat, abluere nulla ratione ip ſe potuit. Alio opus erat, qui ſordes illas eius dilueret, qui laqueos diſſolueret, & è tam alto puteo in auras pertractum, in ſuum locum reſtitueret.

Idem reformator hominis, qui conditor eius fuit.

Quod qui poſſet, alius eſſe non poterat, præter illum per quem conditus, animat9, & multis beneficijs ornatus erat. cuius præcepto & bonitate vltrò repudiata, Sathanæ ſe mancipauerat: eiuſdem enim eſt qui formauit, deformatum reformare. Vt per fili-

filium ſuum Deus mundum fecit: ita per eum ipſum filium, corruptum & deformatum refecit. Liberum eſt homini peccare, & mortem ſibi inferre. Multi ſunt qui ſeipſos vel vulnerant, vel occidũt, qui ſeipſum ſanet, vitamque per ſe recuperet, nemo eſt, medic⁹ & reformator alius quærendus eſt. Vidit homo ſe captum, quo ſe verteret non inueniebat, vt fera in laqueo Sathanæ captus tenebatur, Dominum quem contempſerat præ pudore fugiebat, in cõſpectum eius prodire, auxiliumque implorare non audebat, non ſolùm timore præuaricati mãdati, ſed etiam turpitudinis ſuæ pudore vrgebatur. Sed Deus miſericordiæ ſuæ non oblitus, vt ſua maior in hominem ſua ſponte perditum eniteſceret bonitas, vltrò in hortos deſcendit, Adamum latitantem, & tum metu, tum pudore aſpectum ſuum fugientem, euocat, & iuſta in eum ſententia pronunciata, ſolacium miſero adhibet, opem ſuam, filium ſuum eius captiuitatis & participem & euerſorem promittit: Quod niſi faceret, nunquam homo & liber-

Homo peccãdi liberã poteſtatem habet.

Deus capti hominis miſertus.

Meßias promiſſus.

D tatem

tatem amissam, & pulchritudinẽ imaginemq́; diuinam, secundum quã creatus erat, recuperasset; solius filij Dei hoc opus erat: ille solus & vincula Sathanæ cõfringere, & imaginem deformatam emũdare in nobis potuit, idq́; non quouis lauacro, sed sanguinis sui, quem pro nobis effudit; tantæ molis erat, humanam reformare naturã. Non auro & argento, non gẽmis, sed morte acerba, & sanguine precioso filij DEI redempti reformatiq́; sumus. Hoc tanto precio libertatem amissam recuperauimus, & ex reis iusti in conspectu Dei patris facti sumus. Hic est, semen illud Euæ promissum, quod super caput serpentis constitit, quod vires eius obtriuit, quod nos Deo patri reconciliauit, qui semetipsum redemptorem pro omnibus dedit, qui medius stans inter nos & Deum patrem, iram eius placat, & Sathanę cœno vultui nostro deterso, imaginem illam quam nobis ipse impresserat, patris ostentat, vtq́ue nostri sui figmenti, suæ imaginis recordaretur, precatur, ac perpetuò pro nobis interpellat.

Christus mediator.

Refer-

Reformatio hominis operosior conformatione ipsa.

CAP. IX.

NON eadem tamen ratio reformandi hominis, quæ formandi fuit: multò plura ad reformationem, quàm ad creationem requirebantur. Facilius enim nouum hoc op⁹, & quasi ædificium construi poterat, quã collapsum erigi & instaurari. Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostrã: non angelos, non alias creaturas ad eam structuram euocans, sed seipsum in tota Trinitate personarum alloquens: Non enim alicuius ope in creando homine, quemadmodũ & mundo vniuerso condendo opus habebat. Ipse per se omnia creauit, dixit & facta sunt, mandauit, & creata sunt: statim vt dixit, Producat terra herbam virentem, herbæ natæ sunt. Finxit hominem de limo terræ, & inspirauit illi spiraculum vitæ, statim figmentum illud, ac puluis ille factus est in animam viuentem. Solus DEVS hominem absque vlla ope & eius ipsius hominis & cuiusquam

Deus quem alloquitur dicens: Faciamus hominẽ.

alterius fecit, ſolus homo ſeipſum perdidit, & dignitatem ſuam euertit, ſolus Deus vitæ noſtræ author, ſolus homo mortem ſibi conſciuit. Vt DEVS hominis ſubſidio dum eum crearet, non egebat: ita homo abſque Deo ædificium illud Dei pulcherrimum, & omnibus numeris abſolutum, imagine diuina exornatũ, vna præcepti præuaricatione corrupit, ac in mortis vincula ſe præcipitauit. Et creatio igitur & lapſus hominis, reformatione eius multò facilior erat. Neque enim ſolus homo abſque ope Dei priſtinum ſtatum recuperare, & morbum ſua temeritate contractum curare potuit: nec Deus abſque hominis conſenſu & voluntate, priſtinæ dignitati eum reſtituere voluit, ſuæ voluntati & potentiæ volũtatem hominis adiungi volebat: Neque enim Deus quẽquam inuitum perire, neque ſaluum facere vult: & ab interitu quidem ſæpè etiam nolentem retrahit, ad ſalutem verò nonniſi volentem & ſe vltrò ſequẽtem ducit: neque enim voluntatis illius libertatem auferre vnquam voluit: voluntariè & non

Deus hominem non reformat ſine homine ipſo.

non ſolùm nos non impellente Deo, ſed etiam reuocante perimus, ac Sathanę & morti vltrò manus tradimus, voluntariè ad vitam redimus, non tamen viribus noſtris, ſed Deo ducente, infirmas vires noſtras roborãte, & nos iacentes erigente, ac manum bonitatis & potentiæ ſuæ porrigente. Vt magna ædificia vetuſtate & vitio corrupta, ſuo pondere impellente nemine labuntur: ita nos ad vitia inſtante nemine, & ad interitũ noſtrum præcipites ferimur, nulla diuina vi, nulla neceſſitate nos vrgente, noſter proprius interitus & ruina hęc eſt. Vt vitioſa domus abſq; opera architecti labitur: ita nos abſque architecto noſtro Deo, præcipites ad interitum noſtrum labimur. Vt lapſum ædificium, niſi architecti ope non reformatur, ita nos abſque prę-ſidio & auxilio Dei conditoris noſtri, non ſolùm reſurgere & priſtinæ integritati reſtitui, ſed nec conſiſtere vllo tempore poſſumus. Illius beneficio ſumus quicquid ſumus, eius ope conſeruamur, eius viribus greſſus noſtros firmamus, ac manui eius innitimur: qua

Vires hominis infirma.

Simile.

vel minimum retracta & à nobis abducta, non secùs quàm lapis manu emissus, deorsum ferimur. In ipso sumus, viuimus, mouemur, absque eo ne momento quidem consistere possumus. Non est, inquit Paulus, volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Nemo suis viribus consistit, nec velle, nisi misericordia Dei excitetur, nec ingredi excitatus, nisi ope diuina gressus eius firmentur, potest. Deus est qui aspirando corda nostra præuenit, Deus qui adiuuãdo prosequitur, qui excitat, qui ducit: excitat torpentes, ducit volentes, & se vltrò sequentes, reluctantes nulla vi cogit. Quicquid boni in nobis est, Dei est: non quod sine nobis totum fiat, sed quod sine eo non fiat. Totum quod benefacimus, Deo tribuimus: non quod nihil ipsi faciamus, sed quod nihil sine eo facere possumus. Inquit D. Augustin. Malum quidem totum nostrum, non Dei est: bonum Dei quidem totum, non sine tamen nobis. Deus quidem agit in nobis, vt & velimus & efficiamus, ex eo omnis nostra sufficientia, Deus est, inquit

Act. 17.

Rom. 9.

quit Paulus qui agit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis. Ostendit Paulus & velle & perficere nostrũ à Deo promanare: sed mox addit: pro bona voluntate, indicans: gratiæ illi Dei, quæ & voluntatem & potestatem benè agendi in nobis excitat, voluntatem nostram & consensum, bonumque animi nostri propositum, accedere debere. Proinde hortatur, vt salutem nostram operemur: quod non faceret, si non esset in nobis positum, vt eam operari possemus. Ne tamen totum id nostrũ putemus, quod à Deo vt ex fonte promanat: inquit, cum metu & tremore vestram salutem operemini: Cũ metu ne destituamur gratia Dei, quę excitat in nobis & velle & perficere, quæ si abfuerit, statim reueremus. Vidit hanc infirmitatem nostrã Deus, vidit nos qui sine eo prolapsi fuimus, absq; ope sua reformari non posse, nec serpentis volumina qbus constricti tenebamur, dissolui posse. Qui tametsi temeritati nostræ iustè irasceretur, quoniã tamẽ figmentũ suũ nos esse agnoscebat, & misericordię suæ obliuisci

2. Cor. 3.

Philip. 2.

non poterat, auxilium nobis non leue constituit, filium suum vnigenitum, per quem & nos & omnia creauit, in mundum vt primo homini promiserat, misit: qui Sathanæ vires euerteret, serpētis illud improbum caput, quod homines decepit ac planè deuorauit, contereret, mortis, in cuius potestate tenebamur, vincula euerteret, chyro-
Col. 2. graphum eius deleret, ac nos ad pristinam illam dignitatem & mūdi imperium reduceret: Sic enim Deus dilexit
Ioan. 3. mundum, vt filium suum vnigenitum pro eo traderet.

Qua forma indutus Dei filius quibusque armis instructus in hunc mundum venit.

CAP. X.

NEc filius Dei qui est CHRISTVS IESVS Dominus noster voluntatem patris sui neglexit: quod ille volebat, cupidè suscepit, iubenti patri paruit, ac absque vlla tergiuersatione re-
Psal. 39. spondit: Ecce venio, scriptū est de me,
Philip. 2. vt faciam voluntatem tuam. Nec exhorruit fortunam hominis, cōditionē eius recepit, formam serui induit, patre hoc ab eo poscente, seipsum exinaniuit,

niuit, obediens ei vſque ad mortem, mortem autem crucis, factus. Neq; illum mouebat ea humilitatis & ſeruilis conditionis ſpecies: nihil aliud ſpectauit, quàm vt Deo patri ſuo, cui homo rebellis fuit, obediret. Exuit igitur ſe maieſtate illa diuina, & vt Paulus ait, exinaniuit ſeipſum, formã ſerui induit, atque hoc modo Sathanæ imperium aggreditur, ac fortem illum armatũ mundi gloria & imperio tumentem, in certamen euocat: non enim ſuperbo illi maieſtatem, ſed humilitatem oppoſuit ſuã, Nec ita in certamen deſcendit, vt mori nõ poſſet, ſed mortale corpus induit, vt moriendo ipſe, & mortem & authorem mortis, principem harum tenebrarum occideret. Itaque in hominis forma, & hominis pauperis & abiecti, in aciem deſcendit diuinitatis ſuæ, quæ in eo corporaliter habitat, lapidibus & baculo armatus, vt nouus Dauid, in hoſtem fertur, caput eius ferit, ac omni armatura expoliat. Videbatur quidem victus cùm caperetur, flagellaretur, crucifigeretur, ſed CHriſtus Dominus tum maximè

Arma CHriſti contra Sathanam.

1. Reg. 17.

Victoria Christi. vincebat, tum cathenas hoſti noſtro iniciebat, ac caput ſerpentis pede ſuo obterebat, mortis imperium euertebat, tũ omnia delicta noſtra nobis donabat, tũ delebat quod aduerſus nos *Col 2.* erat, Chyrographũ decreti quod erat contrarium nobis, tum ipſum tollens de medio illud cruci affixit: in cruce enim illa in qua perijſſe putabatur, expoliauit principatus & poteſtates, & traduxit confidenter, palã triumphans in ſemetipſo. Hoc certamen erat militis noſtri Ieſu Chriſti, cum hoſte noſtro & mundi huius principe. Humilitas Chriſti ſuperbiam Sathanæ, infirmitas potentiam euertit: vicit humilis ſuperbum, obediens Deo patri rebellem, abiectus glorioſum & tumidum proſtrauit, ac ſuo ipſius gladio caput eius abſtulit. De qua ratione victoriæ, quod & Prophetæ & noui teſtamenti ſcriptores multa ſcripſerunt, & totam certaminis ducis noſtri Ieſu Chriſti hiſtoriam depinxerũt, nõ eſt ꝙ multis hoc loco agamus: notum certamen, notiſſimus Dux & triumphator noſter, notiſſima eius arma,

arma, quibus & mortē euertit, & principatus mundi expoliauit, inferni portas deiecit, vitam reuocauit, nosque in libertatem vindicauit, crux illa in qua vt maledictus stabat, tropheum eius est: moriendo vicit, mors eius mortem nostram occidit, vincula eius Sathanæ manibus cathenas iniecerunt. *Tropheum Christi.*

Christum non aliter voluisse cum hoste pugnare, quàm in Cruce.

CAP. XI.

QVare inutilis illa quæstio, vtrum, nec ne, Christus hominem aliter liberum à potestate Sathanæ facere, alioq; modo; q̃ moriendo ei vitā restituere, Chyrographum aduersum nobis delere, imaginem Dei in eo reformare vel potuerit vel debuerit, cum constet Christum mori, & multa in certamine cum principe mundi suscepto, pati oportuisse. Quod cum Prophetæ, multo antè prædixerint, tum verò ipse sæpius apud suos fore denunciauit, maximè cum Hierosolimas ascenderet, cum in hortos vbi caperetur iret, & crucem suam, victoriam suam, *Matth. 18.*

ſuam, deformitatem ſuam, reformationem noſtram, mortem ſuam, vitam noſtram eſſe teſtatus eſt. Oportuit, inquit ipſe rediuiuus, CHriſtum pati, & ita intrare in gloriā ſuam. Gloria Christi Eccleſia eſt, quam reformauit, quā ſanguine ſuo redemptam abluit, & ab omni macula emundauit: reliquerat gloriam maieſtatis ſuæ, exinaniuerat ſemetipſum, formam ſerui, hoc eſt hominis, qui Sathanę & mortis mancipium erat, induerat, ſemen ſe eſſe hominis & ſerui deformati voluerat. Mortis igitur leges ſubire eum neceſſe erat: vt dum eius leges ſubit, omnibus legibus eam exueret: & dum occideretur, occideret eam: dum caperetur: captiuitatem ipſam captiuā abduceret, dum ſe infra omnes abijceret, omnia exuperaret, & abiectam noſtram naturam, ſupra omnes cœlos eueheret, noſque hæredes regni cęleſtis, ac filios Dei redderet: ſua enim humilis illa conditio eſt noſtra gloria, ſua humanitas eſt noſtra diuinitas. Particeps noſtræ humanitatis fieri voluit, vt nos participes ſuæ diuinitatis efficeret, ſua infirmitas eſt

Luc. 24.

Chriſtus mortis leges ſubit

Epheſ. 4.

est nostra potentia, sua mors vita nostra, sua seruilis conditio, regnum nostrum. Descendit vt nos ascendamus, abiecit seipsum vt nos attolleret, seru⁹ factus vt nos liberaret, mortuus vt nos viuamus, peccatum factus, vt nos sanctos redderet: ipse peccatum nostrum parauit, vt nos iustitiam eius portem⁹, qui ipsius liuore sanati sumus. Hæc ratio erat vnica victoriæ CHristi, hic vn⁹ belli gerendi cum hoste modus, prçter quem nullam aliam rationem DEVS pater, qui filium suum ꝑ nobis dedit, cogitauit: & CHristus nullam aliam viam, quàm vt pater voluit ingressus: factus est patri obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Nihil aliud quàm voluntatem patris spectauit, hanc vnam rationem vincendi mundi & principis tenebrarum esse voluit, & docuit, & hunc vnum cursum certaminis nostri, cum mundo nobis esse docuit: crucem nos nostram tollere, & se sequi iubet: humilitatem & modestiam suam nobis commendat: Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde. Pacificus erat, pacem nobis

Esaiæ 53.

Matth. 11.

Ioan. 14.

bis ſuam commendat, à turbis mundi huius nos auocat, cædes prohibet, mundi deſideria damnat, relinquere

Lucæ 18. omnia propter ſe iubet, contra inſidias Sathanæ, & bellum ſuis armis, qui-

Ephes 7. bus ipſe vicit nos induit: quæ Paulus centurio ſuus egregius nobis copioſè inſtituẽs Epheſeos, deſcribit, ac nos contra vim & impetus diaboli munit, forteſq; in ea acie ſub crucis tropheo ſtare præcipit.

Cur Deus hominis reformationem ad extrema mundi tempora retulerit.

C AP. XII

SEd in loco oritur quæſtio, à veteribus etiam, vt & Gregorius Nyſſenus & Cyrill⁹ docent, agitata. Cum Deus caſu indigno hominis commotus, reformandam illam eius deformitatem ac imaginem ſuam ſcelere diaboli deturpatam, reſtaurandã decreuiſſet filioq; ſuo eam curam cõmiſiſſet, vt quem ad imaginem ſuam formauerat hominem, deformatum repararet, ac iacentem erigeret, idque aſſumpta hominis ipſius forma, faceret. Quamobrem non ſtatim, cum genus illud

Oratione Catechi. ca 29. Contra Antropomorphitas cap. 24.

illud humanum propagari ceptũ esset sed, quod decreuerat, non fecerit? cur potius in nouissima tempora, hanc hominis medicinam distulerit? cur non statim filium suum hominem esse præciperet? qui nascenti malo, antequàm vires sumeret, occurreret, regnumq́; ac potentiã illã immensam Sathanæ incremẽta capere nõ pateretur. Nam facilius principijs obstari, seroq́; medicinã parari, cum mala per longas inualuerint moras videmus: facile teneri conuellũtur rami, facilè euelluntur, q̃ nondum egerũt radices plantę: roborata & ad summam potentiam deducta, regna difficilia sunt nõ solũ expugnatu, verum etiã aggressu Pauci illi homines, nec multum in sceleribus progressi, nondũ ad summa peccato perducto, multò facilius sanari potuisse, & bonitati diuinæ magis consẽtaneum videbatur, quod beneficiũ ꝓmittebat maturiùs facere, lapsantique homini, & nondũ planè armis hostilibus oppresso, ac iacenti manũ benignã porrigere: cum duplex beneficium præstare videatur, qui maturè præstat. *Ouidius.*

Duplex

Duplex enim cõmodum, ſi Deus medicinam hanc maturaſſet, ſequi videbatur, & quod facilius morbus ille naſcens opprimeretur, & maiꝰ illud Dei beneficium videretur. Quod quia nõ erat factum, veritatis hoſtes & Chriſti aduerſarij reprehendebant, ac DEVM crudelitatis accuſabant, ac ita, vt Gregorius refert dicebant: ſi quod factum honeſtum erat, & Deum decebat, cur diſtulit beneficium, cur autem cùm eſſet vitium in principio eius ad vlteriora progreſſum non amputauit? Sed ad has iſtorum (quæ illis videntur firmæ) rationes, non eſt difficile reſpondere: & Gregorius Niſſenus, & Cyrillus Alexandrinus, breuiter hoc modo reſpondent: nempè inquit Gregorius, quod per ſapientiam, & eius quod noſtrę naturę conducit, curam ac prouidentiam beneficij in nos collati facta fuit dilatio. Nam in morbis corporalibus, quãdo aliquis humor prauus & corruptus irrepit ad porros, priuſquàm in ſuperficie apertũ fuerit, quicquid eſt præter naturam, corpori conducentia non adhibent medicamenta

Dei ſapientia & bonitas ab impijs accuſatur.

In Cathech. oratione cap. 29.

ij

ij qui medendi morbis artem profitẽtur, ſed expectant donec extra prodierit quicquid intrinſecus in imo delitescit, & ita nudæ effectioni adhibent medicinã. Poſtquã ergo humanæ naturæ ſemel incubuit morbus vicij, expectauit medicus vniuerſitatis, vt nullum eſſet reliquum genus vicij immiſti naturæ. Propterea non ſtatim poſt inuidiam, & à Caim factam fratris cædem, homini adhibet medicinam: nõdum enim in lucem prodierant ſcelera eorũ, qui Noemi tempore perierunt: neque corporalis flagitij grauis morbus fuerat apertus, neque Aegyptiorum aduerſus Deum pugna, neque Aſſyriorum ſuperbia, neque nefaria ab Herode facta cædes infantiũ, nec quæcunque alia literarũ monimentis ſunt mandata, & quæcunq; hiſtorijs nõ cõprehenſa, in deinceps ſequentibus facta ſunt generationib9, cũ in libro hominũ arbitrio multifariam multiſque modis germinaret radix vicij. Poſtq̃ ergo viciũ peruenit ad ſummũ, nec erat vnum genus ſceleris, quod admittere non auſi eſſent homines, vt per omnẽ

Non ſtatim ſe profuderunt ſcelera ſed ſenſum.

ægritudinem peruaderet medicina, ea de causa non incipientem, sed iam perfectum morbum curat. Tum demum, medicam manum malo adhibet, cum omnis in vniuersum nequiciæ vis ex praua radice emersit, multisque modis excreuit in voluntatibus ac studijs, malicia promiscuè luxuriante: tum demum, sicut ait ad Athenienses Paulus, ignorantiæ tempora detestatus Deus, vltimis temporibus aduenit, cum non esset qui intelligeret, neque inueniretur qui quæreret Deum: quando oēs declinarant, simulq; inutiles facti erāt, quando omnia implicata fuerunt malicia, quando abundauit peccatum, quando ad summā mensuram nequitiæ caligo excreuit. Tunc, inquam, apparuit gratia, tum veri luminis radius effulsit, tunc exortus est Sol iustitiæ in tenebris atque vmbra sedentibus: Tunc multa capita Draconis cōtriuit, pede illa proculcans per humanā carnem, terræq; illisit atq; protriuit. Neq; verò quispiam in præsenti vitæ statu, sermonē hunc veritati repugnare arbitretur, quo asserimus, dominū vltimis tem-

Act. 17.

Psalm. 13.

Caput serpentis obteritur.

temporibꝰ humanæ vitæ illuxiſſe. Hæc illi. Quod aũt diximus maius, videri potuiſſe benficium Dei, ſi labenti homini primo quoq; tempore ſubueniſſet, prolapsũq; continuo erexiſſet nec vires aduerſarij in eo premendo roborari permiſiſſet, id minimè conſequẽs eſt: multò enim maius cõmodum patientiam hanc & ſapientiã Dei conſecutum eſt. Nam & homo tanta mole malorum preſſus, quæ præuaricationẽ ſuam cõſecuta ſunt, caſúmque ſuũ viribus ſuis, nunq̃ reparandum cognouit: & quam periculoſum homini ſit, à legibus & præcepto Dei vel latũ vnguẽ deflectere, ſua magna calamitate edoctus, & quam immenſa ſit bonitas Dei & miſericordia, in illa deſperata ſua ruina perſpexit, & hoſtem ſuũ, qui in ſe acerbam tyrannidem exerceret, maiore cum ruina ab illa tyrannide deiectum videt. Nam cum nulla ſpes ſalutis, nulla libertatis, nullus malorum ac cruciatus ſui acerbiſſimi finis, vndequaque appareret, ſubita lux illi affulſit, fiilius Dei homo factus, in ſuum auxilium à patre cælo demiſſus venit, ty-

A legib. Dei discedire quã periculoſum.

rannũ constrinxit, se ad vitam nõ quã uis, sed illam beatam, & multò quàm quæ ante fuit beatiorem & splẽdidiorem reuocauit: pro paradiso illa fruct⁹ caducos germinãte, cœlestes hortos illi aperuit, Dei hæredẽ, sui cohæredem fecit. Quod beneficiũ quanto post maiora mala, & præter omnem spem salutis homini contigerit, tanto maius visũ est. Videt.n. in quæ mala prolapſ⁹ erat, videt magnitudinẽ beneficij domini, immensamq; erga se, inimicum & desertorem, Dei misericordiam. Si statĩ vt captus esset liberaretur, malorũ eorũ, in quæ sua temeritate prolapsus erat, vim ac molẽ non fuisset expertus, lenis ille casus suaq; ruina illi fuisse videretur, reformatus, & priori dignitati, Dei beneficio restitutus, nõ difficile ad eandem temeritatẽ reuolueretur peccandi & maiora audendi finẽ non faceret: peccata enim impunita, aut leuiter punita, fenestram ad maiora scelera apperirent, ac homines ad audendum quiduis hortãtur: Facilis erroris venia facilem hominem ad peccandũ efficit. Quod çum diuina sapienria videret,

deret, hominem sui desertorum, in ea quam vltro expetiuit, seruitute & tyrā nide Sathanæ diutius teneri permisit, vt hoc modo & temeritatē suam, & veritatem diuinam, & serpentem, cuius consilium repudiato conditore suo, cupide secutus esset, fraude plenū, calamitatesq́; suas agnosceret, ac ita cautior, beneficijq́; diuini magis gratus redderetur. Quod ne nostro sensu fingere videamur, audi Chrisostomum de prouidentia Dei concionantem, ac ita se rem habere, vt dicimus, asserentem, qui ita ait: Quoniam ergo modo scire id & planè perspicere poterimus? Si consideremus diligentius, quid illū pati necesse fuerit, nisi hæc ita contigissent. Nam si pollicente diabolo, æquales illos Deo se ostensurū post præuaricationis reatū in eodem honore perstitissent, tria profectò incurrissent suprema scelera: Primo enim Deum maleuolum & iniustum, seductoremque & mendacem existimassent. Secundo verò seductorem, maleuolentiæque & mendacij & inuidiæ parentem, beneficū atq; amicū putauissent. Postre-

Casus cautos reddit.

Chrisost. de prouid. Dei lib. 1.

Quæ sequerentur si Deus statim homini subuenisset.

 mo

mo peccare immortaliter, & absq; vllo fine perstitissent. His aũt hominem tunc omnibus eiectum paradyso liberauit. Ita ferè & medicus si vulnus negligat ac deserat, purulentum amplius reddit: sin verò id contractum iugiter depurare persistat, vlterius progredi saniem, ac morbi vir⁹ vetat Quid igitur? Num his tantum contentus fuit? minimè, imò & sudores illi adiecit & labores: nihil enim minus ocio & quieti natum est, quam hominis natura. Si enim his addicti, ne sic quidem peccare desistimus, quo scelerum progressa non esset audacia nostra, si nos affluere delicijs & ocio constituisset Deus? omnia enim, inquit, mala, ociositas docuit. Hæc Chrisostomus, quæ diuinum consilium, quam prudens fuerit in homine non statim restituendo, docent. Nunq̃ Deus hominẽ nõ amauit, nunquã curam eius intermittebat, tẽpus tamen definitum liberationis expectabat, vt & illum cautiorem redderet, & sua beneficia in eum cumularet, mendacium & inuidentiæ crimen à Diabolo calumniatore boni-

tatis suæ, obiectum, ipso rerum euentu ac malorum hominis experientia dilueret, hostémque & suum & nostrũ grauiore cum ruina imperio mundi deijceret, suamq́ue potentiam eã esse, cui nulla vis obsistere queat, demõstraret. Cum enim nequam ille, eo dementiæ deuenisset, vt parem se Deo conditori suo putaret, ac regnum suum ita omni genere scelerũ muniisset, vt nulla vi, nulla Dei potentia expugnari posse videretur, totumq́; suum furorem in eo augendo, firmando, & tuendo effudisset, omniaq́; in hoc mundo pro sua libidine versaret, ac hominem Dei figmẽtum, atq; hæreditatem eius fraude occupatam tyrannide sua premeret, nullumq́; finem diuinę patientię prouocandæ faceret, misit Deus filium suum vnigenitum, non in ea qua erat ab inicio forma, non cum ea quæ illi par secũ erat maiestate, sed in forma eius serui, cui ille illuserat, quem pro libidine sua excruciabat, quẽ omnis generis fœditate dehonestauerat, vt non suã illã diuinam potentiam, quæ nec in certamẽ venire nec vinci potest, sed quæ

Quo tempore bellum Christus Sathanæ intulit.

ſemper ſuperat & dominatur, vt Chriſoſtomus ait, ſed infirmitatem hominis illi ipſi potentiſſimo tyrãno opponeret, vt ille maiore cũ dedecore ſuo rueret, vt hoc modo euerſus, ſuam infirmitatem agnoſceret, vt non ſuis viribus ſuum regnum firmari, ſed permittente ac conuiuente Deo ſtare aliquãdo tandem cognoſceret, & ſuũ furorem maieſtati ſuæ tremendæ opponere deſiſteret. Potuit quidem non ſolum per filium hominem factum Dei potẽtia, furores eius tyranni inhibere; potuit nutu ſolo ingratam creaturam conditor omniũ, euertere. Hæc tamen victoria ſapientiæ diuinæ placuit: hanc vnam rationem reformandi hominis, & in libertatem vindicandi, probauit, ſemen mulieris quam deceperat, excitauit, quod caput ſerpentis calcaneo ſuo cui ille inſidiaretur, obtereret, & ab eo quem vicerat, vinceretur; quẽ captiuũ tenebat, ab eo ipſe captiuꝰ teneretur. Multa documenta potentiæ ſuæ huic beſtiæ Deus iam ante dederat, nõ ſolum cum cœleſti ſede ad ima inferni præceps deiectus eſſet, verum etiam

Quæ ratio victoriæ, Deo placuit.

Gen...

cum

cum ministris suis, per quos ille regna *Exod. 8 & sequentibus.*
ret, culices, cinifes, ranas, & id genus
bestiolas obiecisset, ac per ea quæ vix
nominari digna sunt, potentiam eo-
rum euerterit, & furorem eorum re-
presserit, cum aquis obruerit, in boues
verterit, & alios alijs modis perdide-
rit; hic tamen furoris sui finem facere
non destitit, donec ille qui promissus
esset veniret, ac caput ei⁹ opprimeret,
omniaque ad se pertraheret, furentem *2. Pet. 2.*
hanc bestiam in tartaro cathenis asser
uandam alligaret. Quod tum potissi-
mum fieri voluit, cùm ille ita suum re-
gnum & auxisse & firmasse putaret, vt
nullum casum pertimesceret, cùm ne-
minem sibi parem inueniri crederet,
cùm suam potentiam Deo conditori
exæquaret, ac patiẽtiæ diuinæ suorum
scelerum armis munitus, tanquã Go-
liath ille vastus insultaret, ac in certa-
men prouocaret, tum demùm contra
eum progressus Dauid noster CHRI- *Ioan. 1.*
STVS IESVS, verbum patris caro fa-
ctum, singularique certamine cum eo
congressus, vires eius obtriuit, ac cap-
tum in vincula æterna coniecit, reg-

numque cui ille incubabat, Deo patri suo restituerit: quod, vt diximus, tum facere voluit, cùm vel maxima & inuicta Sathanæ potentia esse videretur: Permiserat enim sceleratum illũ crescere, potentiam suam augere, vires regni sui iactare, vt tam forti armato deiecto, multò seipsum potentiorem esse, & eum contra quem nemo consistere sustineret, palam omnibus demõstraret, & sibi soli omnia subiecta esse ostenderet. Quam potentiam suam, si initio mundi crescentis exeruisset, & nondum roboratum hostem vicisset, nequaquam tam illustris apud paucos illos, sua victoria esset. Multiplicato populo, hoste latissimè regnante, ac totum mundum vt arcem munitissimã, milite plenam, vallo & fossa scelerum, muroque omnis generis fraudum cõmunitam tenente, virtutem & potentiam Deus pater filij sui declarare voluit, qui tam fortem & ita armatũ hostem, vt Dauid Goliathum illũ, in nostra humili forma aggressus, statim deiecit, ipsumq; qui oẽs capiebat, captiuum abduxit, carceri tetro deputauit.

Hæ

Hæ ſunt cauſæ, quamobrem Deus auxilium illud, quod homini poſt ſententiam in eum latã, promiſerat, diutius diſtulit, & ad nouiſſima temporũ reiecit. Non quod nõ amaret captũ illum hominem, non quod illi beatitudinẽ, cuius cauſa eum creauerat, inuideret, vt ſerpens & eius membra mentiuntur, ſed quod & verum ſe & iuſtum, & quantum homo errauerit, quæ mala credulitate ſua ſibi conſciuiſſet, demõſtrare voluerit. Hæ ſunt rationes conſilij diuini: quanquam his omnibus prætermiſſis, ſatis fuiſſet, ad hoc genus quæſtionum reſpondere: ita domini ſapientiæ viſum eſſe, hoc ita diuinam ſapientiam commodius fore homini iudicaſſe, de iudicio Dei homini iudicandum non eſſe, nec inquirendum in conſilia & decreta ſua, ſed potius cum PAVLO exclamare: O altitudo *Rom.11.* diuitiarum ſapientiæ Dei, quã incomprehenſibilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis cognouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Sed quia peruerſa ingenia, occaſionem ex bonitate Dei, ingrati animi ſui

tanto-

tantorum beneficiorum, demonſtrandi captant. Pluribus Doctores ſancti eis reſpondere voluerunt, ac impudens os eorum rationibus iuſtis allatis concludere iuſtum eſſe iudicauerunt. Sibillabat ſerpens ille in bonitatem Dei per ſuum membrum Iulianum CHriſti deſertorem, ſibillabat per ſcurras & hiſtriones huius mundi Philoſophos, non ſapientiæ, ſed mendacij amatores per Porphyrium, Lucianum & alios Chriſti hoſtes. Non defuerunt & inter proditores CHriſti hæreticos, qui in conſilia Dei inquirerent, qui ſapientiam & bonitatem eius in crimen vocarent, & ad rationes omnia reuocarēt, qui neglecti ne imperitos opinione ſuæ ſapientiæ, in laqueos diaboli per CHriſtum diſſolutos, iterum conijcerent. Patres ſancti & veritatis propugnatores, hoc modo vt retulimus reſpōdebant, ac in extremis temporum hominis reformandi & ſerpentis obterendi, iuſta & legittima DEI conſilia fuiſſe oſtenderunt. Et vide non etiandem rationem eſſe ad quæſtionem reſpondendi apud fideles, quę eſt apud impi-

Serpens antiquus ſibillat.

Philoſophi quid ſint.

Diſputādi ratio pro ratione hominum mutanda.

impios & infideles Fideli ſatis eſt dicere, ita Deum voluiſſe, ita illi placuiſſe: infideli rationes explicandæ, ac illis ipſis armis, quibus ipſe pugnat, aduerſus eum dimicandum. Aliter Paulus cum Hebręo diſputat, ſcripturas & Prophetarum teſtimonia profert, aliter apud Athenienſes in Areopago diſſerit, opinionibus eorum ſuum ſermonem accōmodat, quem illi ignotum Deum colerent, eum illis ſe annūciare docet. Arati poëtæ Athenienſibus noti, teſtimonio & verſibus ex eo citatis, doctrinam ſuam confirmat, ac ita quo voluit Athenienſis Philoſophię deditos, veritati aduerſos deduxit: & in cognitionem Dei eius, quem illi vt ignotum colebant adduxit. Si veritati vt primùm in auribus noſtris, perſonuiſſet, acquieſceremus, ſi voci diuinæ ſine vlla inquiſitione pareremus, diſputationes illæ prolixæ & perplexæ, locum apud nos nullum haberent. Verumenimuero quoniam multa ingenia pruriētia & inquieta ſunt, quæ in omnia dicta & facta Dei inquirunt, rationes poſtulant: Coguntur Doctores ſancti Ec-
cle-

clesiæ columnæ & veritatis propugnatores, in certamen contra eos descendere, quæstiones & materias in controuersiam vocatas excutere, ac rationib⁹ iustis, quæ tuenda susceperũt, munire, & ea quæ aduersarij arma veritati nostræ inferũt, propulsare. Hæc causa fuit patrib⁹ sanctis longarũ disputationũ, ac quęstionum variarum profligandarum, nõ vt impudentes nunc etiam aiunt, ostendendi ingenij sui causa, & veritatis, quę clara esset scholasticis & sophisticis argutijs, vt illi dicunt, obtenebrandæ. Sed hæc obiter. Ad ea quæ instituimus sermo reuocandus est.

Obtrito capite serpentis membra eius viuere.

CAP. XIII.

QVanquam & alia non negligẽda occurrit quæstio, quæ ex ijs quæ dicta de obtrito capite, per Christũ victorem, serpentis, tanquã noua hydra nascitur. Quærunt enim quidam, qui fiat, vt cum serpentis antiqui illius, qui calcaneo liberatoris nostri CHRISTI insidiatus est, caput obtritum fuerit, potentia tamen eadem. & vis veneni eius vigeat, regnoq́ue CHristi tantum insul-

insultet, Ecclesiam premat, nec minus quàm capite integro, mundo dominetur, cum non totum illud virus funditus sublatum sit? furorque eius penitus extinctus? Decebat aiunt victorem CHRISTVM victoria tanta potitum, omnem illam pestem semel abolere, nullumque vestigium tyrānidis Sathanæ, quā vt opprimeret tot indigna passus sit, relinquere. Neque enim satis est ducem prostratum videre, nisi milites etiam & ministri tyrāni opprimantur. Quibus integris relictis non difficile bellum renascatur, regnumq́; interfecti hostis, vires resumat, cū prostrato duce & omniū scelerū authore, milites ei⁹ & arma, qbus nos premat, non minus quàm integer esset, experimur; vigent scelera, sæuiūt cædes, dominantur nobis libidines, regit auaritia, insultat regno Dei impietas, nihil de suo fastu & ambitione remittit superbia; vigent rapinæ, adulteria, & plurima alia scelera, turpitudinesque illæ, quæ honestè ne nominari quidem possunt. Tyrannus quidem captus, ligatus in carcerem coniectus, tyrannis tamen

ea.

eadem dominatur, ac in dies magis ac magis vires auget ſuas, vt planè videatur nihil actum eſſe, in illo certamine CHriſti. Qui etſi caput ſerpentis obtriuerit, authoremque omnium malorum interfecerit, mala tamen ipſa & arma, militeſque hoſtis proſtrati integra reliquerit. Cui quidem obiectioni Gregorius Nyſſenus, his reſpondet verbis: Si quis, inquit, exiſtimat ſe poſſe refellere id quod dicimus, quoniam etiam poſtquàm fuit adhibita medicina, peccandi nondum finem facit humana vita, is aliquo noto & familiari exemplo deducatur ad veritatem. Quomodo enim in ſerpēte, ſi mortiferum aliquod vulnus in capite acceperit, nō ſtatim ſimul cum capite morte afficicitur, etiam qui ponè eſt tractus: ſed mortuum quidem eſt caput, cauda autem proprio animo, adhuc eſt animata, & vitali virtute non eſt priuata. Ita etiam licet videre vitium lætifero quidem vulnere confectum, in ſuis autem reliquijs vitę exhibere moleſtiam. Hęc Gregorius, quæ planè docent, ſerpentis capite vulneribus mortiferis con-

In oratione Cathechiſtica

Capite ſerpentis occiſo, mēbra eius non ſtatim mori.

fecto,

fecto, membra cætera eius vitam retinere: quam illis CHristum reliquisse non temerè putandum est. Caput ille confecit, ne in nos amplius imperium illud absolutũ haberet, ne nos vt vellet premeret, vincula eius dissoluit, liberos nos reddidit, voluntati nostræ nos reliquit. Ne tamen libertate nostra abuteremur, ne in hoc mundo nos beatos esse iudicaremus, eiusque amore capti, cœlestis illius vitæ cogitationem deponeremus, membra serpentis vires suas retinere voluit, quæ nos exercerent, quæ securos esse non paterentur, quæ docerent, nos hic non habere ciuitatem manẽtem, stabilem ac beatam, sed aliam esse quærendam, alio properandum, sedesque ab omni hostili impetu liberas, alio in mundo quærendas: ad quas nonnisi victores, post longa certamina ingredi non possumus. Oportebat CHristum multa pati, antequàm ingrederetur in gloriam suam. Crucem vt scalam cęlestem ille conscendit, crucem nobis cõmendauit, cũ qua se sequeremur: p multas tribulationes nos oportere in regnum

Cur obtrito capite serpentis mẽbra eius viuant.

Heb. 12.

Luc. 24.

Matth. 8.

Dei ingredi, præceptores noſtri Apoſtoli CHriſti teſtantur. Niſi autem hoſtis adſit, niſi tyrannidis veteris veſtigia remaneant, nullum certamen fuerit, nulla crux, nulla tribulatio: quibus ſublatis, victoria tollatur neceſſe eſt, qua ſublata, premium vitæ illius cœleſtis, ad quam contendimus, elargiri nobis non poſſet, non ſolùm Chriſtus nos ſeruare ac liberos reddere voluit, ſed etiam coronis florentibus exornare. Nam ita militiæ ſuæ nos adſcripſit, vt ab eo merita premia peteremus, petere non poſſumus niſi pugnemus, niſi victores fuerimus: ſi hoſtis abſit, certamen nullum, victoria nulla erit, virtus langueſcet, corona quæ vincenti debetur, non poterit peti. Quod igitur Chriſtus capite & duce hoſtium cõfecto, membra nondum perſequatur, noſtri commodi, noſtræ gloriæ cauſa factum: quanto plus certauerimus, tãto maiora premia auferemus, tanto ſplendidioribus coronis ornabimur. Hoc ſpectauit redẽptor noſter, ita beluam illam quæ per oẽs homines graſſata, in immenſam magnitudinem excre-

Cur Chriſtiani tribulãtur

creuerat, tractauit, vt cap
præcinderet, facultatemque c
malorum inuentricem, adime
tera membra negligeret, nec pro
lis vitalem motũ adimeret, vt hoc
do nobis ansam certaminis præbere
vt cũ victores inuenerit, meritis coronis
nostra capita adornet. Non statim
nec semel tyrãnidẽ illã extinguere voluit,
ne nos premijs victoriæ exueret:
reliquit qui nos excitarent, qui exercerent,
qui ad certamen prouocarẽt. Qui
tamẽ ne superiores essent, caput illorũ
& ducem sustulit, mortis imperiũ dissoluit,
potestatem in capite serpẽtis sitam,
collisit: reliqui verò serpentis tractatus,
ait Cyrillus Alexandrinus, per
humanã vitam dispersi, quam diu humanitas
motibus ad prauitatem vergentibus
est obnoxia, cortice peccati
vitam exasperant. Ac potestas quidem
eorum mortua est, cùm nimirum caput
sublatum sit: cùm verò temp⁹ præterierit,
& ea quæ mouentur substiterint,
in ea videlicet quam expectamus
vitæ consummatione, tunc etiam extremũ
inimici volumen, hoc est, mors

Aduers. Antropomorphitas.

que ita in vniuersum be-
 nequitia de medio tolle-
nibus ad vitam reuocatis per
onem: iustis quidem statim ad
tem quietem traductis, ijs verò
peccatis fuerint obnoxij, igni ge-
ennæ traditis. Tum demùm tota be-
lua tolletur, tum membra eius mori-
entur, tyrannisque illa Sathanæ extin-
guetur, cùm numerus electorum com
pletus fuerit, cùm dies illa tremenda
venerit, finemque CHristus imposue-
rit, mortem & mortis authorem in ig-
nem æternum demiserit, nosque à cer-
tamine ad premia transtulerit.

Cur non omnes salui, participesq; meritorum CHristi fiant.

CAP. XIV.

SEd hic rursus occurrit quæstio, veteribus etiam non neglecta. Cùm CHristus dominus potestatem Sathanæ dissoluerit, mortem sustulerit, regnum Dei omnibus aperuerit, cur non omnes gratiæ eius ac vitæ æternæ, participes sint, an ne non pro omnibus victima factus sit? cur cùm aliqui ad verbum accesserint, cur nō parua pars

sit eorum, qui restiterunt? qui a Christum ducem non accesserunt. c non CHristi vincentis, sed Sathanæ serpentis illius, cuius caput collisu à Christo sit, membra veneno illius plena sint? cur à morte ad vitã nõ transeunt? an quod non possint ipsi, an verò quod illis non datum fuerit? oportet enim alterum horum in causa esse, aut Deum noluisse vniuersum illum suum effundere beneficium, aut non potuisse. Quorum neutrum Dei sapientiæ conuenit: omnia potest, nihil boni cogitari poterit, quod ille non vellet. Non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: omnes vult saluos fieri: tantum dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum traderet: tantus amor nihil non vult. Quid igitur est cur membra Sathanæ plurimi sint? cur pauci CHristo capiti nostro adhærent? nostra scilicet voluntas praua, & noster huius qui nobis blanditur mundi amor. Omnes vocati sunt, omnib⁹ cœna præparata, omnes ad nuptias illas æternas inuitamur, sed non omnes venire volumus: alium boues, alium

Ezech. 33.

Ioan. 3.

Meriti Christi nõ omnes participes esse sua culpa.

Matth. 22.

ium villarum cura, ad CHristi
n venire non patitur: arcta illis
quam ipſe CHRISTVS in-
ius, & quam nobis ad ſuum pa-
em demonſtrauit, videtur, latiorem
illam & amœniorem, quæ ad inferos
fertur, iudicant, & plenis paſſibus in-
grediuntur, vtriuſque finem & ſco
pum non conſiderantes, cum illius
ſuæ quam ingredi malunt, exitus eſt
ignis æternus, ac mors illa quæ nec
mori ſinit acerba, huius autem quam
CHRISTVS aperuit vita æterna,
atque ea beatitudo, quam neque ocu
lus videre vnquam, nec ſenſus cogita-
re, nec mens quæ ardua quæuis pene-
trat, comprehendere potuit: ſcilicet
quod hæc quæ ſenſibus noſtris ſubie
cta ſunt, quæ carnem noſtram corru
ptam, ac veneno illio ſerpentis infe-
ctam, delectant, & ad præſentem volu-
ptatem prouocent, quæ à Deo auocēt,
& præ ſe cœleſtem illam & beatam vi
tam, voluptatemque æternam cōtem-
nere ſuadent, nobis oſtentat. Illa verò
nihil niſi aſperum, durum, & laboris
plenū nobis obijciat, & præſeferat. Ne-
mo

mo aũt & hęc fluxa, & illa ęterna amare & ſequi poteſt: Nã qui illa amare & expetere cœperit, hæc negligit: qui ijs illecebris mundi captꝰ tenetur, æterna illa non cogitat: mundi amatores DEI contemptores ſunt. Nemo duobus dominis ſeruire poteſt: nemo Deũ & mãmona ſimul amare poteſt: nemo poteſt illa, ad q̃ vocamur, ꝑfectè diligere, niſi hęc à qbꝰ reuocamur, oderit: Vocamur aũt ad ꝑfectã (inquit D. Aug.) naturã humanã, qualem ante peccatum noſtrũ Deus fecit, reuocamur aũt ab eius dilectione quã peccãdo meruimꝰ: quare oderimꝰ oportet, vnde vt liberemur optamꝰ. Oderimus ergo temporales neceſſitudines, ſi æternitatis charitate flagramus. Quod cùm fecerimꝰ oẽs, Chriſtumq́; ducem & redemptorem noſtrũ ſecuti fuerimus, ſine omni dubio gratiæ Dei; quam in nos per filium ſuum effudit, participes erimus. Ad omnes nos beneficium DEI redundabit, nemo inde excludetur, non Iudæus, non Græcus, non Barbarus, non dominus, non ſeruus. Vt omnes creatura eius ſumus, ita omnes filij

Luc. 16.

De vera religione ca. 46.

Rom. 10.

& hæredes, CHristique cohæredes erimus. Nemo se gratia illa diuina & beneficio priuatum conqueri poterit, omnibus iter est apertum omnes inuitamur ad eas nuptias, modo sequi velimus vocantem, & ijs quæ nos auocant ab illa cœlesti cœna, relictis, eò quo voce Christi vocamur, totis virib⁹ cōtenderimus. Quod vt faciam⁹, Dauid sanctus clamat dicens: Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra: proponitq; nobis exemplum eorum, qui in deserto mortui sunt. Qui quod euocati & fortissima manu ex Aegypto educti, pluris seruitutem Aegypti, quàm hæreditatem patribus promissam æstimantes, seruilesque illecebras plus quàm solidam voluptatem amantes, ducem suum sequi noluerunt, in desertis locis perierunt, & ab hereditate promissa, quam tanto studio expectabant, exciderunt. Omnes illi ex Aegypti seruitute & tyrānide Pharaonis educti, omnibus mare iter præbuit, omnibus petræ aquas effuderunt, oēs in patriā ducebantur, non omnes tamen ingressi in eam, non DEI culpa vlla.

Psal. 95.

Sua culpa homines perire

qui

qui cum eis & in Aegypto, & in carceribus eorum ſemper fuit, qui eos tuebatur, qui eſtui nubem obiecit, qui in tenebris columna ignis excitata luxit, ſed ſua ipſorum malicia, Dei donorũ odio & contẽptu, ſeruilis conditionis amore & voluptatis eius beluinæ, quã illis carnes, cepe, & porrum res viliſſimæ præſtarent, deſiderio. Quæ omnia ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: illa enim nobis typ⁹ & vmbra futurorũ bonorũ erant: ducebantur illi in terrã patribus ſuis promiſſam, ducimur nos in patriam illam cœleſtem, in qua Deus pater noſter regnat. Vocati illi per Moyſen, nos per vnigenitum filiũ Dei vocamur. Non audiuerunt illi vocem Dei vocantis, per ſeruũ ſuum Moyſen, nos non audiuimus vocantem per Ieſum Chriſtum filium ſuum dilectum, quem pro nobis tradidit, quem nobis redemptorẽ miſit, victimamq; eſſe ꝑ peccatis noſtris voluit. Omnes vocamur, omnibus colũna illa ignis, & lux vera Chriſtus, lucet, qui omnes ad patrẽ deducere conatur, ſed nos vocẽ eius non audimus. Cœleſti patria, regno

Num. 11.

Rom. 15.

Dei & Christi neglecto, huius mundi sordibus vltrò patimur nos obrui, & hosti nostro tradi, ac in laqueos vnde Christi beneficio erepti sumus, nos induim⁹, cepis & porris cupiditatum nostrarũ, & mundi hui⁹ potius vesci exoptantes. Quam ad illã cænã, q̃ Christus se nobis in regno cœlesti parare testatur contendentes, nõ Deus nos à suo beneficio, & filij sui meritis excludit, sed nos ingrati illa oĩa quæ nobis benignè ac manu plena offert, beneficia repudiam⁹, ac auersamur, mortẽ vitæ anteferimus, serui potius Sathanæ tyrãni acerbissimi q̃ liberi & filij Dei esse malum⁹, illecebrarũq́; mundi pedicas, q̃ cursũ illum nostrũ cœlestẽ impediãt, ipsi spontè pedib⁹ nostris induim⁹, mentẽq́; nostrã à cælesti illa beatitudine auocatã, cœno mũdi huius imprimim⁹, omnemq́; cogitationẽ vitæ æternæ abijcim⁹. Quod igitur non oẽs Christi beneficiorũ participes sim⁹, q̧ plures nostrũ pereunt, nostra culpa est nostra ingrata tanti beneficij diuini mẽs; oẽs ad nuptias inuitati sunt à patrefamilias nõ oẽs tamem ingressi sũt.

Non

Non vocantis malicia exclusi, sed sua
rerum caducarum cupiditate reiecti.
Non est quod culpā interitus sui, quis
in Deum, qui omnes saluos vult fieri,
omnes ad se venire, secumq; in sua cœ- *Lucæ 22.*
na in suo regno epulari exoptat, reiciat
seipsum, suum ingratum animum &
tantæ misericordiæ Dei negligentiam
suumq́; contemptum accuset. Non est
culpa vocantis, sed venire nolentis. Il-
le non modo vult, sed etiam desiderat,
vocat, rogat, hortatur, vt venias, gra-
tis accipias, præcio nullo secum epule
ris tu fastidis, tu contemnis, & bonita-
tem eius rides: in te est saluum te esse
periréue, tuo iudicio & voluntati per-
missus es, positus es inter ignem & a-
quam, inter vitam & mortem. Ha-
bes hinc manna cœleste, & cibum il-
lum vitam operantem, illinc siliquas:
ille est panis angelorum, hic porcorū;
fastidis angelos, porcos antefers, & cū
ad honorem benignitas Dei te vocet,
tu te infra infima iumēta abiicis, & pe *Aduersario-*
cudis fedæ socius esse malis. Sed dicūt *rū argumē-*
isti, non esse currētis neq; volentis, sed *ta.*
Dei miserentis, nihil nos habere ꝙ nō
accipi-

accipimus, non nostra voluntate, sed Dei gratia saluos fieri, donũ Dei esse, non ex nobis salutem venire. Quam quoniam Deus non omnibus dat, nõ oẽs ad se trahit, multos deserit, multorum non miseretur, hoc ipso accusandum esse, causamque nostri interitus ei acceptam ferri debere iustè, qui non solum volentes & contendentes se sequi ducere, sed etiam reluctantes & inuitos ad se attrahere, & ingredi atria sua compellere possit: & vt omnes vt voluit fecit, ita etiam inuitos reficere

Refutatio. posset & debeat. Qui cum sibi satis argutè se dicere & ratiocinari putẽt, multum desipiunt, ac veste illa, quam nuptiæ ad quas vocantur postulant, se expoliant, pellemq; versipellis sui magistri diaboli se induunt, conijciendi in gehennam. Quid impudentius? quid stultius fuerit, quam ea dicere, quæ nõ nisi à mendacio proficisci nequeunt? quæ Dei benignitatem, effusaq́; in nos eius dona calumnientur, ac planè bonitati diuinæ illudant? Potest quidem Deus omnia facere, nihil cogitari poterit, quod ille non efficiat. Omnipo-

tens

tens eſt, omnia poteſt, ſed non omnia
vult. Cur non vult? Quoniam ita & ſe
decere, & nobis vtile eſſe iudicat. Tu
verò quis es, qui in conſilia eius inqui-
ras, qui ſapientiæ theſauros eius ſcru-
teris. ita vult, ita illi lubet, tu tace, &
quod iubet abſq; vlla ratiocinatione
animo complectere. Non diſputauit
Abraham, vocatus ſtatim vocantem
ſecutus: iuſſus offerre filium nihil ter-
giuerſatus fecit, quod iuſſus. Idem fac
& cum iuſto Abraham, iuſtificaberis.
Miſit Deus miſericordiam ſuam, miſit
verbum ſuũ, quod nos ſanauit, quod
caro factum nos redemit, quod mor-
tẽ aboleuit, quod caput ſerpentis ob-
triuit, noſque ſibi reconciliauit, omni
bus illuxit, omnibus iter in cœlos a-
peruit. Venit Chriſtus vt omnes ſal-
uos faceret, neminem à gratia & be-
nignitate, munifiicentiaque patris ex-
cluderet, omnibus poteſtatem libere
ad patrem ingrediendi dedit, ſed ita
dedit, vt neminem inuitum cogeret:
ſuadet enim nobis, vt ſe vltro ſequa- *Deus ſequentes ſeducit.*
mur, non vim adhibet nolentibꝰ. Po-
tuit Adamum ab arbore vetita reijce-

re, po-

re, potuit prohibere, ſed noluit, propterea ꝙ illum ita fecit vt non ſolum eſſet ſed liber etiam eſſet, non vi coactꝰ, ſed ſponte ſua ꝙ bonum eſſet, & eligeret & amplecteretur. Reliquerat illi liberum arbitrium, & voluntatem liberam, nō vt deteriora eligendo periret, ſed meliora ſectando coronas gloriæ mereretur, ac maiora ornamenta & premia conſequeretur. Voluntariè ſacrificat Dauid domino, volūtarias actiones ſuas, & opera pietatis ſpontè & liberè ſuſcepta Deo commendat, ac vt grata illi ſint, precatur. Poſſet te herentem in tuis ſordibus, & tyrannide diaboli latitantē pertrahere, poſſet ceruici tuæ duræ laqueos inijcere, & te vt transfugam ſuum attrahere, ſed quod tibi te creando largitꝰ eſt. libertatis ius violare nō vult. Liberū te creauit, liberas actiones tuas eſſe ſinit vt meliora ſequentē, & ſuis conſilijs & p̄ceptis parentē, premijs & honoribus exornet, & peccantē ſeq; auerſantem, ac ſua pręcepta contemnentē, vna cū patre tuo Adamo, iuſtè condēnet ac pænas præuaricationis iuſtè irroget, liberū te fe-

ci-

cit, non vt pereas, non vt libertate &
donis ſuis ad tuum interitum abuta-
ris, ſed vt libertas tua ornamento ti-
bi ſit, vt non ſolum vitam, ſed abun-
dantiorem vitam per eam aſſequaris:
inuitis nec prę mia nec pænę debētur:
ſponte ſua certantibus pręmia dantur. *Præmia quibus dantur.*
Quod igitur neminem cogit, ꝙ nemi-
ni vim adhibet, bonitatis eius eſt: non
vult te pręmijs & coronis q̄ volunta-
riè ad ſe venientib⁹, & ſua pręcepta ſer-
uantibus ꝓpoſuit priuari. Voluntariè
ſecut⁹es Sathanā vt perires, voluntariè
ſequere Chriſtū vt viuas, volūtariè in-
gredere in certamen vt coroneris, vt
prę mia digna referas, gratiā ſuam do-
naq; ſua per chriſtū filiū ſuū tibi De-
us offert non repudies ſalutem, quam
tibi vltrò obtrudit, regnū cœleſte &
vitam æternā, grato animo & tua ſpō-
te, nulla vi eius adactus, & obuijs (vt
dicitur) vlnis accipe. Donum Dei eſt
quod offertur: donum autem tum eſt
donum, cum & à donante vltrò & ſpō
te, nullo debito nulla neceſſitate vrgē
te offertur, & à donatorio ſponte ſua,
nulla vi coacto, recipitur & apꝓbatur.
Nihil

Nihil tibi Deus debuit, vltro tamẽ tui misertus. tantam gratiam tibi fecit, vltro te ad se reuocat, vltro vitam æternam, & hereditatem regni cœlestis offert, precatur etiam vt recipias, non cogit, non inuitum trahit, non merenti offert, inuitum tamen vi non cogit. Si vis, inquit, in vitam ingredi, serua mãdata Dei. Consulit, suadet, hortatur, non vim adhibet. Cur? quoniam cum muneribus & donis à patre venit: dona autem vt liberè dantur, ita liberè accipiuntur. Ea est natura & ratio donorum, vt nihil necessitatis in vtroque sit, sed mera & donandi & dona recipiendi libertas: quod non solum sacrę literæ, sed etiam gentium leges docent, quæ omnem vim à donante & donatorio amouent, liberam voluntatem vtrique dandi & recipiendi relinquũt, nemini inuito & nolenti donationem acquiri asserunt Pro sua immensa bonitate in te, amplissima tibi munera Deus offert, vitam beatam, regnum suum, hęreditatem suam, filium te suum è seruo Sathanæ vult esse. Si consentias, si hanc tantã eius munificentiam

Dona libera esse.

tiam

tiam amplectaris, eiusque bonitati animum tuum gratum adiungas, dona oblata approbes, recipias, serues; donatio illius firma est, tanta tibi hæreditas acquiretur, non vllo precio, non meritis vllis tuis, sed sola illius voluntate & bonitate, & tuo assensu libero, vt probes & recipias, gratumque tantæ bonitatis eius te præbeas solum opus est. Et quidem in omnes ille benignus est, omnibus se cum suis muneribus offert, sed non omnes accipere, suam munificentiam suaq; munera volunt. Multi hanc eius bonitatem repudiant, munera calcant, ac ingrati auersantur, salutem benignè ab illo oblatam non probant, & recipere nolũt. Quod igitur se vocantem ad nuptias sequi recusant, participes eius gratiæ esse non possunt, non culpa vocantis, & munera sua offerentis, sed sua ipsorũ malicia, & animi ingrati vitio, qui animus ingratus, non solum ne recipias dona DE, Ised vt recepta etiam amittas efficit, donationem rescindi, & donata reuocari, leges gentium volunt, si quis beneficij accepti, & donorum *Ingrati.*

ſibi benigne datorum ingratus reperiatur: non malicia donantis eo quod acceperat, ſed ſua culpa priuatur, ac ipſe ſibi ea commoda, quæ nullo merito ſuo conſecutus erat aufert. Obtulit tibi Deus miſericordiam ſuam, miſit ampliſſima munera, prouocat te, hortatur vt recipias, vt fruaris, vt hæres ſuorum omnium bonorum & regni ſui fias, tu aut omnino reſpuis, ac donantem contemnis, ac non ſolum contemnis ſed etiã armis & odio perſequeris, cædem Chriſto moliris, aut recepto beneficio ingratum te erga tuum donatorem præſtas, hæreditate tãta abuteris & relicto donatore tuo & qui te filium adoptauit, patre, ad Sathanæ hoſtis & tui ipſius & patris tui caſtra trãsfugis, in tenebris eius lates, in lucem Chriſti venire non vis, tenebras plus quam lucem diligis. Lucis te filium ille vult eſſe, tu te in noctem & tenebras cõijcis, & tenebrarum mancipium, quam lucis filius eſſe malis, ac te tua ſponte lucis muneribus expolias. Quas tenebras quicunque amãt, qui ad lucem venire nolunt, qui reſpu

unt munera Dei, vel acceptis ad ſuam perniciem abutuntur, fruſtra & impiè Deum accuſant: nihil Deus tibi negat, modo ad ſe venire velis: vltrò ſe tibi offert, vocat, increpat etiã acrius te morantem, ſemper te multifariam multiſq; modis quæſiuit, poſtremò miſit filium, qui te reuocaret, q certiorẽ de gratia ſua redderet, qui à morte auocaret. Nõ vis venire, rides Chriſtum, manus illi inferre vis, mortem moliris, tu teipſum prodidiſti, tu teipſum gratia Dei expoliaſti. Omnibus ille vitã obtulit, omnes hæredes ſuos vult eſſe, ſed non omnes receperunt verbum eius, non omnes ſe ſequi voluerunt, dedit Chriſtus poteſtatem oĩbus vt filij Dei ſint. Sed qua lege dedit? ea quã Euangeliſta narrat, In propria venit, & ſui eum nõ receperunt. Quotquot eum receperũt, dedit eis poteſtatem filios dei fieri. Magnum min⁹, magnificum donum filium Dei eſſe, vltroq; oblatum à donante Deo. Cur non omnes igitur filij Dei? Quia verbum eius nõ omnes receperunt. Quotquot receperunt, receptumq; ſeruant, filij dei sũt. Nõ De⁹ igi

tur causa est, quod illi filij non sunt, sed eorum ipsorum praua voluntas, vt filij Dei simus. Illius quidem beneficiũ est, ille est fons vitæ nostrę, & omnium bonorum, sed ita si ea quæ offert, si regnum oblatum ab eo recipiamus, si vt simus filij eius, consentiamus, si velimus nos filios eius esse. Nã & leges gentium in adoptione legittima, & adoptantis & adoptati, assensum & voluntatem vtriúsque consociatam exposcunt, inuitus nemo adoptatur, nemo in familiam alienam, nisi ipse voluerit inseri potest, volentibus hoc munus datur, nolentes & ingrati reijciuntur. Vis gratiæ Dei & muneris eius particeps fieri? voluntati eius tuã voluntatem & consensum adiunge: vult te ille filium suum esse: velis & tu filius suus esse: vocat te, sequere, præcepit ille, tu præcepta amplectere, & serua. Deseruit Christus patrem propter te, desere tu mundum, desere desideria carnis, desere tyrannum tuum, & malum tuum Sathanam, & sequere Christum. Quod cum feceris, non poteris conqueri, te à gratia Dei excludi: modo tu

do tu velis, ille non negabit, qui nihil aliud desiderat, quam tuam salutem. Dices. Ego quidem vellem, sed mea voluntas infirma, sed nihil possum, nihil tale habeo in me quod me fulciat, quod deducat, cum non sit currentis, neque volentis, cum dicat ille: Quid habes quod non acceperis? Accipiam prius necesse est, vt & velim & possim, hoc illius est: hanc gratiã quoniam mihi negat, quoniam infirmum me non trahit, non roborat, non mea culpa est, quod ad se non venio, sed eius ipsius, qui mihi eam gratiam, aut non vult, aut non potest præstare Ecquidem nihil habemus quod ab illo non accipiamus, præter peccata & iniquitates nostras, quæ non ex illo sed ex nobis sunt, non solum non possumus currere, sed neque velle, nisi ipse velit. Donum Dei est, non ex nobis ille & voluntatem in nobis excitat & accẽdit, ille currentes fulcit, & quasi infirmos gressꝰ nostros sua bonitate & potentia sua firmat, atq; hanc gratiã nobis & quasi primum donũ vltrò offert, vt velimꝰ, iã occultè corda nostra spi- *Occupatio.*

ritu ſuo ſancto aſpirans, iam externis rebus cõmouens: Ille vt perficiamus cæptum curſum pedes noſtros firmat, abſq; eo nihil poſſumus, nõ modo nõ facere, ſed neq; cogitare. Cur igitur nõ excitat omnes? cur nõ omniũ greſſus roborat? Excitat omnes, omnibus lucet, ſuper omnes & bonos & malos ſuum ſolem oriri facit omnium miſeretur omnes ſuum figmentũ eſſe agnoſcit omniũ curam vt pater benign' habet, ſed non omnes eius gratiam recipiunt: multi enim ex ijs quæ creata ab illo ſunt, eum cognouerũt, ac cognouerunt vt Deum, non tamen vt Deũ glorificauerũt, gloriã eã quã illi deberent, ad creaturas eius tranſtulerunt, & poſt deſideria carnis ſuæ & mundi voluptates, eo repudiato, abierũt, fruſtra eo clamante ac ingratos reuocante. Quod facit oriri ſolẽ, ꝙ pluuias de cœlo dat, ꝙ tot cõmodis nos cumulat excitat nos & ad ſe, & ſuis beneficijs prouocat ſemper. Nec tantum hoc in genere vniuerſo illi ſatis eſt: ſingulis non deeſt, aſpirat mentes, excitat conſcientias, quæ nos ſæpè accuſent.
Nihil

Nihil prætermittit bonitas Dei, quod nobis & vtile & neceſſarium fuerit, ſed noſtra malicia perimus, vocãtem refugimus, veniẽtem ad nos vicijs noſtris tanquam valuis obiectis, ne ingrediatur domos noſtras prohibemus, & tantum hoſpitem aut excludim⁹, aut receptum turpiter exturbamus, ꝗ illos Paulus feciſſe docet: qui cum cognouiſſent regem gloriæ mundiq; fabricatorem & gubernatorem ſapientiſſimũ, relicta gloria & ſplendore eius, in tenebras rationum ſuarum ſe coniecerunt, & creatore neglecto, creaturas colere maluerunt, & cum ſapientes eſſe vellent, ſtulti facti ſunt, & infatuatum eſt inſipiens cor eorum: Abierũt poſt deſideria ſua, errorem veritati, tenebras, in quibus malicia eorum deliteſcat, luci antetulerunt. Hoc idem nos facimus, Deum non ſolum in cordibus noſtris illuceſcentẽ, & nos ad ſe excitantem, ſed etiam oculos, ſignis magnificis potentiæ ſuæ perſtringentẽ, repudiam⁹, ac lucẽ veritatis ei⁹ non ferentes, in tenebras deſideriorũ carnis & mendacij nos præcipitamus,

 atque

atq; malicia noſtra, nos beneficijs diuinis ſcientes & volentes priuamus, & nec excitantẽ & prouocantem ad ſe audire ſuſtinemus, nec excitati & apprehenſi ſequi volumus, manum quã nobis in cœno vitiorum iacentibꝰ porrigit, vt nos atollat & infirmos ducat, prehendere nolumus, aut ducentem nos deſerimus. Ita in nobis omne crimẽ & culpa hæret: ille vult, ille excitat, ille ducit, tu excitatus non ingredieris tu iaces, tu te alleuare non curas, aut ſi aſſurgas & currere ceperis, ſtatim labore offenſus reſiſtis, duceq; tanto neglecto aliud iter ingrederis. Verũ quidem eſt, ab eo & velle & perficere eſſe, ille excitat, ille currẽtes ducit, niſi vtrũque fecerit, niſi nos gratia ſua, nihil tale cogitantes præuenerit & excitauerit, niſi iter bonũ & veritatis ingreſſos, proſequatur, ac gratiæ ſuæ viribus fulciat, ad veritatis ſcopum & gratiæ, ad hęreditatẽ ad quam vocamur, nunq̃
2.Cor.3. venire poſſumus. Omnis noſtra ſufficientia ex eo eſt, ille dat & velle & perficere, vt D. Paul. teſtatur: Cur ergo non oĩbus dat? cur non oẽs deducit in viã
veri-

veritatis suæ? cur aliqui cursum cœptū non perficiūt; alij nec volunt quidem currere, aut si currant, corruūt? Quod scilicet ingrati sint, quod lucem CHristi oculis suis, omni malitia & desiderijs mundi infectis haurire nō possunt, etsi hauserint non perferunt, quod mundi illecebras magis, quàm dona illa diuina ament, quod Dei bonitatem auersentur, ac donorum eius ingratos se præbeant, hæreditatemque eius dilapident, ac sceleribus omnibus se cōtaminent. Non Dei inclementia erroris nostri causa est, sed nostra malitia, noster scelerum ac libidinum mundi huius, amor & studium. Arcta nobis CHristi via videtur, ob eam causam nos ducentem CHristum deserimus, sequi eum recusamus: latiorem illam mundi illecebrarum arripimus. Vt salus non ex nobis, sed ex Deo est: ita interitus noster nō ex Deo sed ex nobis. *Interitus noster est noster* Nos auertimus mentem nostram à Deo, nos non solum dona quæ offert repudiamus, sed & lucem gratię quam in cordibus nostris accendit, extinguimus: quæcunque in mala incidimus

quod gratiæ eius participes non fiamus, noſtra culpa eſt, noſtrum hoc totum eſt; Deus vt nullius mali, ita noſtræ ruinæ cauſa non eſt, noſtrum eſt quicquid mali eſt. Mentiuntur illi, & impio ore blaſphemant DEVM, qui peccata noſtra, interitum ac ſupplicia, ad quæ noſtra ſponte ferimur, DEO impingunt, qui liberum arbitrium nobis auferunt, qui nihil nos agere poſſe, niſi quo vi diuina, aut neceſſitate fatali impellamur aſſeuerant. Liberi arbitrij & voluntatis noſtræ hæc ſunt propria, à libertate noſtra vt è fonte hæc omnia promanant, contraq́ue omnia rectè facta, bonaq́ue omnia non noſtra ſed DEI ſunt: ille enim eſt fons omnium bonorum, ab illo vita noſtra depēdet, ille & author ſalutis & omnis fœlicitatis noſtræ. Nō quod quidem nos noſtramq́ue virtutem & operam ab eo munere prorſus excludat, non quod nos ad benè agendum non vocet: vult enim nos cooperari ſibi, vult vt curramus, vult vt benè operemur, ac ſecum laboremus. Nam etſi nos ſine nobis fecit, non ſine nobis tamen

Deus nō ſine nobis non refecit.

tamen nos refecit:non quod non posset, sed quod non vult. Non vult autem sine nobis nostram salutem operari, vt magis ac magis nos adornet, vt merita nostra, conatus nostros, voluntatem nostram approbet, coronisque debitis exornet, sed tamen quicquid boni in nobis est, illius totum esse dicimus, illi totum acceptum referimus, quod sine eo nihil nec velle nec perficere possumus. Cōmunis est hæc benè agēdi ratio nobis cum Deo. Operatur ille in nobis bonum, non sine nobis tamen. Ille iubet nos currere, & currētes prosequitur:iubet diligere, & dilectionis ignes in corde nostro accendit, hortatur tamen vt se imitemur, vt bona operemur, & in luce ambulem⁹ dum lucem habeamus, ac cum eo vna salutem operemur nostram. Sed quoniam vt diximus, ille est fons bonorū, & ea causa sine qua nihil boni fieri potest, illi totum quicquid in nobis boni reperitur, tribuimus: quod etiā modestiæ causa, quę nos multum ornat, nos facere debere, patres sancti censent, & CHristus ipse docuit. Nā, inquit, cùm omni- Ioan. 12.

omnia feceritis, dicite serui inutiles sumus, nihil vobis adscribentes, sed Deo omnia accepta referentes. Non igitur vt nos ipsi ob nostram infirmitatem, nulla vi diuina impulsi ruimus, ita absque diuina ope surgere possumus. Absque illo in vitia prolabitur, absque illo nihil boni, non solùm operari, sed neque cogitare possumus: sine illo morimur, sine illo nō viuimus. Vt tamen viuamus, vitam nostram vna cum ipso operari debemus, & quantum possumus, quantum infirmitas nostra patitur, contendamus. Dat ille nobis de cœlo panem, iubet tamen & nos operari cibum, qui non perit. Nam si non possemus cibum illum vitæ operari, cur nos operari iubet; si sine nostra opera vitam consequeremur, quam ille dat, cur nos operari eam præcipiat. Sed tandem concludamus, CHristum pro omnibus hominibus mortuum, in omnes absque vlla exceptione gratiam Dei effudisse, omnes ad hæreditatem cœlestem vocasse, sed propter ingratū animum non omnes participes eius esse, non Dei inclementia aut negligen-

Deo cooperandum est.

Ioan 6.

gentia, ſed noſtra malitia & animo ingrato, mundiq́ue tenebris immerſo. Quotquot Chriſtum verbum patris æternum recipiunt, habent poteſtatem vt filij Dei ſint: in noſtra poteſtate, & vita & regnum cœleſte. Cui poteſtas eligendi datur, ille quod vult eligere poteſt: liberum eſt nobis vitā, mortémue vt & Adamo licuit, eligere. Recipe CHriſtum, require eum, tolle crucem tuam, vt illa ſuam ſuſtulit, filius & hæres Dei, & cohæres CHriſti es. Si reijcias CHriſtum, ſi reijcias præcepta eius, mundi libidini te tradas, Sathanæ facinora effingas, à regno Dei excidiſti, Sathanæ mancipium factus es, non DEI culpa, qui tibi vitam miſit, qui lucem ante te effudit, vt quod bonum eſt videres, eligeres, & tolleres, ſed tua, qui in tenebris eſſe maluiſti, qui mala bonis prætuliſti, mundumq́ue hunc quā cœleſtem beatitudinem pluris feciſti, poſt tua deſideria abijſti, poſt Chriſtū currere, aut prorſus noluiſti, ac cùm cœperas mundi ſplendore huius & illecebra faſcinatus, alió iter flexiſti, ſciensq́ue & volens in tuum interitum pro-

Ioan.1.

Quomodo à regno Dei exciditur.

properasti:tuum hoc ſoluis facinus, nihil eſt quod Deum accuſes, & interitus tui inſimules. Sine illo mors eſt, vita non ſine illo, vt nec ſine te: non eſt quidem currentis, neq; volentis, non datur ea tibi abſoluta poteſtas, vt tuis viribus vitam conſequaris, vt ſine ope diuina, opera bona & pietatis opereris, vt hęreticorum quidam docebant, ſed hoc eſt Dei miſericordiæ opus. Illius miſericordia excitaris, illius ope duceris & operaris, ea deſtitutus nihil conari potes; quam ita implorare debes, vt tu tamen tibi etiam non deſis, te non deſeras, & operãti in te bonum DEO, coopereris. Vt ad te conuertatur, vt in adiutorium tibi veniat, tu ipſe ad eum conuertaris. Et quidem ne conuerti poteris, niſi ille te conuerterit: conuertet quidem, ſed conuerti volẽtem. Hinc enim illæ voces, & Dei: conuertimini ad me, & ego conuertar

Eſaiæ 45. ad vos: & noſtræ, Conuerte nos Deus.

Pſal. 79. Quibus fatemur cõuerti nos non poſſe, niſi ille nos ſua gratia præueniente excitet, & ad ſe vertat, & ille paratum ſe id facere teſtatur, ſed ea lege, ſi nos

ad

ad eum reuerti, & velimus & festinemus, ita vt dicere nobis cum Augustino liceat: Vt non est currentis, neq; volentis, sed Dei miserentis: ita non est solius miserentis, sed etiã volentis & currentis; mutuam & nostram & Dei operam & quasi consensum sal⁹ nostra postulat. Vt nos absque eius ope & præsidio, ne minimum consistere possum⁹: ita ille absque nostro consensu & voluntate operari salutẽ, etsi potest, non vult tamen. Donum suum voluntate nostra approbari vult ab ingratis, etsi inuitus gratiam suã abstinet. Facessant impij illi, qui nos ab omni opere bono excludunt, qui opera pietatis & fidem non ociosam, sed per charitatem operantem, nihil nobis mereri cõtendũt, q scelera omnia, calamitates oẽs, & interitũ nostrũ, Deo vt authori accepta referũt, ac ex bonitate Dei occasiones blasphemandi nomẽ diuinũ captãt: Quib⁹ vt impijs & blasphemis repulsis, illa vera esse fateamur, Deũ neminẽ velle perire, oẽs ad se vocare, omniũ salutẽ operari, velle vt oẽs credãt, resipiscant, pœnitentiã agãt, ad cor redeant,

deant, declinent à malo & faciant bonum, auertantur à vijs suis pessimis, quiescant agere peruersè, conuertant se ad dominum Deum suum, quærãt, orent, pulsent, ingemiscant. Credimus Deum se omnib⁹ vltrò offerre, paratũ esse omnes saluos facere, stare ad ostiũ cordis nostri & pulsare, omnes saluos fieri velle, omnes ad pœnitentiam reuerti velle, & peccatores expectare, vt ad pœnitentiam reuertantur, tempus & locum pœnitentiæ dare, dissimulare peccata hominum propter pœnitentiam, vocare nos vt ad se reuertamur, seq; reuersurum ad nos clamat: vocat nos, excitat nos, & voce Euangelij sui, & rebus tum aduersis, tum prosperis, & spiritu sancto corda excitans nostra, commouensque vt velimus, & cùm voluerimus, auxiliũ currentibus largiens, dat nobis & velle & posse, siue proficiendi vires, sine quib⁹ scit, nos consistere non posse. Quæ sua dona ac gratuitam bonitatem, quicunque vel negligunt, vel receptam abijciunt, fructu gratię eius, & meriti Christi iusto iudicio Dei priuantur, senten-

tiamq́ue immotã contra ſe accipiunt, vt deinceps nec velint nec poſſint eam petere, vt apertè exemplum Pharaonis docet, qui ita obduratus, ſententia Dei iuſta in ſe accepta, fuerat, vt nunquam ad Deum reuerti curauerit. Nam ſunt quædam ſententiæ Dei immobiles, & quæ mutari ſemel decretæ nequeant, vt in Pharaonis interitum, Hieruſalem euertendam, & in Iudam in Babylonem abducendum. Aliæ quæ immutari & reuocari poſſint, vt in Nabuchodonoſorem regem, qui ſeptimo ſupplicij anno, gratiam Dei recuperauit, & in Ezechiam, in quem ſententia illa mortis lata, & per Iſaiam renunciata, remittitur ac immutatur. Quemadmodum & in Achab, qui pœnituiſſet vindictam denunciatam, tranſlatam eſſe à ſe in poſteros ſuos à Propheta audit. Cùm igitur quis abſque pudore, & omni metu Dei peccat, neque beneficijs, neque ſupplicijs Dei commouetur, veritati apertè & ſpiritui ſancto aduerſatur, pœnam peccati commeretur, & in ſe ſententiam Dei immotam accipit, vt nec velit nec poſſit amplius

4. Reg. 20.

ad gratiam impudenter & impiè repudiatam, reuerti.

Reformati hominis ratio & causa.

CAP. XV.

LApsus hominis & ruina diuini opificij quæ sit, vnde acciderit, qui vulnera serpens parenti nostro intulerit, diximus. Nunc quę remedia vulneribus illis adhibenda, quis medicus aduocandus, quæ lauacra cœno illi abluendo petenda sint, videndum. Neq; enim satis est morbum agnoscere, nisi medicina afferatur, & vnde remedia aduersus vim tantam morbi, quo totū genus humanum, & infectum ingemiscat, & oppressum ad mortem rapiatur; petenda sint, demōstretur. Incidimus in latrocinium Sathanæ, expoliati sumus omnibus ornamētis nostris, confecti vulneribus, bestijs deuorandi in media via semiuiui relicti iacemus: qui nos erigat, qui vulnera alliget, qui oleum infundat, vino cruorem nostrum abluat, qui formæ priori nos restituat, imaginem Dei quam præuaricatione diuini mandati deformauimus, suo in nobis exprimat penicillo,

Matth. 10.

cillo, ac viuis coloribus adornet, quærendus. Atque equidem dubium nullum eſt, CHriſtum IESVM verbum Dei patris æternum medicum noſtrū eſſe, & eum Samarithanum, qui vulnera noſtra alligauerit, iumento ſuo nos impoſuerit, ac in diuerſorium Eccleſiæ ſuæ intulerit, curamque noſtri perpetuam habeat. Hic vnus eſt, ꝑ quē omnia facta, per quem mundus cōditus, homo creatus, & omni genere fœlicitatis cumulatus: hic omnia conſeruat, ſanat, erigit, hic nos ſuo ſanguine mundat, ſordeſq; peccati noſtri abluit, huius mors vita noſtra eſt, hic nobis imaginem Dei reſtituit, hic Deo patri nos recōciliauit, hic eſt illa via, ad quā reuocamur, à qua fraude Sathanæ abducti, & impetu libidinum noſtrarum abrepti, in multoſque errores ac fraudes præcipitati fuimus: extra hanc viam, quæ CHRISTVS eſt, ſalutis nulla ſpes. Hic Sol iuſtitiæ, & illa vera lux, quæ illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem: hic eſt lucerna, quæ pedibus noſtris ne vnquam impingant lucet, quæ greſſus noſtros

CHriſtus reformator hominis.

CHriſtus Sol iuſtitiæ.

Ioan. 1.

dirigit: hic est medicus noster, p quem Deus pater nos saluos fieri voluit: hoc est illud verbum, de quo dixit Prophe-
Psal. 106. ta. Misit verbum suum & sanauit eos, misit Deus misericordiam suam & veritatem suam: hic est ostium, hic porta salutis nostræ per quam ingredimur, & egredimur. Nemo venit ad patrem nisi per Christum IESVM. Hic est ergo & conformator & reformator noster, hic medicus, hic saluator, ab hoc vno vita nostra dependet, ad hunc qui non venerit, in perpetuis tenebris ambulat, lumen vitæ nunquam visurus. Contendendum igitur est, vt peruenire ad se possimus, quærendæ rationes quibus illi placeamus, quibus illum ad nos attrahamus, & attractum retineamus. Et quidem non vna eademque omnibus ratio & via ad Christum veniendi, eiusque pedes apprehendendi videtur. Qua de re cùm alias, tum verò
Ratio iustitiæ non vna omnibus videtur. temporibus nostris multiplex & varia disceptatio nata: Alij enim solam fidem viam nobis ad CHristum aperire contendunt: alij fidei quidem, sine qua Deo nemo placere potest, primas partes

tes tribuunt, sed multa alia præsidia & ornamenta ei addi volunt, nō nudam, sed charitatis vestibus, & varijs pigmē-tis pietatis ornatam ad eum allegant, ne ingressa in nuptias eius illud audiat: Quomodo huc intrasti nuda, veste nuptijs digna vacua. Quæ tota disputatio vt planior sit, vnde vita nostra dependeat, quæ causæ salutis nostræ iustitiæ nostræ atq; reformationis nostræ sint, primum videamus, vt eo fonte aperto, vnde omnia medicamenta nostra, vitæq; nostræ ratio promanet, facilius videamus. *Matth. 22.*

Tres fontes vitæ nostræ omnisq; iustificationis siue reformationis hominis.

CAP. XVI.

PRimus igitur fons vitæ omnisque fœlicitatis nostræ est, DEI patris misericordia erga hominem, qui nos omnes saluos vult fieri, qui facit oriri Solem super bonos & malos, qui ita dilexit mundum, vt filium suum vnigēitum tradiderit, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Hic misit verbum suum, qđ nos sanauit, misit misericordiā suam

Prima causa Deus pater. *1. Tim. 2.* *Matth. 5.* *Ioan. 3.* *Psal. 106.*

CHristum IESVM filium suum æternum Dominum nostrum, ad quem tamen nemo venire potest, nisi idem ipse Deus pater, pro sua misericordia, qua nos complexus est, eum traxerit, tractumque sua bonitate & auxilio ꝓsecutus fuerit: Neq; enim salus vitaq; currentis est, sed Dei miserentis, ita vt ex hoc vno fonte misericordię Dei patris, omnis ratio salutis, vitæ & iustificationis nostrę promanet. Vt enim nõ solum mundi, verùm etiam totius diuinitatis fons & principiũ Deus pater est · ita & salutis nostræ princeps causa est. Hic est fons omnis bonitatis, hic vitæ nostræ, omniumq; cõmodorũ nostrorum author, qui nos gratuitò abluit & sanctificat, signans & vngens spiritu promissionis sancto, qui est pign⁹ hæreditatis: hic est fons & causa prima salutis & iustitiæ nostræ. Secunda verò ex eodem fonte promanans dilectissimus vnigenitus Dominus noster IESVS CHristus, verbum patris æternũ, qui semetipsum pro nobis tradidit, ac cùm esset in forma Dei, ac patri per omnia æqualis & par, seipsum exinaniuit,

Principiũ omnium rerum Deus pater.

Ephes. 1.

Secunda causa iustitiæ nostræ Christus

Philip. 2.

uit,

uit, formaque serui assumpta, obediuit Deo patri, vsque ad mortem crucis, in qua seipsum Deo patri victimã suauissimam pro peccatis nostris obtulit, iram eius placauit, peccata nostra sanguine suo abluit, & cùm essem⁹ inimici Dei, filios charissimos & regni sui cohæredes fecit: CHristus enim IESVS pro sua nimia in nos charitate & immensa bonitate, sua sanctissima passione in ligno crucis, in qua omnes potestates vicit, & per semetipsum triumphauit, vt iusti in conspectu Dei patris essemus meruit, sordes nostras emundauit, purosque & DEO patri gratos reddidit. Quamobrem merito causa vitæ nostræ meritoria à SS. Concilio Tridentino vocatur. Tertia causa sine qua nulla ratione homo reformari, iustusque in conspectu DEI pronunciari potest, fides nostra in CHRISTVM IESVM Dominum nostrum & DEVM patrem, quod ipse CHristus satis apertè docet, cùm inquit: Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant solum DEVM verum, & quem misisti IESVM

Beneficium CHristi.

Tertia causa fides.

Ioan. 17.

CHristum. Etenim ea vis fidei nostræ est, vt nos Deo gratos reddat: nemo siquidem ei absq; ea placere potest; nullus accessus datur ad Deum sine fide:
Heb.11. oportet enim accedere volentem ad Deum credere. Hæc est quæ nos DEO commendat, gratosque facit. Qui hāc non habent, abominandi in cōspectu
Rom. 5. Dei sunt; fide iustificati per CHristum pacem habemus ad DEVM. Vbi fides non est, ibi pax consistere non potest. Irascitur Deus incredulitati, auersatur infideles, & vt hostes abominatur. Incredulitas illorum, Dei iram cōtra se accendit. Si credidissent parentes nostri illi primi verbis eius, seruassent mandatum de non gustando fructu arboris vetitæ: sed dum dubitant, dum non credunt, in eas calamitates irato Deo inciderunt, vnde non nisi per fidem emergere possumus. Prudentior Abraham qui credidit: hoc enim vno modo iustus apud Deum reputatus,
Rom. 4. quia credidit, amicus Dei factus. Qui si nō credidisset, hostis Dei fieret, iram DEI experiretur, vt & parens eius expertus: Hoc vno quod crediderit, & mala

mala innumera & iram Dei euitauit, & amicus Dei factus. Fides igitur non minimum ad iustificationem, & reformandum hominem confert, quam, si reformari volumus, & iusti corā Deo constitui afferamus necesse est, Fides est quam adferre debemus: quam nisi quis attulerit, reformari non potest. *Cum fide ad Deum veniendum.* Vis cœnare cum Christo, vis venire ad nuptias eius, fidei symbolum adfer. Quod qui non afferunt, nec pectora sua eo obsignant, à mensa CHristi excluduntur, à meritis eius arcentur. Nā etsi, Deus, vt iam diximus, hominem absque ipso homine conformauerit, reformare tamen corruptum, absque eius consensu & mutua opera, quam fides declarat, non vult, voluntati & potentiæ Dei: volūtas nostra (quæ libera est) & consensus noster accedat necesse est: sponte sua ad se venientes, & sibi credentes, recipit. Quid est enim, cur cum Christus pro omnibus mortuus sit, omnes saluos esse velit, vt omnes saluaret in mundum venit, nō omnes tamen tantæ bonitatis eius, tanti muneris eius participes sunt? cur plu- *Cur non omnes participes meriti Christi.*

res pereunt, castraq; Sathanæ non deserunt? An non ꝓ omnibus sanguinē suū in cruce effudit? an non ad omnes fructus passionis eius peruenit. Ad oēs
Rom.10. Christus manus expandit, omnes vocat, omnium Deus pater misertus, filium suum in mundum misit: Non est
Galat.3. Hæbreus, non Barbarus, non Græcus, liber, seruus. Omnes sunt idem in domino, pro omnibus precium sanguis Christi effusum. Sed quid illis qui pereunt deest? voluntas ipsorum, quod liberum arbitrium eorum euersum, ꝙ mortem vitæ, tyrannum & mortis authorem benigno patri suo, & authori vitæ anteferunt, quod tenebras luci præferunt, nec vocantem Christum sequuntur, ꝙ promissis eius non credunt, fidemq; in eū abijciunt, seipsos indignos tantis bonis faciunt. Vis particeps meritorum Christi esse, sequere vocantē: vult ille te saluū esse, velis tu quoq;: crede & saluꝰ eris Sed huic quęstioni iā satis copiosè respondimꝰ, ad causā vitæ nostræ, quā reformationē, & imaginis Dei reformatæ restaurationē vocamus, redeo. Triplex est vt diximus

ximus, restaurandæ vitæ nostræ & iusti ficationis nostræ causa: Dei patris erga nos immensa misericordia, qui filio ꝓprio & vnigenito non pepercit, sed ꝓ nobis eũ tradidit, q non secundũ peccata nostra facit nobis, neque secundũ iniqtates nostras retribuit nobis, sed vt benignissimus pater misertus est nostri, cognouitq́; figmentum nostrũ, & corroborauit super nos misericordiã suam. Est enim pater omnium misericordiarum, & fons bonitatis, Secunda autem est Christus ipse victima Dei patris, qui seipsum hostiam viuentem & DEO placentem in ara CRVCIS DEO patri pro nobis vltrò obtulit, irã eius placauit, veniamque scelerũ nostrorum ac perfidiæ in Deum meruit, quique nos Deo patri offert, ac pro nobis interpellat. Tertia verò fides nostra non coacta, non vi expressa, sed voluntaria, & quæ vltrò Christum vocantem sequatur, quæ nihil dubitet de misericordia, voluntate, & potentia diuina, quæ firma opinione assentitur, Dei filiũ Christum verũ & vnigenitum, in hũc mundũ à Deo patre

Tres causæ iustificationis

Psal. 102.

Rom. 12.

1. Ioan. 2.

tre missũ, venisse, vt nos suo sanguine redimeret, vt mortem & captiuitatẽ nostram euerteret, Deique iram aduersus nos placaret. Et quidem Dei patris misericordia & merita passionis Christi sunt causæ salutis nostræ agentes, ac sua vi sponteque vitam nostrã operantes, & ita operantes, vt omnia possint modo velint; Neq; enim Deus omnia quæ potest facit. Etsi enim omnipotens est, non tamen omnia facere vult. Potest quidem salutem nostram in nobis etiam inuitis nobis operari, sed non vult: ita eam operatur vt nos ab eo munere non excludat, vt iuuari à nobis suam hanc nostri curam velit, suæque voluntati nostrã adiungi postulet. Quam vt ei adiungamus, non vi à nobis extorquet, sed volentibus suadet, voluntate nostra, quæ ex libro arbitrio dependet, suæ voluntati & bonitati adiuncta, nihil moratur, non differt salutis nostræ & vitæ reformationem: nulla mora in eo est, modo nos ipsi nobis non defuerimus: in nobis non illo omnis mora est, nos ipsi nobis nostræq; saluti desum⁹, qui volun-

Deus causa absoluta.

Deus omnia potest, non omnia vult facere.

tati

tati eius noſtram voluntatem nön adiungimus, qui dictis eius non credim⁹, nec benignè inuitantem ſequimur. Facile Deus munera ſuæ bonitatis ijs imprimit, qui capaces eorum ſunt, qui credunt, qui ſalui fieri volunt, qui ſuum conſenſum Dei voluntati adiungunt, ſtatim reformantur, vitam conſequuntur, meritorum Christi participes fiunt, & iuſti apud Deum habentur: nam vt Philoſophi etiam docent, cauſæ agentes in ea materia facilè vim ſuam exercent, & quod conantur imprimunt, quæ ita præparata & perpolita eſt, vt facile culturam illam & vim ſuam admittat. Nos vitæ noſtræ, iuſtificationis noſtrę materia ſumus, nobis forma ea quam iuſtificationem vocamus, imprimitur. Vt igitur imprimatur, animos noſtros & voluntates noſtras, vt tanti diuini beneficij capaces ſint, aptemus & præparmeus, & duriciem ac ſcabriciem noſtram emolire & equare contendamus. Quod vt faciamus, voces diuinæ nos hortantur. Pręparate, inquit Propheta, corda veſtra, ad recipiendas miſerationes Dei: Pulſate

Qui ſunt meriti Chriſti participes.

Cauſæ in qua materia agũt

ſate aperietur vobis, petite & accipietis. Iubemur vigilare, iubemur corda noſtra præparare, vt diuini beneficij capacia ſint, ne ea obduremus, ne vocantem Deum negligamus, admonet ſanctus Dauid. Sine nobis DEVS nos fecit, ſine nobis non refecit. Sine eo vitam amiſimus, imaginem eius ſordib⁹ peccati abluimus, ſine eo nec vitam recuperare, nec imaginẽ eius reſtaurare poſſum⁹. vult ille, velimus nos. Omnipotens quidem eſt; vult tamen ſibi cooperari: fidem in nobis requirit, q̃ nos illi cõmendet, quæ gratos faciat, ſine qua nunquã illi placemus. Niſi fide peccati noſtri fętor condiatur, fœtorem noſtrum ille non fert, nec vnq̃ ad reformandos nos purgandoſq; accedit, niſi fidei odorem in nobis hauriat. Vis vt accedat, vis vt vulnera tua alliget, vt te abluat, fidem indue: fides eſt cauſa iuſtitiæ tuæ. Non illa quidem princeps, quæ totum efficiat: quæ ſola ſalutem operetur, ſed quæ DEVM operantem, non vt impotentem, ſed ita volentem adiuuet: eſt enim fides noſtra ex eo genere cauſarum

Deus vult vt ſecum ſalutẽ noſtram operemur.

rum

rum, ſine quo res confieri non poteſt, quod tamen ſi adfuerit, non ſtatim quod inſtituimus perfectum & abſolutum erit, niſi cætera accedant. Quare non rectè argumentantur illi, qui ſi fidem habeant, ſe iuſtos abſolutoſque eſſe ſtatuunt, ac certo ſibi perſuadent, nihil ſibi ad iuſtitiam deeſſe, clamareque non deſinunt, ſolam fidem iuſtitiæ noſtræ cauſam eſſe, cætera omnia ab eo munere excludi, cum fides ea cauſa iuſtitiæ ſit, ſine qua quidem inſtitia noſtra eſſe nequeat, non tamen ea cauſa ſit quæ abſolutè agat, non quæ ſola ſubſiſtat, ſolaque ſalutem noſtram operetur: ſalutis enim noſtræ DEVS pater, & Chriſtus filius ſuus cauſæ efficientes & abſolutæ ſunt. Ab ijs ſalus noſtra dependet, ex eorum fontibus bonitatis hauritur. Fides tua eſt vas quo hauris, fides tua cor tuum præparat, teque totum aptum & capacem DEI donorum & iuſtitiæ eius reddit. Præparat dico, non perficit: DEVS enim eſt qui perficit, qui abluit, mundat, reſtaurat, imaginem ſuam in te reformat; fides

Fide apti reddimur ad gratiam Dei.

fides aditum tibi parat, fides trahit, fides commendat, & nos vt materiam capaces & habiles formarum, quæ nobis à DEO imprimendæ sint, reddit. Tu es materia formæ illius quæ iusticia dicitur, tibi illa imprimitur, vt imprimi possit habilis esto. Habilem te eius & capacem fides in Deum & Christum filium suum faciet, quæ & ipsa est iustitiæ species : quæ nisi adfuerit, locus in te iustitiæ non erit, imprimique tibi ea forma non poterit. Concludamus fidem esse eam causam, sine qua iusticia nostra consistere non potest, sine qua Deus nos reformare, & innocentiæ illi, quam præuaricando præcepto suo, perdidimus, restituere non vult, iustósque pronunciare renuit. Nam quod dicitur sola fide nos iustificari, non hoc sensu accipiendum est, quasi sola fides iusticiam nostram operetur, quasi cætera ab eo munere præstando excludantur, sed quod sine fide locus nullus iusticiæ relinquatur, quod sine fide nostra Deus insticiam suam nō vult nobis imprimere, quod neque lex, nec vllum opus si fides ab-

Quo sensu accipiendū est, fide sola iustificari hominē

sit

ſit, nos Deo commendare poſſunt. Vſitatum autem eſt, ijs ſine quibus res confieri nullo modo poteſt, totum illud quod fit, attribui. Quemadmodū Deo quicquid recte à nobis fit, totum acceptum referimus, nobis autem nihil tribuimus, nō quòd opus illud bonum abſque nobis fiat, ſed quòd abſque Deo non fiat. Currimus quidem nos, totum tamen curſum virtuti diuinæ tribuimus, quoniam ſine ea nos fulciente currere nequeamus, ſtatimque impingamus ac ruamus. *August.*

Materia ſubiecta & finis iuſtificationis.

CAP. XVII.

ET quoniam agentes cauſæ ſemper in ſubiecta materia, in qua vim ſuam exerceant, verſantur, certumque ſibi ſcopum & finem, quo ſuum conſilium conferant, & in quo acquieſcant, proponunt, dubium non eſt, cauſarum iſtarum quas diximus, materiam ſubiectam, in qua reformanda & priori formæ reſtituenda occupentur, hominem ipſum eſſe, qui temeritate ſua neglecto diuino mandato, in æ-

num peccati prolapſus, iuſtitiæ in qua conditus erat, iacturam & naufragium paſſus eſt, totuſque perditus ac iniuſtus in conſpectu Dei conditoris ſui factus, & qui non aliter amiſſam iuſtitiam, & deturpatam pulchritudinem ſuam recuperare potuit, quã ſanguine filij DEI à DEO patre cœlitus demiſſi effuſo. Hic .n. ſordes illas peccati quæ imaginem & ſimilitudinem diuinam homini impreſſam oppreſſerunt, aboleuit, & ſuo ſanguine emundauit, hominemque damnatum & perditum & in ſordibus peccati iacentem erexit, ac in conſpectu DEI patris iuſtum & purum conſtituit, filiumque & hæredem ei⁹ fecit. Quæ tota reparatio lapſus noſtri, & ruinæ noſtræ reſtauratio, iuſtificatio appellata, quæ eſt iuſtitiæ ei⁹, quã amiſeramus reſtitutio, ac amiſſæ hęreditatis recuperatio, in poſſeſſionemq; innocentię, fraude diaboli nobis ereptæ reductio, vt in eã poſſeſſionem homo reſtitutus, vitam æternam à qua ad mortem tum fraude Sathanæ, tum temeritate & ſuperbia ſua, diuiniq; mandati cõtemptu abreptus erat, recuperatæ,

Iuſtificatio eſt reparatio hominis.

ratæ, Deum & cõditorẽ & reformatorem ſuum agnoſcat, laudet ac glorificet, cum eoq; perpetuò vt filius & hæres regnet. Vnde duplicẽ finem reformati hominis, Patres ſancti docuerũt: Alterum, vitam illam beatam, & regnum qđ ab æterno Deus pater nobis preparauit: alterũ, gloriã Dei. Voluit enim Deus, vt eſſet qui & ſuis bonis ꝑfrueretur, & ſuã bonitatem & ſapiẽtiã agnoſceret, ac ſe veneraretur, laudaret, & omni genere gloriæ & honoris proſequeretur. Vbi videre eſt Sathanã, grauiſſimum ſcelus cõmiſiſſe, qui non ſolùm hominem à ſuo ſcopo ad quem tenderet, auerterit, vitamq; illi æternã & beatam inuiderit: verumetiam Deum conditorem ſuum, omni honore & gloria exuere conatus ſit. cùm eum qui honoris diuini cauſa conditus eſſet, ad ſe gloriæ Dei oppugnatorem auerterit, infeſtumque conditori ſuo reddiderit, hocque egerit, vt & ſeruum DEI abduceret, perpetuumque hoſtem ei redderet, ac poſtremò eum vita exueret, & DEVM ipſum gloria ſua expoliaret, ac ad ſe transferret.

Finis iuſtificationis noſtræ duplex.

Malitia Sathanæ.

Sathan gloriam Dei transfert.

Quam iniuriam & hominis & suam, Deus tulit quidem diutius, sed nō pertulit, nec impunitam esse voluit. Nam etsi iustè & meritò homini, sui desertori irasceretur, temeritatemque eius & præuaricationem sui mandati odisset, tamen & misericordiæ suæ obliuisci non potuit: recordatus enim figmēti sui possessionisque suæ indignè & superbæ à transfuga suo occupatæ, & suam contumeliam, honorisque & gloriæ suæ iacturam pati non potuit, iustam sentētiam in hostem suum diabolum pronunciauit, hominemque sui desertorem ad se reuocare, Sathanæque vim & caput obterrere, filium suum hominem factum iussit, omniq; regno quod nefariè occupasset, in quo superbè se iactaret, ac sibi domino suo quem adorare deberet, insultaret, expoliare præcepit, suamque possessionem sibi reddi, hostem spoliatum cathenis vinciri, & in tartarum ad diem iusti sui iudicij reseruandum mitti, hominemque sibi ereptum; priori gloriæ & iusticię restitui voluit, ac propterea vnigenitum suum Christū Iesum dominum

Psal.102.

Sathan transfuga Dei.

Sathan in tartarum mittitur.

2.Pet.2.

Iudæ 1.

minum nostrum, semen Euæ promissum, verbumque suum in hunc mundũ misit, qui morte sua hoste euerso, regnum Deo patri restituit, ac ipse triumphator ad dexteram eius consedit, prędam ipsam hosti detractam offerẽs ac nos ei semper cõmendans, semperque pro nobis interpellans : est .n. aduocatus noster apud Deum patrem, *1. Ioan. 2.* quo pro nobis interpellãte nemo nos à gratia Dei patris excludere poterit. Apertum regnũ Dei habem⁹, data omnib⁹ eò ingrediendi libera facultas. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Vbi Christus est magister noster, dubitãdũ non est, nobis quoque ibi locum esse. *Matt. 23.* Volo, inqt ille, pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister me⁹. Quod ille vult, *Ioan. 17.* pater probat, nihil filio suo, qui ei obediens vsque ad mortem crucis fuerit, negat. Nihil nobis quo minus eò, vbi Christus cõsedit, securi perueniamus, obstat, nihil impedimento est, modò nos nobis non defuerimus, vocantẽque Christum audierimus, eiusque vocem sequi voluerim⁹, omnis vitæ nostræ & hæreditatis à Deo oblatæ ratio,

 tum

tum à diuina gratia tum ab obedientia nostra depēdet: diuina gratia plenè in nos effusa est, nihil relictū est, quod ex parte diuina & iustitiæ & vitę nostrę desit. Misit Deus filium suum vnigenitum, cui propter amorem nostri non pepercit, sed pro nobis tradidit eū; illū nobis donans, omnia cum ipso nobis donauit. Ille est vita nostra, ille regnum nostrum, & hæreditas nostra: omnes ille vocat, excludit neminem à regno patris, ad omnes totos dies expādit manus suas, nihil nobis deesse vult, & tantę gratiæ vt capaces fieri contenderemus, nostramque crucem portantes se sequeremur pręcepit. Quod cùm ita sit, nihil eorum, quæ ad iter hoc regni cœlestis, ad quod vocamur, quod nobis apertum est, quod neminem exclu dit, necessarium fuerit, prætermittere debemus, nisi ingratissimi tantę bonitatis diuinæ, totque & tantorum donorum eius, & nostræ salutis vitæque beatæ vltrò nobis occurrenti, videri & tanquam perditi damnari velimus.

Rom. 8.

Deus pater cum CHristo omnia nobis donauit.

Qua

Quæ sunt, sine quibus ad regnum Dei venire homo non possit.

CAP. XVIII.

PRIMVM est igitur, quod à nobis postulatur, quodque nos capaces vitæ æternæ & iustitiæ Dei reddat, fides nostra in Deum patrem & filium eius IESVM CHristum, quem ille in hunc demisit mundum, & quem pro nobis tradidit. Fides est quæ nos primùm commendat Deo, quæ accessum nobis ad Deum præparat, ac repagula iræ eius iustæ contra nos ammouet, valuasq; eius gratiæ pandit. Oportet, inquit Apostolus accedentem ad DEVM credere. Et, sine fide Deo nemo placere potest. Fides nos sanos facit, fides illuminat, fides à morte excitat. Vnde illæ voces diuinæ: Fides tua te saluam fecit, Creditis me hoc posse facere. Et, ne metuas, tantum modò crede. Credidit Abraham, & reputata est illi iustitia: & aliæ infinitæ, quæ quanta vis fuerit fidei in CHRISTVM IESVM, passim & apertè do-

Prima commendatio nostra fides.

Heb.11.

Matth 22.
Matth. 9.
Luc 8.
Rom.4.

cent.Fides igitur nos Deo commen-
dat,fides iustos reddit,fides oculos no
stros,vt arcana DEI capiamus, vt ma-
iestatem eius agnoscamus,aperit :sine
ea in cognitionem diuinitatis, eiusque
misteriorum venire non possu-
Isa.7. mus,quod propheta apertè docet, cū
ait;Non intelligitis hæc nisi crederitis.
Cognitio sensus & fidei differunt. Alia cognitio sensus & mentis no-
stræ,alia fidei.Sensus non nisi externa
& crassa apprehendunt:fides in arcana
DEI suos oculos infert,& quæ mentē,
omnemq; vim intelligendi exuberāt,
comprehendit,ac intellectum ipsum
Philip.2. captiuum abducit,sibique obedire co
git.Qui nisi illi subijciatur,nisi pareat,
ac illi consentiat,cæc9 & inanis fit, &
ab omni illa cognitione diuina exclu-
ditur,ac in tenebris erroris depressus,
lucem veritatis nunquam aspicere
potest. Prima igitur cōmendatio no-
stra primum vestibulum, in quo con-
sistamus ante DEVM, fides est : nisi
hoc fundamentum firmum vitę & iu-
stificationis nostræ posuerimus, quic-
quid superstruxerim9,ruet, & ita ruet
vt nosipsos sua ruina obruat. Nihil
prode-

proderit legis arcta obseruatio, nihil opera quãtumuis bona & pia fuerint, nihil victimæ, nihil oblationes & eleemosinæ, nihil est tam bonum quod infideli fructum faciat, quod vitam illi pariat, iustumque eum in conspectu Dei reddat: omnia extra fidem instar peccati sunt, Deo placere nõ possunt. Fide reiecta Adam exosus Deo factus, morti subiectus, paradiso eiectus, mox periturus, nisi iterum promissis DEI credidisset, nisi veram illam & stabilem Dei promissionem de filio suo in mundum venturo credidisset, & firma spe apprehendisset. Vt enim audiuit vocem illam: Inimicitias ponam inter te & semen eius, tu calcaneo eius insidiaberis, illud conteret caput tuum, firma fide eam apprehendit, certam & indubitatam spem concepit, semen illud venturum, ac Sathanæ vim & potestatem, cui vt præuaricator diuini præcepti subiectus esset, obtriturum ac se liberum facturum. Hæc fides illum penitus perire non permisit, hæc perditum conseruauit. Fides Abraham iustum fecit, fides vbiq; terrarum

Lex sine fide nihil prodest

Ingrata sunt omnia opera bona quæcunq; à Christiana fide non producuntur, non quia displiceant Deo & exosa sint vt peccatum, sed quia non acceptantur sine fide, sine qua impossibile est placere DEO.

Gen. 3.

Deut. 32.

Dan. 14. Dan 3. tutata eum est: fides Danielem in lacu leonum defendit, fides trium puerorum flammam ignesque vrentes liquefecit, omnemq; vim eius ademit: Matth. 14. fide firma Petrus maria calcat, fide infirmata mergitur: Dum credit in CHRISTVM ijsdem vestigijs eius per fluctus eum sequitur, dum dubitat mergitur, & à CHristo increpatur, & vt modicæ fidei & dubius reprehenditur.

Nec veteres illos qui CHristi incarnationem præcesserunt, absque fide in CHristum IESVM, saluos fieri potuisse.

CAP. XIX.

AC non solùm nobis quibus Christus, homo ex virgine natus prædicatur, necessaria fides est ad consequendam salutem, & apprehendendas promissiones diuinas, verùm neque veterum quidem illorum patrum qui Christi in carne aduentū pręcesserunt, qui quā absq; fide in eum ipsum Christum & Deum, salutem consequi potuit: eadem fide illi, qua & nos salutem cōsecuti sunt. Quamuis enim illi summa

Eadem fide veteres qua et nos saluati

ma virtute præditi fuerint, quamuis iusti fuisse prædicentur, non tamen absque fide, & peccatorum remissionem, & vitam beatam, qua nunc perfruuntur, & promissiones diuinas, absque fide consequi & apprehendere potuerunt: CHristi hoc donum & gratia est, qui est vita nostra & mediator noster, qui in remissionem peccatorũ sanguinem suum effudit, quo & nostra & illorum peccata abluta sunt. Quod ita esse, illi ipsi patres sancti, quorum virtutes & pietatem miramur, testantur vocibus illis sacris: Credidi, propter quod locutus sum. Non intelligitis nisi credideritis. Quid credidit Dauid? nisi quod & nos credimus & loquimur, inquit Apostolus. Quid Esaias docebat? quæ intelligi & comprehendi ingenio hominis absque fide non poterant? Idem quod & nos sine ea capere nequimus, ea illi intelligere non poterant, in quæ & nos mentis nostræ aciem, nisi oculis fidei instruatur, inferre nullo modo possumus. Quæ igitur

Fides donum CHristi.

Ioã. 14. et 1.

Psal. 115.

ea

ea ſunt? Chriſtus IESVS filius vnigenitus Dei patris, & verbum illud quod erat in principio apud Deum, quod erat Deus, per quod omnia facta ſunt, quo cœli firmati ſunt, omniſq; virtus eorum roborata, quod verbum ſpiritu ſancto operante in vtero virginis caſtiſſimæ Mariæ, caro factum, quod ex eo natum, quod in cruce pro nobis pependit, & ſanguinem in precium redemptionis noſtræ effudit. Quod nos factum credimus, hoc illi futurum fuiſſe credebant: quæ nobis facta annunciantur, illis futura prænunciabantur. Illi venturum CHriſtum hominem futurum, cruci affigendum, pro peccatis noſtris moriturum, pro iuſtificatione noſtra reſurrecturum crediderunt, idq; firma fide apprehendentes, indubitata ſpe expectabant, nos hæc facta omnia credimus, ac CHriſti mortis magnitudinem celebramus, gratias Deo patri pro tanta eius in nos bonitate agimus. Hoc idem Dauid credidit, & dixit: Credidi & locutus ſum. Quod enim corde credidit, hoc idem ore confeſſus. Quam magnitudinem bene-

Ioan. 1.

Pſal. 32.

Quomodo veteres, & quomodo nos credidimus.

Pſal. 115.

beneficiorum Dei, & CHristi meritorum animo apprehenderat, quam in corde inclusam tenebat, in verba erumpens ore confitebatur, ac apud omnes testabatur, omnes redemptionē sui expectantes, solabatur, & ad spem indubitatam, mentes eorum erigebat. Vt mors per vnum hominem, ita vita per vnum hominem CHristum. Neq; audiendi sunt Pelagiani, & quicunque eorum errorem sequuntur: atque non omnes beneficio Christi eguisse, impudenter & impiè asserunt, cùm alios naturæ, alios legis Mosaicę viribus vitam consecutos mentiuntur, ac CHristum suis meritis expoliant, qui pro omnibus sanguinem effudit suum. Nam si absque merito CHristi, illi qui CHristi mortem longo antè tempore præcesserunt, vitā consequebantur, cur Christum in carne inter homines versantem, & viam salutis monstrantem, in cruce stantem, morientem, sepultum, & resurgētem, in cœlosque ad patrem ascendentem, videre desiderant. Multi reges, multi Prophetæ desiderarunt videre, quod vos videtis (inquit veritas

Hæreticorū error.

Sine CHristo nemo iustus.

Luc. 10.

&

et vita nostra ipse Christus.) Cur desiderabant? cur videre cupiebant, si absque illo vitam perditam recuperabāt? Quomodo Paulus dixisset: vt mortem per vnum hominem in mundum ingressam, ita per vnum hominem vitā mundo dari? et per vnius hominis obedientiam iustificari multos? Quomodo vnus Dei et hominum mediator diceretur, si alia via salutis, præter Christum Iesum incarnatum inueniretur? Quomodo diceret ille. Ego sum via, veritas, et vita: Nemo venit ad patrem, nisi per me? Ille solus est ostium, ille propitiatio et redemptio omniū: Hic solus est, qui captiuitatis omnium authorem euertit, ac caput serpentis conculcauit, Per hunc vnum, qui à cōdito orbe fuerunt salutem consecuti, in Christum fides omnes saluos fecit, quæ vna omnium est, & in vno CHristo, qui venit pro nobis iudicari & mori, iudexque esse & viuorum & mortuorum, terminata. Nemo est omnium, qui alia via iustius fieri in conspectu Dei potuit: nemo sine fide in Christum salutem consecutus: nullum nomen

Rom. 5.

Ioan. 14.

men ſub cœlo reperitur, in quo ſaluus quis eſſe poſſet. Non natura, non lex, iuſtos in conſpectu Dei homines, ſed CHriſtus IESVS filius, & verbum Dei caro factum, conſtituit. Et hæc eſt fides noſtra, in cuius virtute regnum Dei conſiſtit. In hoc vno nomine vitam conſequimur, in hoc ſolo iuſti apud Deum reputamur: hic ſolus populum ſuum à peccatis ſanguine ſuo emundauit, ac puros nos in conſpectu Dei patris conſtituit. Vna igitur fides eſt, quæ omnes ſaluos facit: vnus mediator DEI & hominum IESVS Chriſtus, in quem qui ab initio mundi crediderunt, vitam æternam conſecuti ſunt. Fides in CHriſtum quæ nos ſaluat, ſaluos illos & iuſtos faciebat antiquos, puſillos cum magnis inquit D. Auguſtinus.

Ioan. 1. *1. Tim. 2.*

Quæ initia fidei; & quæ incrementa fuerint:
CAP. XX.

ET quoniam nemo Deo placere poteſt ſine fide, & accedentem ad DEVM credere oporteat, non ſolùm poſt lapſum ſuum hominem credere, fideq́, munitum eſſe oportebat, verùm

verùm etiam ante ipſum lapſum parentes illos noſtros primos oportuit credere, Deum eſſe, & quærentibus ſe remuneratorem eſſe, ac ea quę diceret, quæ præciperet, vera & amplectenda eſſe confiteri. In qua fide illi, ſi vt cœperant, perſtitiſſent, in eam calamitatem in quam inciderũt, nunquam delapſi fuiſſent, nec mortis imperium ſubijſſent: hac enim fide reiecta in omnium malorum fluctus inciderunt, Dei iram in ſe prouocarunt, & pro benigniſſimo patre, hoſtem acerbũ ſibi reddiderunt. Amiſſa enim fide, violato diuo præcepto, nihil amplius erat, quod eos Deo commendaret: amiſſa fide, in conſpectum Dei venire nec audent, nec poſſunt, latebras quærũt, quarum tenebris turpitudinem ſuã occultent, ſuppliciaque merita effugiant, interrituri ſtatim, niſi Deus pater miſericordiarum, figmenti illius ſui, fraude hoſtis deformati, recordatus fuiſſet, ac ad aliam fidem, quæ ruinam eorũ ſuſtentaret, prouocaſſet, ac filium ſuum ſemenque eius ipſius mulieris, quæ à prima illa, qua Deo placebant fide, deiecta

Heb. 11.

cta erat, promisisset, quod semen caput serpentis obtriturum esset, ac miserum hominem ab eius tyrannide liberaret. Quæ promissa sua si vera esse crederet, & firma spe & fiducia certa apprehenderet, saluam fore pronunciauit: Qua fide tanquam tabula nauis suæ fractæ homo arrepta, fluctus omnium malorum superare cœpit, nec statim elisus est. Quę sola & vnica causa fuit, cur CHristus Dei filius, & verbum patris in hunc descenderit mundum, & cùm esset æqualis Deo, seipsum exinaniuerit, formamq́; serui acceperit, ac in cruce mortem turpissimam subierit. Neque enim alia causa fuit, quamobrem veniret in mundum Christus IESVS, quàm vt peccatores saluos faceret, ac Dei promissa compleret: non enim merita nostra, non virtutes nostræ, aut vlla bonitas nostra, illum de cœlo traxerunt, & ex sede maiestatis suæ ad hæc cituma deduxerunt. Morbus noster medico opus habebat. Non venit ipse saluator vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Tolle morbos, tolle vulnera di-

Causa aduentus CHristi vera.

1. Tim. 1.

Ser. 8. & 9. de verbis Apost. cit August. & nulla est causa medicinę. Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus, ipso medico nostro Christo IESV teste. (Matth. 9.) Nisi homo à fide illa prima excidisset, nisi peccasset, & nauem fidei qua veheretur, qua DEO placeret, euertisset, tabula illi quam arriperet, cuius ope fluctibus peccati, & mortis impetu oppressus, vitam conseruaret, necessaria non fuisset. Quam nisi à misericordi DEO oblatam tenuisset, nisi ei firma fide & spe non dubia incubuisset, statim interiturus erat. Sufficiebat igitur primis parentibus nostris, & nobis sufficeret, si illi in prima illa perstitissent fide, nisique peccassent, credere DEVM esse, & remuneratorem se inquirentibus esse. Sed post admissum per illos peccatum, fidemque illam violatam, non est satis illud credere. Nisi etiam credamus in CHRISTVM IESVM, mediatorem Dei & nostrum, Adamo (Adami solatium.) ne mœrore oppressus absorberetur, promissum, quem & ille & posteri eius sancti & iusti viri, ac Prophetæ ma-

gno

gno cum desiderio expectarunt, ac mitti ad se postularunt, certam & indubitatam spem retinentes, eum aduentu suo se liberaturum, ac Deo patri reconciliaturum, vires Sathanæ fracturum. Qua fide vitam beatam salutemque animarum suarum consecuti, cum eo ipso medico suo CHristo viuunt. Quæ quamuis ita sint, non tamen necesse erat, omnia ea quæ ad CHRISTVM pertinerent mysteria omnes antiquos scire, & quis ille qualisque futurus esset, prorsus cognoscere. Satis erat credere eum venturum, Deique promissa certa & immota esse, eamque rationem, quam ille commodissimam ad vitam nostram restaurandam iudicaret, reperturum filiumque suum semen Euæ promissum cœlitus demissurum. Ad explicatius verò & distinctius de mediatore singula credenda ij soli tenebantur, quibus hoc fuit à DEO reuelatum, vt erãt Prophetæ, Patriarchæ, simul sacerdotes & Pontifices, quibus populi munus docẽdi incumbebat, qui ante legẽ

Fidei incrementa.

Prophetæ Christũ qualis esset cognouerant.

obſcuri⁹, & poſt à Moiſe datam legem apertiùs quibuſdam ſacrificijs & cæremonijs venturum Chriſtum mediatorem, ac redemptorem noſtrum adumbrabant. Omnia enim ea quæ Moiſes præcipiebat, vmbra futurorum bonorum erant, qua myſteria aduentus in carne CHriſti, & redemptionis noſtræ velarent. Quo velo, mòrte CHRISTI ſciſſo & amoto, omnia eius & dicta & facta in luce clara ſpectantur, ac ab idiotis etiam, orta luce CHriſti populo qui in tenebris ambulauit, & prædicantur. Multa Prophetę de Chriſto vaticinati ſunt, ac planè nihil eorũ, quæ facturus paſſuruſq; eſſet, reticuerunt, & ita eum ſuis verbis depinxerunt, vt non difficilè ab ijs qui diligentius omnia ſcrutarentur, doctrinam & facta eius, cùm dictis illis conferent, agnoſceretur. Sciebant ſacerdotes illi naſciturũ eſſe; nõ ignorabat Samarithana mulier, Chriſtum cùm veniret, omnia reſtituturũ, omnes expectabant redemptorem Iſrael: plurima tamen aut ignorabant aut perperam accipiebant, & tanquam in vmbra videbant. Vnde

Ioan. 4.

legis

legis etiam Doctores interrogati à saluatore nostro, quid sentirent de Christo, cuius ille filius erat futurus, etsi respondissent rectè, filium fore Dauid, memores illius: De fructu ventris tui *Psal. 131.*
ponam super sedem tuam: Tamen quomodo filius Dauid, quomodo item non filius, sed dominus eius esset, dicere non poterant, quòd non viderent ab eodem Dauid Deum & dominum vocari, cùm dicat: Sedes tua Deus *Psal. 92.*
extunc à seculo tu es Et sedes tua Deus in seculum seculi: Virga hæreditatis *Psal. 109.*
tuæ, virga regni tui. Et, dixit dominus domino meo, sede à dextris meis. Cũ enim CHRISTVS mediator noster, DEVS & homo futurus esset, hominem illi fore tantum putabant, qui diligeret iustitiam, odio haberet iniquitatem, & propterea à Deo vngeretur, oleo lætitiæ præ consortibus suis, qui accinctus gladio super femur suum debellaret gentes, regnumque in Israel æternum constitueret, & nunquam moreretur. Et propterea dicebant se audire ex lege, CHRISTVM non moriturum, cum Prophetæ mor- *Ioan. 15.*

tem eius describerent, & quomodo in
æternū viueret, quomodo morti ob-
noxius esset, demonstrarent, quibus-
que signis agnosceretur, ostenderent.
Exod.34. Quæ etsi expressa omnia essent, prop-
ter tamen velamen in Moysi facie po-
situm, agnosci & planè videri, à rudi
illo, & literæ hærenti populo non po-
2.Cor.6. *Tit.2.* tuerunt. At postquàm venit temp⁹ ac-
ceptabile, diesq́; salutis illuxit, postquā
apparuit gratia saluatoris nostri om-
nibus hominibus, qui dedit semetip-
sum pro nobis, vt nos redimeret, & ab
Col.1. omni iniquitate mundaret, sibi popu-
lum acceptabilem, sectatorem bono-
rum operum, tum verò fides media-
toris CHristi, qui pacificauit per san-
guinem crucis suæ, siue quæ in terris,
siue quæ in cœlis sunt, sicut clarior &
Credendum quid? apertior, ita magis esse cœpit necessa-
ria, vt iam non adumbratè sicut sub
lege, vel ante legem, neque sub vela-
Luc.23. mine (quandoquidem CHRISTO
mortuo velum templi scissum est,)
Rom.10. sed clarè, dilucidè, atque apertè crede-
rent, & confiterentur omnes, quod
Actor.10. venerit iam is, qui finis est legis, CHri-
stus,

ſtus, ad iuſtitiam omni credenti, cui teſtimonium perhibent omnes Prophetæ, remiſſionem peccatorum accipere, per nomen eius omnes, qui credunt in eum, cuius diem Abraham videre geſtiebat, ac vidit atteſtante ipſo CHRISTO, & gauiſus eſt. Vidit autem non carnis, verùm fidei oculis, quibus multò certius videtur. Pro quo mittendo Moſes orauit, dicens: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. Orauit Dauid, cùm alijs in locis, tum ter in vno Pſalmo repetens: Oſtende faciem tuam & ſalui erimus. Orauit Eſaias cum deſiderio clamans: Emitte domine agnum dominatorē terræ. Vtinam dirumperes cœlos & deſcenderes. Orauit in canticis Eccleſia dicens: Oſculetur me oſculo oris ſui: Sonet vox tua in auribus meis. Quid enim aliud ijs verbis à ſponſo ſuo CHRISTO petit? quàm vt qui loqueretur iam in Patribus & Prophetis, idem ore tandem aliquando loquatur in carne aſſumpta. Neque verò ſatis credere, quod venit in hunc

Ioan. 8. *Exod. 4.* *Pſal. 79.* *Eſaia 16.* *Eſaiæ 64.* *Cant. 1.* *Heb. 1.*

Luc. 1. Matth. 1. mundum, sed & illud fideles omnes tenere memoria necesse est, quod cõceptus est de spiritu sancto, quod natus est ex Maria virgine, quod traditus Rom. 4. est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostrã, quòd ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram patris, inde venturus iudicare viuos & Marc. 16. Actor. 10. Ephes. 4. mortuos. Quoniam verò qui virginis filius, idem est & Dei filius, in patrem quoq; omnipotentem credere necesse est, creatorem cœli & terræ; simul & in Quid de Christo credendũ. Spiritum sanctum, ex quo conceptus est, vt in tribus personis vnus credatur Deus. Distinctionem verò personarũ, & vnitatem substantiæ, si qui sunt rudiores, quàm vt comprehendere possint, non est adeò necessarium ad salutem omnibus explicatè credere, vt si quis minus hæc fuerit assecutus, de ei⁹ salute dubitandum sit. Neque enim in omnibus cognitio illa exacta mysteriorum, naturæ diuinæ, & Trinitatis in vnitate exacta subtilisq; exigenda. rudi populo, simplex illa fidei confessio satis est, vt sciat & credat, Deum vnum in essentia, & trinum in personis esse,

sine

ſine diſquiſitione vlla, quomodo hæc fieri poſſint, cum multa ſint, quæ eſſe doctiſſimi etiam viri, ſe & ſcire & credere, quomodo autem illa ſint, ignorare fateantur. Scimus CHriſtum in vtero virginis intactæ conceptum, quomodo conceptus fuerit, nihil prætermodo conceptus fuerit, nihil prætequam quod credimus, de ſpiritu ſancto conceptum. Scimus Chriſtum in mundum veniſſe, quomodo venerit, ignoramus. Scientia vera eſt noſtra fides, quæ etſi non omnia explicet, non in omnia inquirat, ſatis tamen hoc ipſo ſcit, quia ita eſſe credit, in ijs enim fides ante intellectum incedit, intellectuſque & mentis magiſtra eſt. Nam vt in illis quæ ſciuntur & cognoſcuntur, intellectus ante fidem locum ſibi vendicat, ita in arcanis diuinis fides captũ ducit intellectum, ſibique parere cogit. Quod niſi fiat, fidei ratio conſiſtere, nec mens naturæ diuinæ myſteriorumque eius, vim comprehendere, in eiuſq; cognitionẽ venire poteſt. August.

Vtrum homo ſola fide vitam æternam conſequatur iuſtuſq; apud Deum ſit, nec ne?

CAP. XXI.

ET quoniam fidem quæ donum Dei eſt, eam vim habere, vt ſola ſit, quæ aditum nobis ad Deum aperiat, neminemque abſque ea Deo placere poſſe diximus: quęrendum eſſe videtur, & diligentius exquirendum. Vtrũ necne ſola fides, ſalutem noſtrã operetur, iuſtoſque nos excluſis bonis operib⁹, ante tribunal Dei ita cõſtituat, vt à nobis nihil præterea reqratur, vt iuſti ab omniq; reprehenſione liberi in illo Dei iudicio pronunciemur: magna enim de hoc articulo fidei contentio, inter veteris Catholicæ Eccleſiæ alumnos, & noui Euangelij authores, excitata eſt, nec in vlla materia plus, & à noſtris & Patribus ſanctis proditæ veritatis defenſoribus, & à Lutheri ſectatoribus, qui veterum ſentẽtiam, cùm alibi, tum verò hîc oppugnant, ac conuellere conantur, plus laboratur. Multa Pauli, multa aliorum teſtimonia, aliter ab iſtis explicantur, quàm ſpiritus ſanctus per os Patrum noſtrorum explicauerat: Quæ vt ſtabiliant, ad veteres hæreſes magno conſenſu Eccleſiæ Catholicæ dãnatos confugiunt, ac Eu-

 nomij

nomij errorē ab inferis reuocant. Quis
enim neſcit Eunomiū aſſeruiſſe, nemi-
ni nocere peccata, quantumuis ille in
eis patrandis perſeueraret, ſi modo fi-
dei particeps fuerit, cùm Ioānes dicat *1. Ioan. 3.*
apertè, omnem qui ex Deo natus ſit,
peccatum nō facere, quoniam ſemen
ipſius in eo manet, & nō poteſt pecca-
re: & Paulꝰ induere nos nouum homi- *Ephes. 4.*
nem in agnitionem Dei iubeat. Quis
nouus homo? CHriſtus IESVS, quem
per fidem in eum induimus. Quomo-
do autē nouus eſt in te, ſi in cœno pec
cati veteris volutaris? Quid fidei, quæ
donum Dei eſt cū peccato? Quid Chri
ſto cum Belial? & luci cum tenebris?
Quid morti cum vita? Quomodo na-
ſcimur ex Deo? Nónne per fidē in Chri
ſtum? Nónne fides eius in nobis ſemen
eius fuerit? Quomodo autem hoc ſe
mine, quod in bonū opus pullulet ne-
ceſſe eſt, peccatum in te manens illud
non viciet? Quomodo fructum eiꝰ ſe-
minis, hoc eſt, iuſtificationem noſtrā,
nō ſuffocabit? Renouari oportere, no- *Renouari o-*
uumq́ue hominem induere docemur. *portet fidel.*
Nouus homo eſt CHriſtus, qui pecca-
tum

tum nõ facit, qui peccatum aboleuit. Quomodo nati ex Christo in peccato perseuerabim⁹? veterem hominem retinebimus, & sola fide iustificabimur? Quid est iustificatio? Nónne à peccato immunitas? Quomodo immunis fueris, si peccato delectaris? si in eo patrãdo perseueras, ac cõtra fidem tuam in Christum peccati hostem & euersorẽ pugnas? Hoc idem dæmones faciunt: nam & ipsi tremunt & cõtremiscunt. Quoniã tamen in peccato perseuerãt, & perseuerant cum voluptate, lætanturq; cùm malè fecerint, nõ iusti propter fidem, sed maledicti propter peccatũ sunt. Habes fidem & tu, delectaris tamen peccato & tuæ fidei illudis, donum Dei cõtaminas, fructum eius extinguis, iustũ tamen & vitæ æternæ participem te esse deputas, cùm quid de dęmonio decretum sit, scriptura sacra tibi ob oculos ponat, ac ne erres admoneat. Sed antequàm eum errorem refellamus, quibus sententijs & isti suum errorem muniant, sceleribusq; suis patrocinentur, q̃d contra Patres ex eadem sacra scriptura afferant, videre

Iustificatio est remißio peccatorum.

Illudere fidei quid sit.

operæ-

operæpretium fuerit: nam hoc modo & istorũ errori, in quẽ ex sensu scriptu rarum deprauato inciderũt, respõdere facilius fuerit, & quã incorruptè partes veritatem à CHristo traditã, & in sinu Ecclesiæ Catholicæ repositã cõserua-rũt, & quo sensu verba illa scripturarũ, quæ isti deprauant, accipienda sunt, clariùs apparebit. *Patres veritatis cõseruatores.*

Quibus scripturis Euangelici suam opinionem de Iustificante fide sola firment, & quibus refellantur.

CAP. XXII.

MVlta quidem illi cõgerunt multosque ex sacris literis afferunt locos, quibus suam doctrinam istam de Iustificatione stabilire conantur, ac in nos qui eam non probamus, liberiùs inuehuntur, ac tanquam sacrilegos damnant. Qui crediderit (inquiunt ait Christus) & baptizatus fuerit, saluus erit. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam ęternam. Viriliter *Marc. 16. Matth 28. Ioan. 3. Psal. 30. Psalm. 26.*

agite,

agite, nec paueatis ad aſpectum eorũ. Viriliter age, & cõfortetur cor tuum.
Eſai. 35. Dicite puſillanimes, cõfortamini, nolite timere. Aſſumite vniuerſam arma
Eph. 6. turam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die
1. Petr. 5. malo, cui reſiſtite fortes in fide. Filium ſuum miſit in mundum, vt viuamus
1. Ioan. 4. per eum. Commendat Deus charitatem ſuam erga nos, quòd cùm adhuc
Rom. 5. eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Dominus regit me, &
Pſal. 22. nihil mihi deerit. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo
Pſal. 26. mala, quoniam tu mecum es. Dominus protector vitæ meæ, à quo trepi-
Pſal. 30. dabo? In te domine ſperaui, non confundar in æternum. Certus ſum, quia
Rom. 8. neque mors, neq; vita, neque angeli, neque vlla creatura, poterit me ſeparare à charitate Dei. Omne quod dat
Ioan. 6. mihi pater, ad me veniet, & eum qui
Rom. 10. venit ad me, non eijciam foras. Quiſquis inuocauerit nomen Domini, ſal-
1. Ioan. 5. uus erit. Omne quod natũ eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria noſtra, quę vincit mundum, fides noſtra.
Rom. 4. Operanti merçes non imputatur ſe-
cun-

cundum gratiam, sed secundum meritum, ei autē qui non operatur, credit autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam, & dicimus quòd Abrahæ fides imputata est ad iusticiam. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Iustificati ex fide pacem habem⁹ ad Deum, per Dominum nostrum IESVM Christum. Per quem habem⁹ accessum, fidē in gratiā istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei. Corde creditur ad iustitiā. Omnis qui credit in illum non confundetur. Scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV Christi, & nos in Christum IESVM credim⁹, vt iustificemur ex fide Christi nō ex operibus legis. Gratia Dei saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, Non ex operibus, ne quis glorietur. Dedit eis potestatē filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius. Sicut Moises exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis q credit in ipsum, nō pereat, sed habeat vitam æternam.

Psal. 31. *Rom. 5.* *Ephes. 3.* *Rom. 10.* *Gal. 2.* *Ephes. 2.* *Ioan. 1.* *Ioan. 3.*

Non

Non misit Deus pater filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur. Et. Notum igitur sit vobis viri fratres, quod per hunc nobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus quibus non potuistis in lege iustificari, in hoc omnis qui credit iustificatur. Et hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Et. Non est in aliquo alio salus, neque enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri Et. Purificans fide corda eorum Et. Iustus ex fide viuit. Et. Notitia ei⁹ iustificat multos. Et alia multa quæ isti ad suos sensus detorquent, & pro sua libidine, neglecta sentẽtia patrum atque vniuersæ Ecclesiæ, interpretantur, & à se confictæ iustificationi accõmodant. Contra quorũ sensum, qd ex eadem scriptura sacra afferri possit, videamus, & vtrũne in sola illa istorum, quam tantopere iactant, fiducia, iustitia nostra, exclusis bonis operibus cõsistat, perquiramus. Ait Paulus, quem isti

Act. 13.

Act. 4.

Act. 15.
Abac. 1.
Esaiæ 53.

Refelluntur aduersarij .e stimonio sacræ scripturæ quæ docet so la fide, hominem non esse iustum.

isti sui erroris authorem præcipuũ esse volunt. Fidelis sermo est, & de ijs volo te cõfirmare, vt curent bonis operib⁹ præesse, qui credunt Deo. Audísne fiduciæ tuæ iactator, q̄d dicat Paul⁹? Qui credunt, inquit, discant bonis operibus præesse. Si credunt, & fiduciam firmam & indubitatam habent, quid ab eis Paule bona opera exigis? cur præesse bonis operibus eos iubes, & hunc fidelem sermonem, pręceptumq́ue hoc necessarium credentibus vrges? cùm aliàs vt illi docent, sola fide nos iustos apud Deum effici docueris, opera excluseris, & tanquam pannũ menstruale auersatus fueris? præesse iubes fideles bonis operibus, eumq́; non quemuis, sed fidelem sermonem, omniq́ue acceptione dignum esse ais? Nónne dixisti, gratia Dei nos saluos esse, non ex operibus ne quis glorietur. Si sola fide iusti sumus. Si sola fide saluamur, quid opus est nos bonis operibus præesse? Cur tibi non constas, & quę apud Euãgelicos opera bona reiecisti, apud Catholicos ea cõmendas, præesseque eis nos iubes, & eundem sermonem ite-

Tit. 3.

Ephes. 2.

Tit.3. Quid Paulus præcipiat vide.

rum & iterum repetis & vrges? Discant inquis, & nostri bonis operibus præesse, ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Fructuosos nos in bonis operibus & diuites vis esse: Quid quæso copia illa, & diuitiæ bonorum operum nobis cōmodi afferent? si sola fide exclusis istis operum opibus vitam consequamur? si iusti apud Deum habemur? Si Deꝰ opera nostra, & opes istas, quibus nos præesse iubes aspernatur, & tanquam honoris sui inimicas odit: si iustificamur ex fide Christi non ex operibus, quid nos ad hoc inutile & onerosum studium bonorum operum vocas? cur nullam epistolam ante concludis, quam inculcatis nobis operibus bonis? Si vides necessaria ad salutem, cur ea alibi damnas? Si inutilia, quid nos oneras & iugum nobis imponis, quod maiores tui totusque Israel portare non potuit? Nunquam, inquit Paulus, bona opera à fide seiunxi, nunquam eis detraxi, sunt enim fructus fidei. Sed fidem fundamentum primum salutis, & iustitiæ nostræ esse docui, sine quo fundamento, nihil

Paulus nō seiungit bona opera à fide

quod

quod apud Deum acceptum esset, ex- *Heb. 11.*
trui possit, cùm accedentem ad Deum
credere sit necesse, cùm illi absque fide
nemo placere potest. Hoc fundamen-
tum primum esse statuo, in quo alios
aurea, alios argentea, alios straminea
erigere tecta video, quorum opus ig-
nis probabit, in quo aurum nõ solùm
non peribit, sed etiam illustrius, & ex-
purgatum manebit, stipula in fumum
versa, ac ventis ab illo fundamento
deiecta: Non enim DEVS otiosos fi-
deles vult esse, suam crucem nos tol-
lere, & se sequi iubet. Otiosos & solam *Fideles Paulus non vult esse otiosos.*
fidem iactantes non vult esse: requirit
ab eis opera pœnitentiæ, quam illis
& per se, & per suos prædicat. Facite, *Matth. 3.*
inquit IOANNES, fructus pœni- *Luc. 3.*
tentiæ dignos. Credidistis quæ præ-
dicaui vera esse, demonstraui vobis
peccata vestra, quæ vos ipsi damna-
tis, & proptereà vt sordes aqua ablui- *Post baptismũ opera bona requiruntur.*
tis, deinceps fructus digni operaque
pia à vobis requiruntur: non satis
est enim à malo desinere, nisi bona
amplectaris & agas. Desine, inquit *Psal. 36.*
DAVID, à malo, & fac bonum.

Matth.3. Luc.3.

Quod nisi feceris, securis ad radicem arboris posita est, vt te arborem inutilem, nullum fructum ferentem, soloque foliorum viriore luxuriantem excidat, vt excisa ignis æterni nutrimentum, & fomes perpetuus fias. Omnis arbor, inquit vitæ nostræ & iustificationis nostræ author CHristus IESVS) quæ non fert fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur. Quæ est ea arbor? Nónne Christus arboribus aut serendis, aut excindendis dimissa gloria maiestatis suæ huc venit? Tu ipse q credidisti in eũ, arbor es, radix tua quæ te vegetat, quæ tibi primam attulit vitam, fides tua est. Hæc primùm vitam & virorem illum quo commendaris, tibi largitur. Sed ita largitur, vt non solùm folijs inanibus, & præter virorem nihil habentib⁹, orneris, sed vt florem etiam charitatis folijs tuis interseras, vnde fructus operum bonorum, Deo ipsi dulces proferantur, quib⁹ Christus ieiunus & esuriens pascatur. Hunc fructũ in ficu quæsiuit, quo non inuento, iratus omnem illum foliorũ splendorem, quo solo commendabatur, ab ea abstu-

Matth. 7. *Arbor inutilis excinditur.*

Fides radix vitæ.

abstulit, statimq; aridam fecit, & folio inani nudauit. Quid inquies mihi cũ ficu sensu carente? Mutato nomine de te parabola illa narratur. Tu es ficus & arbor illa sterilis, qui folia inanis tuæ fiduciæ ostentas, nullum fructum fide Christi dignum profers, fidem solã pleno ore concrepans, non arborum, nõ boum cura Christo & Deo est. Nostri causa Deus filiũ suum in mũdum misit, vt mundus per eum saluus sit. Nos arbores sum⁹, quas Paulus & alij in fide plantarunt, quas doctrina Euãgelij irrigarunt, quibus Christus incrementum dat, non vt folijs tantùm fidei luxuriemur, sed vt de flore charitatis fructus fide & Christo ipso dignos, perferamus. Huius causa plantati sumus, huius irrigati, hui⁹ letamen radici nostræ admouetur; non vult arborem inutilem, etiamsi fidei folia protendat, terram CHristus occupare suam, nisi fructum charitatis & bonorum operum proferat. Fides igitur q̃d est, nisi radix quæ arborem vegetat, & à qua vita oritur? Cui tamen nisi fructus operum, Deo & CHristo dignos proferat, secu-

Ioan. 3.

1. Cor. 7.

Ex radice fidei fructus expectantur.

ris admouetur, & tota arbor folijs virentibus luxurians exſcindi iubetur. A fructu qualis ſit arbor cognoſcitur:
Matth. 7. Bona arbor, fructus bonos profert, mala verò malos. Quo diſcrimine bona à mala ſecernitur & dignoſcitur? Fructu ipſo: Qualis eſt fructus, talem eſſe arborem CHriſtus ipſe pronunciat: Bona arbor, inquit, bonos profert fructus, mala autem malos. Aut arborem facite bonam & fructus bonos, aut arborem malam, & fructum malum. Non poteſt arbor bona, malos proferre fructus, nec mala bonos. Fi-
Fides eadem omnium, ſcz non idem fructus & propterea, non eadem premia. des, inquis, ipſa, hic eſt fructus, quem arbor profert; atqui fides vna & eadem eſt omnium, eadem eſt bonorum & malorum, idem mali credunt quod & boni: eundem CHriſtum IESVM
Rom. 5. per quē acceſſum habemus ad Deum, confitentur. Eandem fidem latro habuit, quam Ioannes Baptiſta habuit,
Ioan. 1. in illum CHriſtum credidit, quem Ioannes in deſerto monſtrauit agnum, qui tolleret peccata mundi, eũdem latro in cruce agnum eſſe agnouit, &
Luc. 23. latroni Chriſto inſultanti monſtrauit,

&

& vt ſua peccata tolleret, rogauit. Non igitur ex fide, non ex radice diſcrimen bonę arboris à mala ſumitur, ſed à fructu bonorum operum. Eadem fides Simonis Magi, quæ cæterorum, quos Philippus baptizabat, erat. Credidit & ipſe in CHRISTVM, nec poterat putris illa arbor ex ea radice à cæteris ſecerni. Cùm ad fructum ventum eſt, ibi Simon quis eſſet, qualis arbor eſſet, agnoſcitur: protulit fructum malum, pecunia oblata, domum ſpiritusſancti mercari contendit. Ex hoc fructu arbor illa putris à Petro cognoſcitur, & hortis CHRISTI eijcitur, diſciplinæ Apoſtolorum, ſecuri radix eius præciditur. Radix quidem erat bona, ſed arbor auaritiæ, & ambitionis, mercatuſque donorum Spiritus ſancti, quam Simoniam ab eo appellarunt, putore infecta, peſſimam fructum protulit, ob quem ſtatim reprobatur, & ficulnea CHRISTI amouetur. Non igitur fides fructus eſt ille, quē Chriſtus in ficu requirit, ſed opera bona, quæ CHRISTVS lucere in ſuis

Fructus Simonis Magi. Actor. 8.

Ex operibus bonis homines glorificãt Deum. arboribus ita iubet, vt videntes eos homines, glorificent Deum, agnoſcantque, quã ſit ille bon⁹ hortorum ſator, cui⁹ arbores talem proferant fructum.

Matth. 5. Sic, inquit, luceat lux veſtra coram hominib⁹, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum. Non ſolùm lucem fidei & virorem foliorum in ſuis arboribus exquirit Chriſtus, ſed etiam opera, quæ homines ad Dei cognitionem pertrahãt, occulta fides eſt.

Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam: in corde fides concluſa, vt radix arboris in terra latet, ac humorem vitæ nobis quo vegetemur infundit, ſed ore fit eius confeſſio, & operibus comprobatio. Oris cõfeſſio auribus hauritur, opera ſenſu capiuntur. Niſi latro in cruce ore confeſſus fuiſſet, niſi exclamaſſet, fides ei⁹

Opera fidem demõſtrant. nobis ignota fuiſſet. Opera igitur fidẽ noſtrã demonſtrant, qualia illa & quãta fuerint, talem & tantam fidem demonſtrant. Vide quid CHriſtus agat, cùm adoleſcentem docet, quid faciendo vitam æternam habiturus eſſet: nõ dubium erat adoleſcentem illum ad CHriſtum fide pertractũ veniſſe, vidit

eum

eum multa agere miranda, audiuit de regno Dei differentem, & vitam æternam mõstrantem: credit vera esse quæ doceret, credit vitam illam, quam ille prædicaret esse, iter ipsum cognoscere cupiebat, rationem adeundæ eius perquirebat. Iubetur primũ præcepta Dei seruare: Quæ cùm ille se seruasse semper respondisset, iubetur ire domum, *Matth. 10.* & omnia vendere, & egenis dare: vltra *Luc. 18.* eam fidem opera pietatis pręcipiũtur. Hæc ratio & iter, ad vitam illi ęternam *Adolescentis tristis discessus fidẽ euertit.* monstratur. Quid ille? Tristis discedit, & quod ore profitebatur, re ipsa negat, fidem suam infirmam fuisse demõstrat, ac totam rationem illam vitæ æternæ, quam appetebat, corrũpit. Cur non dixit hic adolescens, quid me ad opera ista cogis? ego credo & cõfiteor ore; fides sola vitam dat, opera nõ prosunt? sed tristis discessit, spe omni vitæ illius adeundæ, abiecta. Vnde audit, faciliùs camelum per foramen acus transiturũ, quàm diuitem saluum fore. Facile credidit, Magistrum Christum cõfessus. Sed quia noluit agere qđ CHristus suasit, nec fructum fidei pertulit, è

ficulnea CHristi eiectus. Quam fidem & quam firmam habebat, fructus ille, hoc est, tristis discessus à CHristo, vita nostra ad opes mortis demonstrauit. Opus bonum neglectum, tristisq; ille à CHristo discessus, vt fructus acerbus, arborem illam adolescentis putrem esse demonstrauit. Cuius vitium si nō fuisset iussus opere bono fidē cōprobare, latuisset. Frustra credidit, frustra doceri voluit, prætermisso opere. Atq; equidem non aliud CHristus domin' noster hoc adolescentis exemplo nos docuisse voluit, quam vt moneret, solam fidem eiusq; iactantiam, non satis esse ad iustitiam & vitam consequendam, nisi eā fructus consecutus fuerit, nisi in opus charitatis erūpat. Non ait, Crede & habebis vitam æternā, sed vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me. Quod quia ille nō fecit, vita excidit, CHristi esse desijt, opus bonum CHristus in adolescente requirit, operi eius pio vitā promittit. Vade, inquit, vende, & da pauperibus, & sequere me. Sequere, inquit, non sola fide, & obseruatione ficta præceptorum,

rum, ſed opere ipſo, facultatib⁹ tuis egenis diſtribuēdis. Ficta illa fides eſt & mortua, quā opera charitatis nō committantur, quę fruct⁹ dilectionis nō ꝓfert; ſequere, inquit Chriſt⁹, me: non tā pedib⁹ poſt me currendo, quàm factis me imitando, Non tantū doceo vt credas, ſed etiā facio opera pia, vt tu quoque facias. Reliq ego patrē, reliq maieſtatē propter te, relinq; & tu tua: Dedi me tibi, da tu tua pauperib⁹. Pater me⁹ operatur, & ego operor, operētur mei diſcipuli: ſi mei & eſſe & dici volūt, nō imitentur populū illū, qui me ore ſolū honorat, qui legē iactat, fidē crepat, factis autem abnegat. Facta animum, opera fidem monſtrant. Non ſola fiduciæ, non ſoli⁹ fidei prædicatione Chriſtus mun⁹ ſuum abſolui voluit, multa operatur. Multa, inquit, opera bona feci vobis. & propterea vult me occidere. Fecit ille, faciam⁹ & nos, & imitatores eius cum Paulo ſimus. Operatur Deus pater, & nos operemur, ipſius enim factura ſumus, creati in CHriſto IESV in operibus bonis, quæ præparauit DEVS, vt in illis ambulemus, inquit,

Ioan. 5.

Matth. 15.

Factis abnegare Chriſtū.

Ioan. 01.

Epheſ. 2.

Aduersarij scripturā torquent. quit, quem isti ad suam iustitiam stabiliendam torquent, ipse Paulus, qui vt vides apertè docet, & cuius factura simus, & quomodo facti & propter quē finem facti simus. *Cur Paulus dicat: Factura Dei sumus* Factura Dei sumus, qui semper operatur, qui nunquam otiosus est, qui nos similes sibi, non in sua maiestate, sed in bonis operib⁹ exercendis vult esse. Quæcunque ille facit, bona sunt, bonitate enim delectatur. Bonum op⁹ vt suum, ita & nostrū, quod eius donum est, amat. Creati sumus in Christo per fidem, induim⁹ nouum hominem, noua creatura sum⁹. *Vetus homo exuendus Ephes. 4.* In quo? In CHristo, qui nos exuere veterem hominem, nihil boni operantē, crudelem, adulterum, auarum, impurum tyrannum voluit, & nouum qualis ipse esset, induere. *Iacob. 1.* Genuit nos verbo veritatis suę, non vt sola fide contēti, nihil boni operemur, sed vt nostra opera bona, vt stellę cęli luceant, vt lumen, in tenebris ignorantiæ Dei ambulantibus effundant, ac ad Dei laudē excitent. Quamobrem Apostolus ait; vt non solùm nos creatos esse in Christo IESV, sed etiam in operibus bonis,

quæ

quæ testantur nos esse facturam Dei in Christo IESV, regeneratam per fidem & sanguinem eius. Et ne putes solũ te esse opus Christi & Dei, doceri & inter opera bona, quę Deus pater in Christo IESV, fecit nos tantũ esse ostendi, non autem vt ea operemur à nobis exigi: Addit vt in eis ambulemus, vt ea exerceam⁹, ac toto studio eis incumbam⁹. Cur? quia ea lege à Deo patre in CHristo creati sum⁹, vt operemur bonum, quemadmodũ ille operatur, vt in bonis operibus ambulemus, nunquã deficientes. Hæ sunt nostræ opes, hę diuitiæ, opera bona, & Deo in CHristo IESV accepta. Ad has opes Paulus diuites vocare Timotheũ iubet. Diuitib⁹, inquit, præcipe bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, cõmunicare, euocat Paulus ab incertis & fluxis huiusmodi diuitijs, suos ad veras opes quæ sunt opera bona, & quæ illa sint, opera bona explicat, dicens: Facilè tribuere & communicare. Quæ si nihil ad vitam, nihil ad iustitiam conferunt, si peccata, vt Martinus Lutherus dixit, sunt, cur tantopere à Paulo incul

1. Tim. 6. Diuitiæ Christi fidelium.

Iam

cantur?cur diuitiæ nostrę appellantur? Iam si diuitiæ huius mundi fructum pariunt possessoribus suis, & ornamento illis sunt: Quomodo opes hę bonorum operum nihil prosunt?quomodo nos non ornatiores ante conspectum Dei efficiunt? Quomodo si opes & diuitiæ mundi, cōmodis vitæ hui⁹ caducæ, inseruiūt, præsidioq́; illi sunt, opes illæ bonoru operū vitæ æternæ, instrumenta & præsidia nō sunt? Cur Paulus bona hæc opera vrget?cur nos sæpi⁹ ad has opes inuitat?vnde hæc illi verba? Fidelis sermo est, & de ijs volo te confirmare, vt curent bonis operib⁹ præesse, qui credunt Deo, discant autem & nostri bonis operibus præesse, ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Nō otiosam fidem vult esse Paulus, sed eam quæ fructus ferat, quæ per dilectionē operetur. Quod facere ne grauaretur, & tanquā inutilem laborem fugeret, quę præmia eius hunc laborem & fructus cōsequantur, Hebræos docens ait: Nō enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostēdistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis & ministratis. Vides opera pie-

Bona opera præsidia vitæ

Præesse nos Paulus bonis operibus iubet.

Tit. 3.

Heb. 6.

Premia bonorum operum.

tatis & fraternę charitatis, ſuis Hebręis Paulum commendare, premiaque eorum apud Deum propoſita indicare. Non caret opꝰ bonum premijs ſuis. Si terra producens herbam, benedictionem opportunã à Deo accipit: cur nõ multò magis homo, cui terra herbam generat, fructum bonorum operũ quẽ homines admirati glorificent Deum patrem qui in cœlis eſt, producens; nõ mereatur benedictionem à domino? Si terra ꝑducens herbã opportunã ijs, à quibꝰ colitur. nõ poteſt nõ benedici, cur non multò magis benedicatur homo producẽs fructũ operũ bonorum Deo & Chriſto eiꝰ, quẽ miſit vt hãc noſtrã terrã ſcelerũ ſpinis oppletã excoleret, ac ſemen verbi ſui ei inſereret, qui imbres ſpiritusſancti, quos corda noſtra bibunt, dat, nõ vt ſterilia maneãt; ſed vt herbã operũ fructuoſorũ & vocatione Chriſti dignorũ proferãt. Non manet ſemẽ, in terrã imbribꝰ infuſis cõiectũ, ſterile, in herbã mox exſurgit, ſpicam profert. Non debet fides cordi incluſa, irrigante ſe imbre ſpiritusſancti, aut ſterilis & ſine vllo fructu manere,

Terra ob fructus productos benedicitur.

aut

aut ſpinas & tribulos proferre, quos maledictio & cōbuſtio ſequatur. Recepiſti ſemen verbū Dei, recepiſti imbres ſpirituſſancti, credidiſti CHriſto, deguſtaſti donum cœleſte, particeps factus es ſpiritus ſancti, quomodo otioſus cum tua fide ſubſiſtes? quomodo maledictionem & ignem ſpinis tuis & ſterilitati paratum effugies? Herba opportuna à te terra per Chriſtum exculta expectatur? quam productā benedictio & premium cōſequatur. Quid autem benedictio Dei operatur? vitam ipſam propter quam credidiſti, ad quam nō niſi eo ordine quem Paulus pręſcribit, peruenies. Terra es, quam Chriſtus vt excólleret, vt à ſpinis & tribulis expurgaret, venit. Recepiſti in viſcera tua verbum Dei, ſemen vitæ, quod in tuo corde fidem peperit: recepiſti imbres ſpiritus ſancti, qui fidem ſemen ſalutis tuę irrigant, fructum proferas neceſſe eſt, herbam opportunam generes oportet, & bonis operib⁹ fidem tuā nō eſſe ſterilem oſtendas, niſi & maledici à tuo cultore, & in ignem mitti velis. Vides enim Paulum ita hæc docere,

Homo ſimilis terræ.

Vis benedictionis diuinæ.

Quid Paulus doceat.

re, vt & fructibus bonorum operũ benedictionem à Deo promittat, & sterilitati spinisque vitiorum, maledictionem & consumptionem ignis æterni cõminetur. Tu tamen audes, opera nil mereri & inutilia esse, asseuerare, solãque fidem in CHristum IESVM, te iustum in conspectu Dei & gratum efficere, vitamq; tibi ęternam parare contendis, cùm Paulus fructũ fidei requirat, cùm ei benedictionem promittat. Sed videamus quæ deinceps idem docet: qui reddet, inquit Paulus, vnicuiq; secundum opera eius, ijs quidem qui secũdum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt vitam ęternam. Ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum: Audis quid Paulus doceat Romanos, audis quæ cominetur ijs, qui longanimitatem Dei contemnunt, & benignitate eius abutuntur, suorumq; scelerum pœnitentiam agere nolunt: qui reddet vnicuiq;, inquit,

Rom. 2.
Premia operum.

quit, ſecundum opera eius. Non ait ſecundum fidem, ſed ſecundum opera. Vides eum ab operibus malis reuocare Romanos, ad pœnitentiam, vitamque nouam, ac opera bona. Quæ ne illi contemnãt vt inutilia: ſubdit ſtatim premiũ quod ea conſequatur, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius. Quid reddet? ijs, inquit, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærũt, vitam æternam. Ijs autem qui ſunt ex cõtentione, & qui non acquieſcunt veritati, credũt autem iniquitati, ira & indignatio. Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. Vidéſne operũ contemptor Pauli doctrinam? audis quæ premia bonum opus, & quæ malum committantur. Bonum opus vita ſequitur, malum verò tribulatio & ira Dei. At dices de fide hæc accipienda eſſe, de fide Paulum in tota ea epiſtola diſputare, per eamque ſolam nos ſaluos fieri docere. Quæcunq; enim Paulus dicat, de vita æterna, iuſtitia & premijs

mijs bonorũ ac ſupplicio malorum, Euangelij noui authores ad fidem trãſferunt, de eaque ſola Pauli verba accipi contendunt, cùm Paulus non de ſola fide hoc loco, ſed tum de ijs, qui legi Dei non obediunt, agat, qui in peccatis perſeuerant, quibus ſupplicia iudicij extremi minatur, tum de illis qui in bono opere perſeuerant, & bene agendo, gloriam & honorem quærunt, quorum remuneratio eſt vita æterna. Excitat enim hoc loco Paulus eos qui in tentationibus ſuccubuerunt, inquit Chryſoſtomus, oſtendens non debere eos ſola fide ſecuros eſſe: Nam illud diuinum tribunal, ante quod omnes nos præſentari oportet, non ſolùm in fidem, ſed etiam in opere inquiſiturum, vt qui bona egerunt in vitam æternam eant, qui verò mala, in ignem æternum, diabolo & angelis eius ab æterno paratum. Quod vt ita eſſe videas, audi CHRISTVM ipſum, fidei, quam iactas & ſalutis noſtrum authorem eius iudicij rationem futuram explicantem, in qua primùm narrat potentiam & maieſtatem aduen-

Temeritas aduerſariorũ

In cõmẽtario eius epiſtolæ.
2. Cor. 5.

tus sui, in illud iudicium extremum, in quo rationes vitæ nostræ, & talentorũ commissorum, à quoq; exquiret. Deinde quo modo & ordine iudiciũ instituetur, segregaturum se ait hædos ab agnis, & oues staturum à dextris suis, hædos verò à sinistris. Quo iudicio ita constituto & ordinato, ita eam sententiam se laturum in vtrosque ꝓnunciat, vt eos qui à dextris essent in regnum ab æterno eis à patre suo paratũ vocet, venite ingens, benedicti patris mei, possidete paratũ vobis regnũ à cõstitutione mundi. Eos verò qui à sinistris essent, à se ablegat ijs verbis: Discedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et sententia in vtrosque lata, causas ei' reddit, non alias quã opera pietatis & charitatis, ab illis qui in regnum patris vocantur, perfecta: ab istis verò, qui in ignem diabolo paratum iubentur emigrare, prætermissa & neglecta Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, collegistis me, nud' & operuistis me, infirm' & visitastis me, in carcere

Iudicij forma.

Matth. 25.

Premia bonorum.

eram

eram & venistis ad me. Et cùm illi quęrerent, quando ea præstitissent ei officia, respondet tum sibi præstita ab eis esse, cùm illa conferrent in egenos, ægros, captiuos, esurientes & sitientes, quos fratres suos vocat. Contra verò damnatos & in ignem abire iussos, hęc eadem officia erga se neglexisse ait, Amen amen, inquiens quod vni ex minoribus istis fratribus meis nō fecistis, & mihi non fecistis. Quid hic Christus requirit? Cur in ignem diabolo paratū negligentes opera pietatis, & fratres suos contemnentes, condemnat, & in ignem perpetuum mittit? num fidem isti neglexerant? num ab illa fiducia quam Euangelici iactant, discesserant? Nihil tale hic istis obijcitur: Non dicūtur fuisse infideles, sed nō cooperuisse nudos, non saturasse esurientes, & sitientes potu non refecisse, charitatis opera neglexisse, proximū suum & carnem suā despexisse, nec Esaiæ hortanti, ad charitatis opera paruisse. Qui quantum tribuat operibus bonis, hęc verba quæ adscribam, clarè docent. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque

Supplicia dānatorum.

Ignis æternus nō homini sed diabolo paratus.

Esaias opera charitatis cōmendat.

que induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria domini colliget te ac cætera multa quæ sequũtur. Quæ quàm grauiter, quàm disertè opera charitatis commendent, quæ premia ea sequantur, quam Deo placeant obscurum non est. Frange, inquit, esurienti panem, operi nudum. Cur? quis fructus? quæ commoda si hoc faciam? si esuriēti & famelico animam meam effundam, & afflictum repleuero? Tũc, inquit Propheta, erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuā iustitia tua, & gloria domini colliget te: tunc inuocabis, & dominus exaudiet te, & clamabis & dicet adsum, & requiem tibi dabit dominus semper, & replebit splēdoribus animam tuam, & ossa tua liberabit: & quæ sequuntur ad finem vsque eius capituli. Quæ nihil aliud docent, quàm opera bona, opera charitatis, premia magna consequi, Deoque sem-

Esaiæ 58.

Fructus eleemosynæ.

ſemper grata & accepta fuiſſe. Idē Chri
ſtus quod Eſaias docet, magna premia
magnoſq́ue honores, & Chriſtus & E-
ſaias operibus charitatis propoſuerūt,
Ite; inqt Chriſtus, benedicti patris mei *Regnū cœleſte homini paratum.*
in regnum, vobis ab æterno paratū: E-
ſuriui, & dediſtis mihi manducare, ſiti- *Matth. 25.*
ui, & dediſtis mihi bibere, nudus eram
& cooperuiſtis me, & cętera, quæ do-
cent cur regnū cœleſte datur benedi-
ctis illis, nō ſolam ob fidem, verū pro-
pter opera q̄ charitas operata eſt. Quæ
illi qui à ſiniſtris erant, quod neglexiſ-
ſent, in ignem æternum mittuntur, vt
nō ſolùm quæ premia fides per chari-
tatem bona opera exercens, habeat, ve
rum etiam quæ ſupplicia ſterilitatē &
otiū eius conſequantur oſtendat. Non
tantū opera illa facta honorantur, ſed
etiam neglecta grauiſſimè puniuntur.
Facta iuſtū & gratū Deo reddunt, ob-
miſſa vt exoſum & damnatum in ignē
ęternum mittunt, & tu audes in tuis e-
tiam damnare opera? ſolam fidem nos
Deo cōmēdare? opera bona nihil eſſe,
cū Chriſt⁹ eleemoſinā dātib⁹ regnū cę-
li donet, & negligētibus ęternū ignem
 dia-

diabolo paratum comminatur. Habebant fidē hędi illi à ſiniſtris locati: Non exprobratur illis incredulitas, credebant, ſigna faciebant, dæmonia in nomine IESV Chriſti eijciebant, Prophetabant, tamen audiunt, Amen dico vobis, neſcio vos: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Nihil ſunt, inquis, opera bona, ſunt veluti pannus mēſtruatæ, ſolam fidem reſpicit Deus: At Eſaias oſtendit, quam gratiā apud Deum habeant, quā facilè audiuntur, quibus commodis adornantur, qui ea exercent Tunc, inquit, erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citi⁹ orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria domini colliget te. Quod lumen illud eſt, quod Eſaias erumpturum dicit? Non aliud certè eſt, quàm Chriſtus ipſe, qui eſt lumen noſtrum, lux illa noſtra quæ in tenebris

Ioan. 1. lucet. & quam tenebræ non comprehendunt, quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat. Hoc lumen Eſaias, bonis illis operib⁹, quæ fides per charitatem profert, pro-

Eſaiæ 58. mittit. Orietur in tenebris lux tua, & tene-

tenebrę tuę erunt ſicut meridies. Quid autem hoc lumen ſequitur? vtrũne ſolam & mortuam tuam illam fidem. Númne operantem, & fructus dignos proferẽtem? Audi ipſum Prophetam, audi quæ præceſſerunt verba, & præcepta eius: Frange, inquit, eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: Cùm videris nudũ, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Fractionem panis eſurienti, & veſtem nudo datam, lumen illud conſequitur: pietatis operibus CHriſtus lux vera attrahitur, tenebraſque vitiorum noſtrorum diſcutit, iuſtos & acceptos apud Deum patrem efficit, regnumq́; ab æterno paratum elargitur. Quæ ſal⁹ illa eſt, quam orituram Eſaias annunciat? num hæc carnis? an verò illa animarum noſtrarum, quæ ipſe CHriſtus eſt, qui vita eſt, qui via & veritas? Vtrũ velles intelligas: premium tamẽ bona opera habere, & Deo grata eſſe negare non potes: Datur & hic & in cœlis operibus charitatis vita. Audi quid deinceps addiderit Propheta: & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria do

 mini

mini colligit te, Iuſtitia inquit, tua. Quæ iuſtitia? Num fidei nudæ? an ne operum charitatis? Opera hic præcipiũtur, eleemoſinæ cõmẽdãtur, panis iubetur frãgi eſuriẽti, & veſtis nudo dari: & hæc iuſtitia tua eſt, quæ te iuſtum & gratum in conſpectu Dei conſtituit. Præcedet, inquit, faciem tuam. Quam faciem? illámne quæ peccatis polluta, iudicium Dei reformidat? quam Deus auerſatur? ac niſi eam iuſtitia bonorum operum & charitatis exornet & præcedat, Deo probari nequeat. Iuſtitia hæc tua operum bonorum, & charitatis erga proximum plena te præcedit, DEO gratum reddit, iter ad eum aperit, & in conſpectum eius adducit. Qua amota & neglecta, locus tibi ante eum nullus erit. Et gloria, inquit, domini colliget te. Collegiſti infirmum, panem eſurienti, veſtem nudo dediſti, gloria domini Chriſtus IESVS te colliget, te ornabit, ac glorioſum reddet, ac illud dicet tibi: Venite benedicti in regnum ab æterno vobis paratum. Cur? quia hoſpes eram collegiſtis me, eſuriui & dediſtis mihi edere,

Quã faciẽ iuſtitia Dei præcedit.

quod

quod per Esaiam locutus sum, fecistis. Dixit ille: frange esurienti panem tuum, induc peregrinos & vagos in domum tuam, cùm videris nudũ, operi eum: Hoc totum vos fecistis, & animam vestram esurienti effudistis, ego quoque colligam vos & adducam in regnum patris mei, ab initio mũdi vobis paratum. Nihil hic & Esaias & Christus de fide, de operibus bonis omnia. Credebant illi quos hortatur Esaias, legem seruabant, ieiunabant, erat populus Dei, sed quoniam opera charitatis negligebant, reprehendũtur à Propheta, monenturq;, vt si velint suas preces ieiuniaq; pondus habere apud Deum, opera pietatis adiũgerent, quæ faciem eorũ præcederent, ac gratam Deo redderent. Tunc inuocabis, inquit, & domin9 exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adsum. Tunc inquit, cũ fregeris panẽ, cũ nudum operueris, tunc exaudieris. Sed diutius in hoc loco explicando moror. qui ita apertus est, vt nemo ita perfricta fronte esse queat, qui operibus bonis summa premia apud Deum proposita esse non fateatur, qui in hoc

hoc & Esaię pręcepto, & Christi decreto, sententiaque quam laturus est extremo in iudicio, opera bona, opera charitatis quæ fidem consequuntur, commēdari negare audeat. Neminem vt dixi, ita perfricta fronte posse inueniri, qui non de fide CHristum, in hoc quem tractamus loco agere, sed de operibus bonis non profiteatur: inueniuntur tamen, qui nō solùm fidem hoc loco commendari doceant, sed etiam impudenti ore in Catholicos eo nomine inuehantur, quod ex hoc Christi iudicio, quæ sit vis bonorum operum, quæ premia iusta eis proponantur, pios homines admoneant, vtque sibi ꝓspiciant, & CHristum esurientem pascant, sitienti potum offerant, nudum vestiant, peregrinum in domos suas recipiant, si velint illam vocem eius in iudicio vltimo audire: Venite benedicti patris mei, possidete regnum ab initio mundi vobis paratum. Quam vocem CHristi cùm audierit Bucer⁹, ne suum impium dogma, ab ijs quos fraude sua plusquàm Diabolica à pijs operib⁹ abduxit, charitatemque in pectoribus eorum

Malitia aduersariorū.

orũ extinxit, & Sathanæ magiſtro ſuo mendacijs ſuis ligatos, in illum ignem quem Chriſtus diabolo & angelis eius paratum ait, vt mancipia mortis æternæ, abducendos tradidit, falſum & impium, Chriſtiq́; doctrinæ palam repugnans deprehenderetur, buccas illas ſuas impuras, quibus veritatem animaſq́; fidelium deuorat, & mendacia diaboli paſſim vomit, aperuit, ac in hæc verba quibus impudens mentiendo & premenda veritate vſus ſit, prorupit. Eſuriui, inquit CHriſtus, & dediſtis mihi edere, &c. Ex eo, inqt, qđ opa dilectionis ſubijciuntur. Baptiſtæ ſuperſtitionum defenſores contendunt, regnum Dei nos mereri per noſtra opera, cui Caluinus ille Caluus, & qui veritatis ne pilum vnquã habuit, ſubſcribens, ac impudentia, ne tantillum concedere: ei volens infert. Verùm ſi hic diſputatio eſſet de ſalutis noſtræ cauſa, non malè colligerent, nos bonis operibus vitam æternam mereri, ſed cùm nihil aliud ſit propoſitum Chriſto, quàm ſuos ad bene recteque agendi ſtudium hortari, perperam ex eius

Bucurus.

Impudẽs reprehenſio.

Caluini artes

eius verbis elicitur, quod valeant operum merita. Hæc illi & alia multa impuro ore contra Christi verba profuderunt, ac ipsum etiam Christum corrigere non dubitarunt, verba eius impura & mendaci interpretatione corrumpentes, ad sua mendacia de fide mortua, auertentes. O discipulos horum egregios, qui mendacia ita aperta non deprehendant, qui Christi sententiam Sole ipso clariorem nō videant, sibique à nebulonibus & scurris, Christum mendacio suo iterum crucifigentibus, illudi patiantur. Quis enim hanc interpretationem istorum probabit? præterquàm vt talpa vt dicitur cœcior fuerit, & planè stipes sit. CHristus ait. Esuriui enim & dedistis mihi edere, & quæ sequuntur. Quibus rationem reddit, cui illis cœleste regnū ab initio mundi à patre suo paratum premium decernat: Isti nō operib⁹ bonis, sed fidei premia ea dari clamāt. Si fidei soli, non operib⁹, quæso cur illi qui opera hæc charitatis in Christo alendo, hoc verò est minimis fratribus suis, quos illis digito mōstrat neglexerunt, in ig-

Reprehēdūtur aduersarij.

in ignem diabolo & angelis eius paratum, iubentur detrudi? Cur à CHristo abire iubentur? Num non habuerunt fidem? num in Christum non crediderunt? Nequaquam. Fideles erant, Christum sonabant, fidem solam illã mortuam vt & isti iactabant, opera charitatis, quemadmodum & Caluinus, vt & pillorum ita veritatis inanis iactat, vna cum benedictis illis, qui regnũ cœleste sortiuntur venerũt, cũ eis versati sunt, & non nisi à Christo pro suo tribunali sedente secernuntur, CHristus eos seiunxit, ac non agnos, quod illi se esse fidei habitu mentiebantur, sed fętidos hædos pronunciat, in ignemque æternum abire iubet. Nã si dicas ea à Christo dici, aut Iudęis aut idola colentib⁹, assertio tua stare non poterit, non missaentur lupi illi ouib⁹; gentiles & Iudęi CHristi gregis deuoratores, in ouili Christi nõ sunt, iam iudicati & discreti à cœtu Christiano sunt. Qui.n.non credit, iam iudicatus est, inquit CHristus. Hoc vno nomine illi damnãtur: nihil aliud in iudicio illo requiretur ab eis, quàm fides, non alio crimine rei pera-

Quis secernit veros à falsis Christianis.

Gentiles lupi sunt.

Ioan. 3.

peraguntur, quàm quòd non crediderunt in CHristum. Propter fidem neglectam, propter oppugnatū CHristum illi damnantur, opera eorum quæ ſine fide omnia ſordida & ingrata apud Deum ſunt, ab eis non expoſcuntur à Christo. A nobis autem non ſolùm fides, non ſolùm talentum nobis commiſſum repoſcitur, ſed etiam lucrum. Non ſolùm fides, verùm etiam opera bona, quæ fides per charitatem effundat. Audis quid illi dicatur, qui quinq; talentis à patrefamilias acceptis, alia quinque ſe lucratum teſtatur, & depoſitum duplicatum reddit: Audis quid & illi, qui vno accepto nihil lucratus fuerit, qui terræ vt mortuum cadauer infoderit? Illi dicitur; Euge ſerue bone in pauca fidelis, intra in gaudium Domini tui: In pauca fuiſti fidelis, ſupra multa conſtituam te. Huic autem tuo otioſo, & nullum lucrum ferenti: Inutilem ſeruum mitte in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Cur ille iubetur ingredi in gaudium domini? quia ad id quod illi commiſſum erat, alterum tā-

Talenta commiſſa.

Matth. 25.

non

tum lucri adiecit, quia vigilauit. Fidem eius dominus ante iam approbauerat: non commissurus ei talenta sua, si infidelem esse cognosceret. Fidelibus cõmisit bona sua, pecuniamque suam pa terfamilias. Non arguitur seruus ille perfidiæ aut furti, sed negligentiæ, sed defossi absque lucro talenti. Recepit quidem integrum ab ignauo seruo suum talentum, sed lucrum exquirit, ob lucrum neglectum seruum eijci iubet, opera bona opera charitatis, & fructus fidei, qui sunt lucrum talenti, nobis commissi, exigit. Commisit nobis bona sua, infudit pectoribus nostris fidem suam, docuit bene operari, doctrinam suam regni cœlestis opes tradidit nobis Christus, nõ vt tantùm hoc quod commissum est nobis, reddamus, sed vt tantundem lucri adijciamus, pro quinque decem, pro duob⁹ quatuor talenta petit, duplum reposcit. Commisit fidem, credidit tibi doctrinam & eloquia sua, non vult te esse otiosum, vult vt lucreris. Lucrari non potes, nisi labores, ac opera pietatis charitatisq; exerceas, non vt otiosam

Fides talẽtũ nobis commissum.

Talentū fidei in cœno peccatorum infodiendū non est. & mortuam in tuæ ignauiæ terra, ac viciorum tuorum cœno, tanta quæ in te effusa sunt dona defossa teneas, sed vt pro lucro bonorum operū regnum cęleste, accipias. Hoc ita esse vt dicim⁹, Christus ipse apertissimè docet: Cū .n. nos vellet fide sua & doctrina cœlesti instructos, ad opera bona & officia

Exēplis Christus vtitur. charitatis excitare, primum adfert similitudinem ab ijs quæ passim fieri videm⁹, quæ oculis obuersantur nostris, ex ijs quæ homines huius mundi faciant, quæ probēt quæq; improbent exemplum nos de futura vita ac iudicio extremo capere iubet. Vt hic non satis est accepisse pecuniam vel hæreditatē, nisi ea ita vtaris, vt semper lucra pariat, & incrementa habeat: ita non satis esse doctrinam cœlestem & fidem quā ipse doceat ad vitam æternam consequendam, & te iustum pronunciari apud Deum, fidem solam & doctrinam eius habere, nisi illa ad opus educatur, nisi per charitatem & dilectionem operetur, & perpetuò exerceatur, nisi fructum & lucrum bonorum operum

Filij seculi. afferat; si filij huius seculi in sua pecu-

nia

nia tractanda & augenda, ita ſunt prudentes, ac tantum lucro ſtudeant, multò magis fideles, accepto fidei auro, & doctrinæ Chriſti gemmis, vigilandum lucrumque eorum operum quærendum eſſe. Profert igitur exemplum hominis peregre proficiſcentis, & tãtum pecuniæ ſuæ ſeruis, quorum fidẽ expertus eſſet, cõmittentis, ac regreſſum, nõ ſolũ quam cõmiſit tractandã & cuſtodiendam, repetentis, ſed etiam lucrum expoſcentis. Et qui ſibi talẽta duplicata, opera & labore ſuo redderent laudantis, & premia pollicentis. Eũ verò q ſine lucro reſtitueret, in terra detentũ talentum, vituperantis, ac eijci in tenebras, vt in inutilem & nequam ſeruũ iubentis, vt nos moneat, ſe idem facturum, lucrũ fidei & ſuæ doctrinæ nobis traditæ, vna cũ ijs quæ tradidiſſet repetiturum. Ac ne quis putaret, vel obſcurius hoc à Chriſto dici, vel de patrimonio hoc caduco accipi debere, ſtatim ſubijcit, idem ſe facturum in eo iudicio, quod in extremo mundi huius facturus eſt, ad quod ex omnibus partib⁹ homines accurrẽt. oẽs iudicabũtur,

omnes enim ante tribunal illud constituentur. Et vt scias quod lucrum à nobis expetat, primùm in illo iudicio fore, malorum à nobis segregationẽ, deinde lucri cõmissorum talentorum repetitionem. Nec se aurum gemmásue huius mundi repetiturum, sed opera charitatis cum fide coniuncta probaturum: Solam verò fidem vt talentum defossum, vt arborem fructũ non ferentem damnaturum, ac in ignem missurum. Venite, inquit, benedicti patris mei, cur? quia opera pietatis in me, hoc est fratres meos, fratres vestros, carnem vestram & ossa vestra exercuistis, fregistis panem esurienti, nudum operuistis, peregrinum recollegistis. Vt vos primum per Esaiam, deinde p meipsum docui. Tradidi vobis talenta aurinõ huius mũdi, nõ illi⁹ caducæ pecuniæ, sed doctrinæ cœlestis & fidei viuæ, ea nunc mihi magno cum fœnore redditis. In pauca fidelis fuistis, supra multas cęlestes opes & regna cœlestia vos constituam, ac ipsum cœlum regnumque patris mei vobis fruendum cõmittam. Illis verò qui opibus meis, patri-

CHristus die iudicij, lucra commissi talenti repetiturus.

Premia bonorũ operum.

patrimonio meo à me liberaliter in eos effuso, abusi sunt, qui nullum lucrũ fecerunt, qui nudam fidem ad me referunt, & ipsam hanc fidem doctrinamque meam ab ipsis auferam, & in ignẽ eos æternum demittam, vt nequã seruos, qui nec Prophetis nec mihi paruerunt, sed noua sua doctrina, & impudenti doctrinæ meæ interpretatione, fideles meos seduxerunt, opera bona ẽ manibus eorum excusserunt, solaque fide absque operibus charitatis, solo talento, in terram mendacij sui defosso, & mihi absque lucro reddito, & liberos & iustos fore apud me, persuaserunt, vt nequam seruos in ignem diabolo paratum æternum cruciandos detrudam. Abite, inquit, maledicti in ignem æternum: Cur quæso ire debent? cur eos damnas, cùm fide sua ad te redeunt, talentum integrum referunt, quod ne periret, terræ infossum sedulò custodierũt? Quoniam, inquit, nihil lucrati sunt, non dederunt pecuniam fidei & doctrinæ meæ numularijs. Et qui sint numularij quibus pecunia sua cõmittenda erat, statim docet.

Fraus aduersariorum.

Non satis est cõmissum talẽtũ referre, nisi lucrũ etiam afferatur

Eos esse, esurientes, sitientes, ęgros, nudos, captiuos, peregrinos: quibus ille talenta sua tradi voluit: Esurienti cibū, sitienti poculum, nudo vestem dādo, peregrino hospitio excipiendo, ægroto visendo, captiuo consolando. Quæ officia non ipsa fides sunt, sed fruct⁹ fidei, per dilectionem operātis, & bona opera per charitatem exercentis. Nam illud quod Caluinus dicit, quamuis dicatur hic de operibus, intelligi & accipi debere de fide, & non operib⁹, quæ Christus recenset grata sibi esse, sed fidei tribuendum, propterea quod plerunq; consequentibus tribuantur, quę præcedentibus tribuenda sunt. Hoc totum & impudentiæ mentientis, & ridendū, & Caluini scripturas caluiētis, veritatemq́ue calumniantis est. Quod mendacium suū vt solidius esse videatur, Grammaticam etiam nouam parturit, & in particula illa causali, Enim, Philosophatur, Catholicorūq; rationes inde petitas infirmas eē ait. Quod inquit, in causali particula insistūt, infirmum est: scimus enim non causam semper sed cōsequentiā potius notari, cum

Quibus talentum cōmittendum.

Caluini impudentia.

Grammatica Caluini.

cũ vita æterna iustis promittitur. O egregiũ Grãmaticũ. Enim, cõiunctionẽ causalẽ, qua Christ⁹ causam reddẽs, cur regnũ Dei det ijs, q̃ à dextris suis consisterent, vsus est. Nõ causam notare ait, cùm iustis vita promittitur, sed consequentiã. Quid hoc est Caluine, nisi nugari? Causales cõiũctiones in cõsequẽtias mutare, & nouas Grãmaticas instituere, nisi forte nouũ istud tuũ Euãgelium nouã rationem Grãmatices postulet? vt illud in te aptè cõueniat: Ecce noua facio omnia. Nouum Euangelium meum est, noua doctrina de iustificatione hominis, noua Grammatica genusque dicendi. Eadem lingua Caluine, qua Moyses, qua Prophetæ, qua vulg⁹ vtebatur, vsus est docendo Christus eodẽ sermone Apostoli prædicando Euãgelio vsi, quo illi q̃ docebantur vterentur. Non licuit Apostolis nouas tradere dicendi & disserendi artes, iisdẽ vtebãtur, qb⁹ ij quos docerẽt, vterẽtur. Vos noui Apostoli, veteris tamẽ principis hui⁹ mũdi diaboli discipuli. vt doctrinas nouas, ita & Grãmaticas nouas fingitis, ac rerũ impitis, & libidinis, ad

Refellitur Caluini Grãmaticatio noua.

Caluinus noua omnia fingit.

Propheta quo Dialecto vsi.

Hæretici cuius magistri discipuli.

quam illis non feneſtram, ſed valuas ipſas aperitis mancipijs, fucum facitis, ſuaque ſponte ad vitia ruentes, vt grauiore caſu concidant, impellitis. Quid aliud eſt Caluine illudere hominibus? Si hoc non eſt quod tu facis? Enim, inquis, non cauſam ſemper ſignificat. Si enim non cauſam ſemper ſignificat, igitur cauſam nunquam ſignificabit? Atqui cauſalem eam appellas, atqui CHriſtus cauſam iudicij & decreti ſui reddens, ea particula vſus: Venite, inquit, benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Audiſti ſententiam Chriſti, audiuiſti in regnum vocari iuſtos, premiumque eis decerni. Audi cauſam ſentẽtiæ latæ & præmij dati: Eſuriui enim, & quæ ſequuntur. Et cùm illi eam cauſam non agnoſcerent, nec vnquam ea officia pietatis ſe Chriſto prĕſtitiſſe, dicerent meminiſſe: CHriſtus iuſtus iudex, quæ præſtitiſſent ſibi ea officia docet, oſtendẽs ſe eſſe honoratum ab eis, in egenis, peregrinis, nudis, ęgrotis, captiuis. Non credendo ſolùm, ſed pietatis officijs præſtandis, eſurientes paſcẽdo,

do, ſitientes potando, nudis veſtien- dis, infirmis viſitandis, captis ſolandis, peregrinis hoſpitio recipiendis. Non ergo inquit, quia credidiſtis, ſed quia feciſtis, quia pauiſtis, quia operuiſtis. Et quidem non meipſum, qui non eſu rio, non ſitio, non ſum infirmus, amictus ſum lumine illo patris mei inacceſſibili, & gloria maieſtatis diuinæ, ſed minimos iſtos fratres meos. Si Caluine ipſe Chriſtus de manu horum benedictorum potum aut cibum ſumpſiſſet, vt de Marthæ aut Magdalenæ Simoniſque leproſi ſumere ſolebat, haberes ſomnij tui, non veram quidem, ſed tamen apparentem cauſam, vocares cibum & potum fidem, quod ipſi Chriſto in quem illi credebant, eum præſtarent. Sed cùm ait Chriſtus fratribus ſuis officia illi pręſtita, & qui eſſent illi fratres ſui doceat, non potes ad fidem tuam mortuam confugere, nullus prætextus calumniandæ veritatis, & euertendorum Chriſti domini verborum tibi relinquitur. Dare cibum eſurienti, non fides eſt, ſed fructus ille, quem fides per charitatem protulit,

Chriſtus quādo et quomodo paſcitur.

Abiecti in mundo homines Chriſti fratres ſunt.

quem nisi ferat, securis illius radici apponitur, exscindetur & in ignē mittetur. Vt arbor propter fructū plātari apertè docetur: ita Christ⁹ arbores suas steriles esse nō vult, fructum exquirit, Quo non inuento, maledicitur arbor: inuento verò & arbor & terra benedictionem ab eo capit. Fructui igitur premia Christ⁹ proposita apertè docuit: fidem vestrā sterilē & charitate operib⁹ eius bonis vacuā, in ignē ęternū & diabolo paratum trudit. Non igitur fidei hoc loco Christus regnum tribuit, sed operibus pietatis officijs fratribus suis minimis, quos descripsit, ipsa charitate dictante exhibitis. Nō credebant illi benedicti in eos, quibus officia pietatis præstabant, homines egentes & infirmos esse videbant, ac vt carnem suā ossaq; sua curabant, sed Christi domini sui & Apostoli præcepti memores, hæc omnia cum hilaritate pietatis & charitatis munia obibāt, ac fidē suam quam Christus docuit, nō mortuā, sed vigentem & operantem esse monstrabant, & opere pio cōfirmabant, & qđ corde verum esse crederent, nō solùm

Arbor sine fructu maledicitur.

ore,

ore, ſed manu ipſa, eleemoſinis egeno præſtandis confitebantur, (quamobrē benedicti appellati, vt illi tui corde credentes, opere verò ipſo Chriſtum negantes, maledicti & ignis æterni pabulum)Sed cõiunctione. Enim, Grãmaticos ſuos appellante, & vim ſibi fieri à Caluino vociferante miſſa: cùm neq; ipſe noui ei⁹ ſignificati author, in ea vt fragili tabula diutius cõſiſtere audeat, quæ deinceps pro ſua fiducia aduerſus Sole clariorem veritatem dicat, videamus. Quanquã, (inquit hic nouus Grãmatic⁹) alia clarior eſt ſolutio, neq; .n. mercedem bonis operib⁹ promitti negamus, ſed gratuitam, quę ex adoptione pendet; gloriatur Paulus ſibi repoſitam eſſe coronã iuſtitiæ. Sed vnde illi fiducia? niſi quia Chriſti membrũ erat, qui vnicus eſt hæres regni cœleſtis, reddendã ſibi ab iuſto iudice prædicat coronam illam. Sed vnde illud premiũ? & gratis adoptat⁹ eſt, & iuſtitia donatus, qua ſumus omnes vacui. Hanc nouam Caluin⁹ fabricatur ſcaphã in qua ſecuri⁹ nauigaturum ſe arbitratur, clariorem hãc ſolutionem eſſe ait priore,

Manu Chriſtum cõfiteri.

Caluinus deſerit ſuam Grãmaticationem.

Nugæ Caluini.

2.Tim.4.

Caluini noua ſcapha euertitur.

cùm

cùm non minus clarè hæc, quàm illa ſua, Enim, non cauſalis, ſed vt ille vocat conſequentiæ, mentiatur. Audi enim quid dicat? Neque enim bonis operibus mercedem promitti negam⁹, ſed gratuitam quæ ex adoptione pendet. Quid hoc eſt Caluine, niſi impudenter nugari? mercedem bonis operibus promitti non negas, rectè neque enim negare potes niſi pudorem omnem fronti tuæ prorſus detergere velis. Plena eſt ſcriptura, mercede pro bonis operibus promiſſa, quod tu ipſe fateris & Pauli teſtimonio comprobas, qui ait, mercedem ſibi pro bonis operib⁹ repoſitam eſſe. Non pugno hic tecum, libenter te audio, aliquid bono operi largiri. Sed quā cauſam promiſſę mercedis Paulo adfers, falſam eſſe dico. Neque enim Paulus ait, ſibi repoſitam eſſe eam mercedem, quod gratis adoptat⁹ eſt, & quod membrum Chriſti ſit, ſed quoniam membrum vtile fuerit, quoniam laborauit, bonum certamen certauit, curſum conſumauit, Fidem ſeruauit, in reliquo repoſitam eſſe ſibi coronam iuſtitiæ, quam redditurus

Cur Paulo corona promittitur.

turus

turus ei esset dominus, in illa die, iust⁹ iudex asseuerat. Audis Paulum vir egregie. Non quia adoptatus sum, in- quit, gratis, sed quia bonum certamen certaui: Nemo enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Non credendo tantùm sed currendo, & cum hostibus Christi certando. Cursum, inquit Paulus consummaui. Quis cursus Pauli? vbi decurrit? ad quam metam peruenit? Fidei inquies. At non solus Paulus fidē habuit, non solus Christo credidit, crediderunt alij etiam, & cum Paulo certamen aduersus hostes CHristi inibāt, sed tamen cursum illum suum sæpè intermiserunt, Relicto Paulo in illo periculis pleno campo, ad sua pleriq; discedebant, & quæ sua essent curabant, Paulo neglectis suis commodis vnius CHristi certamen certante, semper in acie consistente, stationemque suam nunquam deserente. Credebat & Demas quem se reliquisse Paulus ait: non reliquerat fidem Demas, fidelis erat, sed relicto Paulo certante, tot & tanta pericula pro Euangelio Christi perferente, otio suo cōsuluit, seculum, hoc est,

2. Tim 4.
2. Tim. 2.
2. Tim. 4.

Chrysost. est, quietem & requiem diligēs, & esse absq; periculo exoptans, maluit domi delicijs frui, quàm cum Paulo erūnas pati, præsentiaq; perferre pericula. Detrahit quidem illi Paulus, sed detrahit non fidei eius, cum qua se ad quietē receperat, quod multos etiam qui in solitudines abibant, vt soli orationi & maiestati diuinæ cōtemplandæ liberi᾽ vacarent, fecisse legimus. Fideles erant comites Pauli, periculis tamen & laboribus perferendis & cursu cōsumādo, Paulo impares. Quis autem cursus Pauli, quem se consummasse narrat, quod certamen quod ille certauit, & in quo omnes superauerit fuerit, ipse narrat, ac non solùm labores suos refert, certaminaq; exponit, verùm etiam cum alijs in eodem curriculo decurrentib᾽ confert: Ministri, inquit, sunt, plus ego in laborib᾽ plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modū, in mortib᾽ frequēter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, ter naufragiū feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sępè. Periculis fluminū, periculis la-

Non fidē reliquisse Paulus suos ait, sed certamina pro CHristo.

Comites Pauli quo inferiores fuerint.

2. Cor. 11. Pericula Pauli.

tro-

tronum periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & ęrumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. Præter illa quæ extrinsec⁹ sunt, instātia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarū. Quis infirmatur & ego nō infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitates meæ sunt, gloriabor. De⁹ & pater Domini nostri IESV Christi, q̃ est benedict⁹ in secula, scit qđ nō mētior. Damasci, præposit⁹ gētis Aretę regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet. Et per fenestram in sporta demissus sum per murū, & effugi man⁹ eius. Hæc Paulus. Quibus quod bonum certamen se certasse Timotheo narrat, explicat, & quē cursum consumauerit, cui illa corona iustitię reposita sit docet. Nō quia adoptat⁹ gratis, nō quia Christi mēbrū fuit, quod illi cōmune cū cæteris omnib⁹ fuerit: oēs enim gratis vocati, gratis adoptati fuerunt, oēs mēbra Christi vt & nos facti, sed nō oēs ita cōstanter la-

Sollicitudo Pauli de Ecclesijs.

Fuga sanctis cōceditur pro tempore.

borarunt, non tot erumnas periculaſ-
que pertulerunt. In hoc vno ſuperati à
Paulo, qui alijs quieſcentibus non qui-
euit, qui alijs à diſcipulis ſumentibus,
ipſe manibus ſuis laborauerit, victum-
que labore ſuo quæſierit, cursu ſuo cū
ſumma conſtantia conſumato, prædi-
cat & profitetur apud Timotheum,
quem ad ſimile certamen excitat, co-
ronam iuſtitiæ ſuæ propoſitam, quam
redditurus illi eſſet iuſtus iudex CHri-
ſtus. Gratis Caluine & illi vocaban-
Matth. 20. tur in vineam, quorum paterfamilias,
alios primo mane, alios hora tertia, a-
lios ſexta, alios nona, vndecima etiam
alios induxit: non propterea tamē mer
cedem ſingulis dedit, quod gratis à ſe
vocati eſſent, ſed quod laborarunt, qd'
diei æſtum & pondus pertulerunt. Ite,
inquit, & vos in vineam meā, & quod
erit iuſtum dabo vobis. Premia iuſta
ijs promittuntur: Non quia gratis vo-
cati ingrediuntur in vineam, ſed quia
gratis quidem vocati, ingreſſi tamen
laborarunt: Non enim vt otioſi in vi-
nea eſſent, vocabantur, ſed vt labora-
rent, & mercedem quam pacti eſſent,
me-

mererentur. Vnde factũ, vt illi, qui primi ingressi erant, molestè ferrent premijs soluendis postremos sibi exæquari, qui laborando & æstũ diei sub pondere ferendo impares fuerint. Quod non fecissent, si scirent premia & mercedem illam sibi non pro laboribus deberi susceptis, sed propter solam gratuitam vocationem, cùm omnes perinde gratis vocati, & in vineã inducti essent. Quid enim similitudo hæc, qua Christ⁹ vsus est, aliud significat, quàm nos in vineã Christi, gratis quidẽ vocatos, & filios adoptatos, sed non vt otiosi, & seculum hoc diligentes in vinea Christi torpescamus, sed vt laboremus, vt certemus, in acie semper stantes, pro regno cuius hæredes facti sumus cum Paulo depugnemus, vt bonum certamen certemus, vt cursum non otiosæ fidei, sed certaminum pro Christo consumamus. Membrum, inquis, CHristi factus Paulus. Rectè est. Quęro quid Christus? num otiosus fuerit? num solam & otiosam fidem prædicauerit? num aliquando conquieuerit? non otiosus Christus: Venit quęre-

Vocationis nostræ munus.

Christus non fuit otiosus.

re oues quæ perierant, quę ouile sui patris reliquerant, quæ inter luporum greges periclitarentur. Non solùm inter Iudæos Christus versatur, non vno in loco, vnáue in vrbe, vt reges solerēt consistit, sed totam Iudæam peragrat, gentiles etiam & Chananeos accedit, labori non parcit, multa bona operatur, ac Deo patri à quo mis9 erat, obedit. Qui cùm in forma Dei esset, nō rapinamq; arbitraretur se esse æqualem Deo, seipsum exinaniuit, forma serui accepta, & obediens Deo patri factus vsque ad mortem, non quamuis sed illam infamem crucis. Obedit patri non otio agendo, sed laborando quærendis perditis ouibus, & grege disperso cogendo, ignaros docendo, errātes in viam veritatis & vitæ reuocando, ægros sanando, mortuis excitandis. Si CHristus non est otiosus, si laborat, si vigilat, si nō habet vbi caput reclinet, si totas noctes oret, si turbę fame tabescenti cibum dat, si dimittere ieiunos auditores non vult, si Pharisæorum minas contemnit, morti se vltrò pro patris regno offert, quo ore tu audes di-

Cura Christi salutis hominum.

Philip. 2.

CHristi paupertas.

Marc. 8.

cere?

cere?te membrum eius otiosum in so-la fide delitescere debere, solamq; tu-am fiduciam vt cum co hæres sis, tibi sufficere? soli fidei regnum cœleste, & coronam iustitiæ propositam esse: cũ Christus ipse non otiosam exegerit vitã, cũ maiestatẽ suã reliquerit, cũ tantum laborauerit? Audi quid Paulus de Christo dicat: Hoc idem sentite in vo bis quod & in CHristo IESV, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortẽ, mortẽ aũt crucis, propter qđ exaltauit illũ Deus, & dedit illi nomen qđ est supra omne nomen. Propter qd Caluine dedit illi nomẽ hoc gloriosũ? propter qd eũ exaltauit pater? Non ob fiduciã tuã, sed quia relicta maiestate, formam serui accepit, humilis & obediens patri fact9, quod nõ otiosus fuerit, sed semper laborauerit, vitamque Philip. 2.

Christum laborantē imitetur fidelis. uostram operatus fuerit. Neque Christus cuius te membrū frustra esse mentiris, neque Deus pater otiosi sunt, Pater meus operatur vsque huc, & ego operor. Si opera inutilia sunt, cur CHristus operatur? cur in eo patrem imitatur? cur Paulus nos hortatur, vt se imitemur, quemadmodum ille imitetur Christum: Imitatores mei, inquit, estote, sicut & ego CHristi. Quid Paulus in CHristo imitatus est? Non otiosam fidem vestram: opera imitatus. Laborauit Christus, persecutiones passus Christus, in crucem actus CHristus, multa bona fecit CHristus. Laborat Paulus, certat bonum certamen, cursum suum vt & Christus cō sumat, docet, laborat, egenis opem fert, virgis ceditur, lapidatur, ferris obijcitur, in mari mergitur, postremo ꝑ CHristo, vt ille pro mundo mortuus est. Paulus moritur, est Paulus membrum gratis CHristo insertum, est filius adoptionis, sed non otiosus, vt tu Caluine doces. Non sola fide contentus, operatur assiduè, operibus suis coronam iustitiæ propositam ait esse, vt

Ioan. 5.

Philip. 3.

Paulus Christi imitator.

2. Cor. 11.

Chri-

Christus sui certaminis, & cursus sui in hoc mundo, quem volente patre ingressus est, coronam à patre suo accepit, & super omnes cœlos penetrans ad dexteram Dei patris consedit, nomenque tale sortitus est, quod est supra omne nomen, quod dęmones tremunt, cui omne genu flectitur. Ita Paulus accipit coronam iustitiæ, quam vt maturius consequeretur, cupiebat dissolui, & esse cum Christo, cuius labores & pericula vitamque imitatus fuerit. Iam ne vides, putidum membrũ, non Christi domini, sed callidi serpentis diaboli, operibus bonis premia dari? Nec propterea tantum ꝙ credamus iustos nos esse, sed quod vocati gratis, non solùm credamus, & in vineam ingrediamur, sed quod fides nostra charitate instructa, fructus vocatione nostra dignos, proferat, quod in vinea põdus diei & æstum feramus, quod cum Christo & Paulo bonum certamẽ certamus, & cursum iustum consumamꝰ. Quem nisi consumauerimus, premia nobis non deberi ipse Paulus docet, cũ ait, omnes quidem currere, sed non

Philip. 2.

Paulus ad coronam properat.

Quibus premia dantur.

1. Cor. 9.

nisi eum qui ad metā peruenerit, brauium currentib⁹ propositum, accipere. Quod brauium vt capiamus, nos hortatur monetque, ne bene agendo deficiamus. Oēs currunt qui credunt, initium cursus nostri fides est, inde vt è cancellis in stadiū certaturi ingredimur, Nisi tamē certemus, nisi cursum illum absoluamus, inanis premio ingressus in curriculum noster est, inanis fides nostra. Nam ne dicas, fidei illā coronam propositam esse soli, nō operib⁹: vide quomodo Paulus locū illū ad Timotheū tractat. Bonū certamen, inquit, certaui, cursum cōsumaui, fidem seruaui. Si soli fidei corona debetur, cur ante fidē opera sua retulit? cur fidei ipsi præposuit? & fide opera illa claudit? An propterea vt quod ex fide officia charitatis, & opera bona initiū & ortū habent, ita absq; ea nunquā sunt, & in ea terminentur? Fidē Paul⁹ operibus suis adiecit, & fidei opera præposuit, quod nec fides illa viua, q̃ Paul⁹ cōseruauit, vacua operib⁹ vnquā inuenitur, nec opera absq; fide coronam mereantur Fidē operib⁹ adiungit Paulus,

Qui credunt currunt.

2. Tim. 4.

Vt opera absque fide nihil sunt, ita fides sine operibus inutilis.

& opera fidei, vt alterum abſque altero nihil momenti ad vitam æternam parandam habere demonſtraret. Vt arbor abſq; fructu bono in ignem mittitur, ita fides ſine operibus igni vrenda à Chriſto decernitur. Vt fructus, aut corrupta arbore, aut non plantata, nullus naſci poteſt, ita neque opera abſq; fide cõſiſtere poſſunt: & ſi fiant, inſtar peccatorum ſunt, nullumq́ue premiũ apud Deum merentur. Vtrumque igitur Paulus retulit, vtrique coronam iuſtitiæ propoſitam eſſe docet. Tum demùm opera tua proſunt, cùm ex fide q̃ ꝑ dilectionẽ operatur, promanãt. Hoc Paul⁹ primum ſpectauit deinde & tuũ errorem, quem ſpiritu ſancto fore prę- *Pauli cõſiliũ.* uidit, & idem Timotheo prædixit, refelleret, qui ſolam fidem & fiduciã inanem & mortuam iactaturus, eiq́; ſoli operibus bonis excluſis, ſalutẽ noſtrã, vitã & iuſtificationẽ deberi, aſſeueratur⁹ eras, & Pelagianos, ꝗ opera abſq; *Pelagiani* fide, vitã parere aſſerturi erant, euerte- *quid docuerint.* ret: Præuidit Paulus ſpiritu ſancto, ꝗ in eo loquebatur, doctrinã veſtrã falſam, occurrere illi voluit. Nõ ſolã fidẽ, non

ſola opera nobis commendauit, ſed opera ſimul cum fide, vt arborem cum fructibus, quæ & vos & Pelagianos diuiſuros præuidit, hominesq́ue in eum errorem inducturos, vt alij operibus ſolis fiderent, alij eis reiectis, ſoli fiduciæ omnia tribuerent, & vtrique à fide diſcederent, nō ab iſta mortua veſtra, operibus bonis vacua, ſed ab illa viua, quæ per dilectionem operatur, quæ viget, quæ fructus charitatis effundit, quam Chriſtus ſe, cùm venerit ad iudicium, inuenturū negauit, inueniet veſtram mortuam, viuam non inueniet. Sed plurib⁹ ago, quàm res ipſa luce Solis clarior expoſcit. Præcidam ſermonem, aliò me referam. Nam quæ vel tu Caluine, vel alij tui ſymmiſtæ in eo loco euertendo afferunt ea vt vana & inepta, nec refutatione digna, & quæ vt nebula ſtultorum oculis obfuſa, veritatis radijs percuſſa, euaneſcunt, ac ſua leuitate dilabuntur. Cui enim iſti, ſuis illis, non tam callidis, quàm impudentibus interpretationibus, & à vero ſenſu ſcripturarum, ad ſuas peruerſas, & Deo abominabiles cupiditates, auerſioni-

Quam fidem Chriſtus non inuēturus eſt

Aduerſariorum argumēta pro ſola fide vana.

onibus persuadere poterint, nisi perdito, & præter nomen Christiani nihil habenti, libidinib9 æstuanti, cędes, rapinas, furta, adulteria, stupra anhelanti, opera bona nihil ad iustitiam nobis conferre, omnis meriti inania esse, neque maiorem vim quàm gentilium illa Politica habere, nihilque vt iusti apud Deum pronunciemur, afferre, solamque fidem eam esse, quæ iustos gratosque nos Deo reddat, etiam si non solùm nihil boni operemur, verùm si etiam in peccatis permaneam9. Cùm & Christus salutis nostræ author, & Apostoli eius non aliud agant, quàm vt nos à malis operibus & iniquitate ad opera bona traducant, hominèque veteri illo sceleribus oppresso, & in cęno omnium malorum immerso, nos exutos, nouum, fide florentem, bonis operibus abundantem, mundi huius libidines aspernantem, induant. Audi enim Paulū, cur Christus in hunc mundum venerit, Tito exponentem: Apparuit enim, inquit, gratia Dei saluatoris omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia

Cur Christus in mundum venit.
Tit. 2.

desideria, sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spē, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri IESV Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mūdaret populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hęc loquere & exhortare & argue. Hæc ille: Quæ quā manifestè cur Christus venerit, cur gratia eius omnibus hominibus apparuerit, & quid à nobis, vt illā consequamur, exposcatur, doceant, sine dubio cognoscis. Cū.n. mūdis oīa mūda, infidelibus aūt nihil esse mūdū, sed inquinatā eorum & mētē & cōsciētiā dixisset, quomodo iniquitatis oparij dep̄hēdātur, docet ijs quæ sequuntur verbis. Con-
Tit.1. fitentur se nosse Deum, factis autē negant, cùm sint abominati & incredibiles, & ad omne op⁹ bonū reprobi. Profitentur, inquit, se nosse Deū. Quomodo profitentur? Disputāt de lege, de iustitia, de discrimine ciborū. Alios mūdos, alios immūdos esse decernunt, cū ipsi immūdi sint. Quomodo immundi? quia infideles. Quomodo infideles,
si

ſi profitentur nomen domini, ſi de eius lege diſſerunt? ſi fidem in Chriſtum pleno ore ſonent? Profitentur, inquit, quidem illi videre ſe Deum, profitentur fidem, ſed quam verbis ſonent, factis abnegent, ac apertè monſtrent, ſe neque Deum noſſe, neque in eum credere. Si enim noſſent Deum, noſcerẽt & voluntatem eius: voluntas autẽ Dei eſt, vt exuamus veterem, impurũ, Deo aduerſum hominem, induam⁹ nouũ, purum, & ab omni labe terrena vitijſque mundi alienum, qui nõ tantũ verbis fidem & cognitionẽ Dei iactet, ſed etiã bonis operib⁹ ita ſe credere, & Dei volũtatem facere teſtetur: opera enim fidei fructus: ex operibus quam fidem qs habeat deprehẽditur. Arboris bonę fruct⁹ boni ſunt malæ & putidæ, mali & corrupti. Fruſtra igitur iactas fidem, fruſtra te voluntatis Dei obſeruatorẽ verbis perſonas, ſi opera fidei paria nõ ſint, ſi vel nulla ſint, vel ea ſint, q̃ Deus non probat Profiteris in Chriſtum fidem, de lege eius diſſeris, quæ ſit volũtas eius ſolum te noſſe aſſeris, ſcripturarum ſenſum verum te tenere cõtendis,

Vetus homo exuendus.

Opera fidei iudex.

Matth. 7.

dis,cum ipsa opera,te quis sis prodant. Audi quid Paulus dicat,& quomodo qui vere fidelis sit deprehendas docet.

Tit.1. Confitentur se nosse Deum,factis autẽ negant. Confitentur, inquit, verbis, quam confessionem eorum falsam esse, facta & opera iniquitatis demonstrant, & falsi eos arguunt.

Qui nouit DEVM. Qui nouit Deum, nouit voluntatem eius, ac secundum id quod ille probat, vitæ suæ rationem instituit.

1.Thess.4. Hæc autem, inquit Paulus, voluntas Dei sanctificatio vestra. Quæ illa sanctificatio, & quomodo paratur?

Christiani veri officia. vt,inquit,abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere, ne quis circumueniat fratrem suum in negocio, & cętera: Quibus Paulus voluntatem Dei in eo loco depingit. Tu sanctificari vis, imò te sanctum,purum,& Christi sanguine ab omni inquinamento emundatum ais per fidem, Paulus autem non in sola fide sanctitatem nostram consistere docet, sed vult nos à fornicatione abstinere, vult sobrios, castos, ab omni

Aduersariorum doctrina Paulinæ contraria est. fraude & vitijs immunes esse. Tu verò fornicaris,adulteria sectaris, aliena ra-

pis,

pis, & ea omnia quæ Deus auersatur patras, fide sola te iustum & sanctificatum esse contendis, cùm Paulus te redarguat dicens: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Non nouit Deum adulter, non nouit fornicator, non nouit auarus, non nouit homicida. Nō sanctus est, qui hæc patrat, etiam si se Deum nosse, & fidem habere, totos dies & noctes & vsque ad rauim clamet, cùm sit abominabilis & incredulus. Esse autem abominabilem & incredulum, inde Paulus colligit: quod ad omne opus bonum reprobus sit. Cùm sint inquit, abominabiles & ad omne bonum opus reprobi. Quid apertius dici potuit, quàm quod hic Paulus dixit? Nō nosse eos Deum qui reprobati sint, qui abominabiles sint. Qui autem sint abominabiles? qui inquit, ad omne bonum opus reprobi sunt, quos Deus abominatur, & facta illorum execratur, qui nullum bonū opus, & quod Deo placeat, faciūt, qui post sua desideria currunt, mundique & carnis ęstu rapiuntur. Quibus quod Deus velit, quæ sanctificatio hominis sit,

Tit. 1.

Qui sunt abominabiles.

ſit, ſtatim ſubijcit: Tu, inquiens, loquere, quæ decent ſanam doctrinam. Et quæ ſit ſana doctrina monſtrat: Senes vt ſobrij ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione & patientia, & quæ cuiuſq; ætatis & ordinis virtutes ſint, quæ opera verè fidelium, & Chriſti doctrinæ, quam ſanam vocat, conſona, & in quibus ſanctificatio noſtra conſiſtat, quæ voluntatem Dei, quem per fidem apprehenſum nouimus, demonſtrent, & quæ doctrinam Chriſti illuſtrent & ornent, exponit. Quibus ſubijcit: quis finis & ſcopus ſit operum illorum & virtutum quas inculcat, vt ſcilicet doctrinam ſaluatoris noſtri Dei in omnibus ornent. Ornent, inquit, doctrinam CHRISTI. Si ornant bona illa opera quæ Paulus Tito commendat, qui fieri poterit, vt inutilia ſint, vt non neceſſaria, vt menſtruatæ panno ſimilia? Quæ Chriſti doctrina? quid docuit? Fidem, inquit, hãc, quam multis in locis ſeuerè cõmendat. Sine fide .n. Deo placere nemo poteſt. Sed audi Paulum Tito pręcipientem, vt ſanam doctrinam doceat, quã nõ in ſola fide

Tit. 2.

Doctrina Pauli.

fide cõtineri docet, vt vos vultis, sed o- pera cuiusq; ætati & conditioni hoīm, apta, describit, ac vt fidelib⁹ illis incul centur à Tito, præcipit. Et quis finis eorum operum sit, statim vt diximus subijcit, vt doctrina Christi Dei ornetur. Bona enim opera fidei Christi ornamenta sunt, ijs fides exornatur ac illustratur, sine his obscura est, & in tenebris iacet. Et ne temerè videatur opera illa & virtutes commendare, cur Christus in hunc mũdum venerit, cur radios lucis suæ, & Dei bonitatis ĩ nos effuderit, subijcit: Apparuit, inquiens, gratia Dei saluatoris omnibus hominib⁹ erudiens nos, vt abnegãtes impietatẽ, & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuam⁹ in hoc seculo. Audis qd Paulus dicat, quã causam aduentus Christi ad nos afferat? Nõ tantũ ait eũ venisse, & gratiã Dei in nos effudisse, vt credam⁹, solãq; & nudã fidẽ, neglectis operibus bonis, & fructu fidei, soremus, eiq; soli iustificationem & sanctificationẽ acceptã referam⁹, sed vt nos erudiret, vt nobis ꝑsuaderet, vt impietatẽ omniaq; illa idololatrarũ, in qbus

Nõ in sola fide iustitia cõsistit.

vt

vt in cœno volutabantur, ſcelera, & deſideria, quibus ad impietatem vrgerentur, non tantum relinquamus, ſed etiam abiuremus, nihilq́ue nobis deinceps cum illis negocij fore, palam & cum deteſtatione eorum, profiteamur. Quod fieri ſancta Apoſtolica & Catholica Eccleſia, cuius princeps & caput Romanus Pontifex eſt, perpetuò ſeruari decreuit, voluitq́ue, vt qui ex ſacro fonte ablueremtur, & fidem ſuam in Chriſtum profiterentur, omnia ea deſideria, omnem impietatem, & diabolum authorem omnium ſcelerum deteſtarentur & abiurarẽt. Cur ita? quia hanc voluntatem Dei & Chriſti fuiſſe, ex hoc & alijs pluribus locis Pauli cognouerunt. Et quoniam non ſatis eſt à malis recedere, impietatemq́ue & ſceleſtos mores relinquere, niſi etiam ad meliora nos referamus, niſi ea, quæ Deus probat amplectamur & faciamus. Paulus ſtatim addidit: vt ſobriè & piè viuamus in hoc ſeculo. Quod & Dauid, vel potius idem Chriſtus, qui & in Paulo & in Dauid loquitur, docuit, cũ diceret: Diſcede à malo, &

Nõ redeũdũ ad vitia.

Quando nos ipſos abnegamus.

Declina à malo & fac bonum.

Tit. 2.

Pſal. 36.

& fac bonum, Inquire pacem & perſequere eam. Neque enim ſatis eſt, relinquere vias impietatis, niſi ingrediaris viã veritatis & pietatis, quæ te ad Chriſtum deducat. Non laudatur arbor inde, quod malum non ferat fructum, ſed quod nõ ferat bonum, damnatur. Non ferebat ficus illa fructum malum quam diximus patremfamilias terram ſuam occupare noluiſſe, & niſi fructũ intra annum vertentem proferret, exſcindi eam, & in ignem mitti iuſſiſſe, hoc ipſo damnata, quod bonum fructum non ferret. Hoc ſolo nomine alia illa in qua CHriſtus fructum bonũ non reperit, maledicta à CHriſto exaruit, igniſque nutricula facta. Non igitur CHriſtus tantum deſerere nos impietatem, & abominari incredulitatẽ voluit, ſed etiam complecti pietatem, & vna cum fide recepta, opera pietatis exercere, piè ac ſobriè, vt ait Paulus, nos viuere, & deſideria carnis abnegare, charitatis opera frequentari, ſpiritu nõ carne agi, monet & præcipit; & quæ ſint opera carnis, quæ fugienda & abijcienda cenſeat, qui fructus ſint ſpiri-

Quæ arbor laudatur.

tus, quos amplactamur, in quibus sanctificatio nostra consistat, quæ DEVS pater nos in filio suo corporaliter habitans, & voluit & docuit, exponit. Noluit enim Paulus captiosam suam doctrinam nobis relinquere, noluit nobis laqueos inijcere. Apertè explicauit officia veri discipuli CHRISTI. Primum docet impietatem & incredulitatem abnegandam, secularia desideria extinguenda, diabolū cum suis sceleribus abiurandum: deinde pietatem complectendam esse, hoc est, fide CHRISTI recepta fructus pietatis, bona opera quæ fides charitate armata proferet, exercere: piè, sobriè, & castè viuere præcipit, ac vt vno verbo dicā, malis relictis bene agere suadet: & vt hoc modo nos Christi esse probemus, hortatur: vt & ipse Christus fecit, cum diceret. Sic luceat lux vestra, vt homines videntes opera vestra bona, glorificent Deum patrem qui in cælis est. Non enim tantum voluit, vt mala nostra opera homines non videant, sed etiam vt bona videant, quæ admirati, gloriam DEI, cuius tales discipuli simus

Pauli aperta doctrina.

Tit. 2.

Matth. 5.

mus, in quibus nihil mali, omnia autem bona & præclara eluceant, DEVM & CHRISTVM magiſtrum gloria debita ornent, nec habeāt quid ex aduerſo reprehendant. Laudantur magiſtri, & verè magiſtri dicuntur eſſe, qui oſtendere poſſint quos docuerint, qui non ſolum barbariem à ſuis, quos inſtruendos literis humanioribus, & doctrina vtili ſuſciperent, depulerint verum vel maximè propterea, quod bonarum artium fructum, & vſum elucere, in eis videant quod honeſta eorum vita conſpiciatur. Quod ſi in illis qui huic mundo immerſi, artibus humanis incumbunt, non ſolum fuga viciorum, ſed etiam virtutum amor exquiritur. Multò magis in CHRISTI DEI & ſaluatoris noſtri diſcipulis, lux virtutum & pietatis, quæ in bonis operibus, pia, caſta, & ſobria vita reluceat, quæ ad gloriam DEO præſtandam impios adducat, exquiratur neceſſe eſt. Non laudatur puer qui præcepta artis Grammaticæ calleat, q diſſerendi vias teneat, niſi emēdatè loquatur, niſi aptè, copiosè, &

Qui magiſtri laudantur.

Qui puer laudari mereatur.

eleganter de omnibus rebus in quæsti-
onem vocatis, differat. Non poteſt lau-
dari diſcipulus Chriſti, quod tantum
credat, quod ſe Chriſtianum profite-
tur, niſi lux bonorum operum in eo e-
luceat, niſi ea quę Chriſtus docuit, quę
Apoſtoli inculcarunt, opera pietatis
& charitatis, ſiue fidei per dilectionem
operantis, exerceat, & opere bono fi-
dem ſuam & præcepta Chriſti confir-
met, & verum diſcipulum præcepto-
rumq́; eius obſeruantem & peritum,
rectè viuendo, opera bona aſſiduè ex-
ercendo, ſe eſſe probet. Et quoniam au
diſti cauſam Chriſti ad nos aduentus,
& doctrinæ eius rationem, quę premia
eius doctrinę, & exercendorum bono-
rum operum, quæ nobis pręcipit, ſint,
Paulus quid promittat. Tit. 2. quid deinceps dicat, audiamus. Expe-
ctantes, inquit Paulus, beatam ſpem
& aduentum gloriæ magni Dei, & ſal-
uatoris noſtri IESV Chriſti, qui dedit
ſemetipſum pro nobis, vt nos redime-
ret ab omni iniquitate, & mundaret ſi-
bi populum acceptabilem, ſectato-
rem bonorum operum. Excutiamus
ſingula Pauli quę hoc loco rettuli ver-
ba,

ba, & quid doceant, quid promittant, in quem ſcopum ferantur, examinemus. Primum abnegare nos omnem impietatem deponere, & piè ſobrieq́; viuere, bonis operibus intentos eſſe debere, docet Paulus. Et ne grauemur, ne laborem qui moleſtus ijs qui deſideria carnis ſectantur eſſe ſoleat, fugiamus, premijs demonſtratis & propoſitis, nos ad moleſtias laboremq́ue illum perferendum, excitat. Moleſta quidem eſt virtus, ſed premia propoſita eam moleſtiam tollunt. Quæ igitur premia Paulus bonorum operum, & ſobriæ vitæ propoſita eſſe doceat? Primum nos in moleſtijs illis quas pietas pariat, cogitare iubet, aduentum Chriſti IESV in iudicium, in quo vnicuiq; redditurus eſt premia iuxta opera ſua, & ſpem premiorum, quæ bona opera piam & ſobriam vitam ſequatur, ante oculos noſtros ponit, ſpemq́; certam & indubitatam premiorum eorū nobis inculcat. Qua exciti, bene agere, pietatem colere, Chriſtum ſequi non intermittamus. Ait igitur: Expectantes beatam ſpem. Quæ eſt illa beata ſpes, *Doctrina Pauli.*

quam Paul⁹ expectare nos iubet? quod præmium vita beata, regnum cæleste, ad quod Christus nos vocat dicens: Venite benedicti patris mei, possidete regnum ab initio mũdi vobis paratum. Quid, leuéne præmium hoc est & contemnendum? Vitam æternam proponit nobis Christus & Paulus, de qua Philosophorum scholæ nunquam loqui cessant, quam expetunt. Cuius consequendæ rationes multiplices & infinitas peruestigant, ac suis monstrant, in qua vna summum illud bonum, cuius causa homo nasceretur, consistere aiunt. Cuius spe, suos ad honestas viuẽdi rationes, résque magnas, arduas & difficiles agendas, excitant, nullumque laborem, nullas molestias, nulla pericula propter id refugienda docẽt. Hunc vnum finem hominis esse volunt, in quem qui ꝑuenerit, quasi è fluctibus maris in portum delatus, extra omnem periculi metum tutus ac beatus acquiescat. Quod si gentes quæ ignorant Deum, & in tenebris perpetuis versantur, ĩ illa caligine videre potcrunt, & ad vitam beatam, summumq;
suum

ſuum illud bonum cuius ſe natos cauſa putent cōſequendā virtute, & rectè factis opus eſſe indicant, neminiq́; vitā beatam cōtingere, niſi poſt multos & arduos labores, poſt exercitia virtutum egregiaq́; opera doceant. Miror vos hoēs acutos, qui in Chriſti luce viuitis, q arcana Dei ſoli (ſi Chriſto placet) tenetis, qui Chriſtum bonis operibꝰ regnū cœleſte tribuentē auditis, vel non videre: vel cū videatis veritati aduerſari, & tenebris mendaciorum veſtrorum lucē eius inumbrare, ac apud imperitos, & ventri libidiniq́; deditos homines, ei illudere audetis: fingitis fidē ocioſam nō Chriſti, ſed porci neſcio cuiꝰ de grege Epicuri filiolam, voluptatibꝰ, luxui lenocinijs deditā, auarā, rapacē, furentē, bella & turbas cientem, fraternoq́; ſanguine madentē, imperia legittima auerſantē, bonis operibꝰ & caſtę vitę inimicā. Ex fructibus arborē Chriſtus cognoſci docuit. Ingrediamur igitur vineā iſtā veſtrā, q̄ ſolā Chriſtū plantaſſe aſſeritis: videamꝰ arborē iſtam veſtrā, quos ꝓtulerit fructꝰ, Non alius certè reperietur, quam ille

Aduerſarij quid ſibi arrogent.

Fides aduerſariorū quæ.

quem dixi, adulteria, libidines à natura auersas, rationi aduersas, cędes, rapinas, turbas, magistratus legitimi contemptum, ebrietates, commessationes, bella ciuilia, & aliena rapiendi studium. Satis dicitis esse, credere, nihil interesse rectè an sceleratè viuas, modò rectè credas, Christum pro te passum, Christum pro te satisfecisse, per solam te fidem Christi agnosci. Fide placere Deo, fide sola te iustificari, peccatum nullum tibi imputari, opera bona pannum esse menstruatæ, & cætera infinita, qũæ vos sine metu Dei, & pudore hominum, concrepatis, planéque Christo, & suis Apostolis, doctrina eorum inuertenda, & libidini vestræ aptanda illuditis. Dedit quidem Christus semetipsum pro nobis, mortuus est pro nobis, sed non proptereà, vt nos in scelerib⁹ & libidinum cœno volutemur. Non vt cædes faciamus, bella excitemus, aliena impunè & sine pudore rapiamus, cęteraque Deo aduersa, Sathanæ grata facinora patrem⁹, non vt secundum desideria carnis viuam⁹, sed vt fide in Christum accepta, ca

Rom. 5.

Quid postulat à suis Christus.

ea, mortificemus, ac flammas eorum extinguamus. Debitores ſimus non carni, inquit Paulus, Cur non carni? Quia qui ſecundum carnem viuunt, ad vitam non perueniunt. Si enim, inquit idem, ſecũdum carnem vixeritis, morte moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quis quæſo facta carnis mortificat? Num ſola fides? num ſola veſtra inanis operum fiducia? Non ecquidem: Caſtigo, inquit Paulus, corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cùm alijs prædicauerim, ipſe improbus efficiar. Quomodo caſtigat? Numnam ſola fide Paulus? ne in fide reprobus fieret corpori ſuo frenos inijciat? Non erat in fide reprobus, non ſpiritum in quo fides ſubſiſtit, caſtigat, ſed corpus, ne deſiderijs huius mundi auferatur, & ſe in ſcopulos reprobos, & reprehenſioni obnoxios deferat. Quomodo autem caſtigauerit corpus ſuum, obſcurum non eſt, ex illis, quæ de illo ſuperius retulimus. Iuſtificari vos fide contenditis, rectè: At fide illa quæ ſpiritu agitur, non quæ deſideria carnis ſequitur.

Rom. 6.

Quis carnis opera cohibet

1. Cor. 9.

Paulus quomodo mortificauerit mẽbra carnis ſuæ.

tur. Quam qui ſequuntur, Deo placere non poſſunt. In illis iuſtificatio ſedem ſuam poſuit, qui non ſecundum carnem ambulant ſed ſecundum ſpiritum. Dedit CHRISTVS ſemetipſum pro nobis. Cur quæſo? Vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem. Si ille mundauit nos ab omni iniquitate, ſi mundauit à peccatis: Quomodo tu doces, ſolam fidem abſque operibus bonis, quæ emundati fructus hominis ſunt, placere DEO? quomodo ſolam fidem habentes, & ad cœnum peccatorum vt ſues redeuntes, iuſtos & gratos apud Deum eſſe contendis? cùm CHriſtus te propterea emundauit, & propterea ab illa ſeruitute ſcelerum liberauit, vt ſis apud illum acceptabilis, non ſolùm credendo, quod & dæmones faciunt, ſed etiam mundum te ab omni inquinamento peccatorum præſtando, ac bona opera ſectando. Populum, inquit, redemit ſibi acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vides qd Paul⁹ doceat: Primū exponit Chriſti miſericordiam in nos, pro

Tit. 2.

Cur Chriſtus mundauit ſibi populum.

Populus acceptabilis Deo.

pro quibus ſemetipſum dedit, vt qui ſerui peccati & deſideriorum mundi, mancipiaque Sathanæ, & hoſtes eius odio pleni fuerimus, ſuo ſanguine redemit & emundauit, vt deinceps populus apud ſe acceptus & gratiſſimus eſſem⁹. Deinde ſubijcit quomodo grati & accepti illi efficiamur, & cur pro nobis ſeipſum tradiderit? vt ſimus inquit, popul⁹ ſuus. Quod ne putes ꝓpterea tãtũ quod credamus, ſed etiam quod opera bona ſectemur: addit, ſectatorem bonorum operum. Et ne caſu ea verba ſibi excidiſſe putes conclu-dit: Hæc loquere inquiens, & exhortare, & argue cũ omni imperio, nemo te cõtemnat dicentem & præcipientẽ ſectari bona opera. At vos ſi quis ea cõmendet, ſi neceſſaria ad vitam conſequẽdam doceat, ſi in Chriſti diſcipulo ea requirat, nõ ſolũ eum contemnatis, ſed etiam impetum in eum faciatis, Papiſtica figmẽta, & ſcholaſticorum Sophiſmata eſſe clamatis, pannum menſtruatæ appellatis opa pietatis, & ad alia diuerticula cõfugitis, vt quos ſemel veſtra arte cępiſtis, in errore & deſide- *Pauli præceptum.*

rijs

rijs carnis detineatis. Quos ad bona opera, quorum finis eſt gloria Dei, prouocare debeatis, illud cùm Apoſtolo dicentes: Conſideremus inuicem in ꝓuocationem charitatis & bonorum operum, vt videntes ea homines, glorificent patrem noſtrum qui in cœlis eſt: conuerſatio enim noſtra bona, nomen Dei noſtri & IESV Chriſti, apud gentes & Iudæos & Saracenos, commendat, neque de nobis vt de malefactoribus loquantur, prohibet. Quod Petrus cùm videret, in hæc verba prorupit: Conuerſationem veſtram inter gentes habētes bonam, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. Sed & Chriſtus hoc non tacuit, luci opera bona cōtulit, gloriam Dei in eis conſiſtere docuit: Sic, inquiens, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Deum patrem veſtrū qui in cœlis eſt. Opera bona noſtra CHriſtus vocat, ijs excitari homines ait, ad gloriam dandam Deo: vos autem dici-

Heb. 10.

Conuerſationis bonæ fructus.

1. Pet. 2.

Matth. 5.

citis, operum doctrinam obſcurare
gloriam Dei, obſcurare magnitudi-
nem miſericordiæ eius, & gratiam e-
ius eleuare. Aſſeritis gratos nos iuſtifi-
catos, gratis ſaluari, confugitis ad Pau-
li illa: Gratia Dei ſaluati ſumus, non ex
nobis, donum Dei eſt, ne quis glorie-
tur. Cùm quo animo Paulus illa pro-
tulerit, in quibus operib⁹ gloriari nos
prohibeat, vel non videtis, vel videtis
quidem, ſed contra conſcientiam ve-
ſtram, veritatem in tenebris detinetis
veſtris. Opera legis in quibus Iudęi glo
riantur, excluſit Paulus, non opera
charitatis, non opera fidei per dilecti-
onem operantis: Nihil eſſe circunciſi-
onem, nihil præputium apud CHri-
ſtum. Non legem Moyſi, victimaſque
illas & cœremonias, quę vmbra erant,
futurorũ bonorũ, ſed fidem non otio-
ſam iſtam veſtram, verùm noſtram il-
lam, quæ per dilectionem operatur,
nos iuſtificare docet. Fidei fructus per
dilectionem operantis, & bona opera
cõmendat Paulus. Ijs iuſtificationem
deberi, ijs vitam, non præputio gen-
tium ſuperbarum; non cœremo-
nijs

Gratias ſal-uari quo ſen-ſu Paulus di-xit.

nijs Iudaicis. Pietatis opera lucem vocat CHristus, quam lucere coram hominibus vult. Cur ita? vt inde gloria Dei patris qui in cœlis est, illustretur. Neque alia certior ratio est, secernendi Christi discipulos ab aliorum magistrorum alumnis, quam opera bona, quæ fides charitate armata operatur, & tanquam arbor bona fructus bonos & suaues profundit. Hoc modo Petrus CHristi discipulos agnosci iudicauit, hancq; certissimam tesseram militū Christi esse voluit, cū ait: Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis, aliquādo opera bona pietatis, & veræ fidei argumentum sunt. Hoc eodem modo Paulus, mulieres suam pietatem testatam relinquere apud omnes voluit; hoc vno modo Christi discipulos ab alijs secernit, quod inquit decet mulieres ꝓmittentes, pietatem, bona per opera. Nā vt opera carnis, fornicatio immunditia, impudentia, luxuria, & alia multa impietatis & prophanæ familiæ signa

Opera bona fidelium gloriam Dei illustrant.

Petrus quid doceat.

Opera argumentū fidei.

Gal. 5.

na sunt: Ita opera bona, pietatis verè, & CHristiani hominis argumentum sunt. Tolle opera bona, nullū vestigiū pietatis exstabit, nulla signa fidei in corde tuo latētis apparebunt, nullum discrimen inter te, Iudæum, gentilem, & Saracenum erit, nulla Deo gloria ob tuā latētem in te fidem. Nisi opera bona quę oēs homines videant, quę vt lumen Solis in oculis eorum versentur, ac aciem eorum perstringant, protulerint foras, dabitur. Si igitur bona opera gloriam Dei illustrant, si gentes ad veritatem agnoscendam, & DEO gratias agendas, qui tantam virtutem hominibus suis dederit adducunt? Qua fronte audes dicere, opera bona nihil esse, nec aliter ea sordescere in cōspectu Dei, quam sordescat pannꝰ menstrnatæ? Quomodo gratiæ & misericordiæ Dei magnitudinem obscurāt, cū Christus ea lucere velit Non ob aliā causam, quam vt homines videntes ea ad gloriam Deo dādam, gratiasque ei agendas excitentur, ad veritatis Deiq; veri cognitionē adducantur. Sublatis operibꝰ bonis, obscuratur gloria Dei, maledi-

maledicitur Christus inter gentes propter nostra mala opera, blasphematur nomen Dei sanctum propter nos, vitiaque nostra. Quod ne blasphemetur per bona opera, satagendũ est. Vt Christus & Deus pater inter gentes glorificetur, fides nostra in bonis operibus luceat, necesse est. Per bona opera vita æterna quærenda. Quale opus cuiusque fuerit, tale premium consequitur. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum siue malum. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Quid caro seminat? Opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, emulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes & ijs similia, inquit Paulus, quorum stipendium mors est, ignisque æternus qui cuiusque opus, quale sit, ꝓbabit. Spiritus autem quid proseminat?

Tribunal Christi.

2. Cor. 5.

Opera carnis Gal. 5.

nat?quos fructus profert? quod stipendium sit eorum, qui spiritu Dei aguntur. Fructus, inquit Paulus, spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Hos fructus profert spiritus, inde bona opera profunduntur, quorum merces est vita æterna, & regnum illud ab initio nobis mundi paratum, ad quod CHristi voce illa vocemur, Venite benedicti patris mei. His proposita est merces illa copiosa in cœlis, de qua Christus: Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. In ijs custodiēdis & exercēdis retributio multa. Qui bona egerūt, inquit CHristus, ibūt in vitā æternā, qui verò mala in ignē æternū diabolo & angelis eius paratum, eiusdem voce mittuntur. Et tu negas premia bonis operibus proposita? nullius momenti apud Deum ea esse contendis? soli fidei omnia tribuis? cùm nullum op⁹ bonum inueniatur, quod suam mercedem apud DEVM non habeat? Audi enim quid CHRISTVS dicat. Quicunque potum dede

Fructus spiritus.

Matth. 5.

Operum bonorum vis.

rit vni ex minimis istis calicem aquæ
frigidæ tantum in nomine discipuli:
Matth.10. Amen dico vobis, non perdet merce-
2. Cor.3. dem suam. Vnusquisque, inquit Paulus, propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. Non caret calix aquę frigidę sitienti datus, in nomine etiam discipuli, mercede. Qui rece-
Matth.10. pit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetę accipiet, & qui recepit iustum in nomine iusti, mercedē iusti accipit. Si Deo opera bona curæ non sunt, si sunt in conspectu eius sordida, cur CHristus mercedem illis etiam minimis, etiam non in nomine suo, sed in nomine discipuli, aut iusti, officijs factis, mercedem dignam apud Deum patrem propositam esse pronūciat: si sola fides omnia occupat: si soli fidei premia debentur: cur calix etiam frigidæ aquæ sitienti datus, gratus & dulcis Deo sit, cur ei premium & merces proposita esse dicitur? Si opera nihil sunt, cur virgines fatuæ damnātur? cur à sponso negantur, non fides illis
Matth.25. defuit: surrexerunt media nocte, expectarunt venientem, crediderunt ver-
bo

bo ſponſi ad nuptias æternas ſe vocanti, habebant in manib⁹ lampades, quibus fides deſignatur à CHriſto, ſed non habebat oleum, extincta erat lux operum, quæ lucere debebat in eis. Sine fide opera, oleum abſque lampade, fides abſque operibus, lampas ſine oleo, nec oleũ ſine lampade, nec lampas abſque oleo lucet. Lampadi vt lucem præſtet, oleum quod ignem nutriat, infundas neceſſe eſt; alterum abſque altero in tenebris deliteſcit, nullãq; lucem effundit. Cur epulo diues ille damnatur? cur in flammam conijcitur? Non propter neglectam fidem, ſed propter opera miſericordiæ in Lazarum morbis oppreſſum, neglecta. Et Lazarus & diues fideles erant, inter Iudæos Iudæi ipſi verſabantur, legẽ vterque nouerat, quæ Moyſes docuit vera eſſe credebant; Cur igitur alter damnatur, & in flammam mittitur, alter in ſinum Abrahę fertur? Quoniã opera varia, premiũ diuerſum cõſequitur. Premia pietatis in ſinu Abrahæ ſunt: impietatis & neglectæ charitatis, cibus egeno & ęgro negat⁹, merces, flamma eſt. *Luc. 16.*

Qui bona egerunt, ibunt in vitam ęter nam, qui mala in ignem æternum, & in tenebras exteriores, vbi ſit fletus & ſtridor dentium. Neque ille infidelis e-rat, qui vocatus ad nuptias male veſti-
Matth. 22. tus venit, qui accubuit menſę domini, qui tamen: quod veſtem nuptijs Chri-ſti aptam non induerit, ligatis manib⁹ ac pedibus in tenebras exteriores tru-ditur. Quid veſtis eſt, niſi opera bona? & officia charitatis? Sed pluribus agi-mus, quàm rei veritas & lumen ip-ſum oculos noſtros vltrò feriens, po-ſtulat. Si bona opera neglecta damnan tur, & maledictionem afferunt? qui fie ri poteſt, vt præſtita non mereantur premia? vt non iuſtos nos coram Deo faciant? Benedicti patris Dei vocantur à Chriſto, qui officia fratribus ſuis prę-ſtiterunt, regnumq́ue cœleſte accipi-unt. Qui verò eadem illa officia infir-mis, vagis, eſurientibus, aut negarunt aut neglexerunt, maledicti pronunci-antur, & ad ignis ſupplicia æterna damnantur. Quæ cùm audias ex ipſius Chriſti ore, audes tamen opera bona conuellere? audes omnem honorem

iuſti-

iustificationis & premia eis detrahe-
re?& CHRISTO cōcionanti de pre-
mijs operum aduersari, lucem Soli au-
feras facilius quàm Christi verborum
veritatem adumbres. Apertè Christus
docet, quam grata sint & apud se, & a-
pud patrem opera bona, quæ premia
eis proponantur. Sed neque vos veri-
tate, ad cuius lucem oculi temeritatis
vestræ caligant, radijsque eius perstrin-
gantur, victi, continere vos potestis,
quin ea quæ operibus bonis debean-
tur, confiteamini. Vestra sunt hæc quæ
subijciam, quæ qua fide & integritate
alibi bona opera damnatis, facilè do-
cent. Obrepit veritas nolentibus, & *Aduersariorum de quibus bonis sententia.*
sua se luce, nube etiam mendacij te-
cta prodit, detinerique perpetuò in te-
nebris non potest. Non potuit veritas
in vestris tenebris latere, ore vestro se
prodidit, in epistola Pauli ad Titum,
dum in ea expositione, quam vos tum
Catholicam, tum Ecclesiasticam, tum
bibliothecam expositionem noui te-
stamenti appellastis, in quam vt in
sentinam omnia genera conuitio-
rum vestrorum, & impudentiæ vestrę,

calumniarumque in Pontificem Romanum, ac omnes ſanctos patres virus omne infudiſtis, verba illa Pauli ad Titum exponẽtes, in hæc verba erumpitis: BEZA, Liquet autẽ ex hoc loco, quod inobediẽtia ſeu infidelitas, fons ſit omnium ſcelerum. Rurſus autem qđ fides origo ſit omniũ virtutum, & quod factis non verbis tantum præſtãda ſit pietas. M. Si ergo Dei filios, Chriſti conſortes nos probare voluerimus fructibus, id quidem Deo gratis exprimamus oportet: Neque enim ſatis eſt dicere, Domine domine, niſi eius voluntatem fecerimus. Nam quemadmodum aureum frenum meliorem non facit equum, etiam qualibuſcunq; alijs phaleris mangonizetur; ita nec vociferatio & clamor, & quantumcũque ingens de Deo loquacitas Chriſtianum efficit ſed fides quæ per charitatem operatur: & ad illa verba ad omne opus reprobi ſic infertis. A. Vbi nulla eſt fides, nullus Dei timor, nulla conſcientiæ puritas, illic nec opus bonum eſſe poteſt. P. Quiſquis enim eſt, quicunque verbo DEI neglecto,

quod

quod ore iactat, impiè viuit sine fide peccatum est, & sine fide impossibile est Deo placere, nec potest arbor mala bonos fructus facere, ergo hipocrita est, quicunque verbo DEI neglecto, quod ore iactat impiè viuit. Hæc vestra sunt Caluine, quibus apertè vestram illam, quam ante retuli papistarum, quos omnium superstitiosarum defensores dixistis, reprehensionem reprehenditis, & in veritatem veritatis vi coacti aliquando erumpitis, ac opera cum fide ita coniungitis, vt ne fides sine illis apud Deum, nec illa sine fide consistere queant, hipocritamque esse pronunciatis, qui fidem & verbum Dei iactans ore, impiè viuat, cùm fides non scelerum, sed virtutum omnium sit fons, & operibus qualis sit demonstretur. Neque igitur opera absque fide grata Deo sunt, neque fides absque operibus vitam æternam præstat. Vtrunque horum inter se coniunguntur & coniurant, vt quidam ait: Amice, vt fides operum bonorum fundamentum & parens: ita sine operibus bonis fides mortua est,

Veritatis vis

Fides fons.

inquit Iacobus, vt corpus absque spiritu & anima vegetante. Si opera damnatis, & à fide aliena esse decernitis, fides etiam damnāda & abijcienda. Aut si fidei tantum tribuitis, opera certè bona damnare non potestis, cùm fides origo & fons sit omniū virtutum & operum bonorum, quod nō solùm vt vos nunc, ita Ecclesia Catholica semper & constanter asseruit, quę fidē charitate armatam, semper pia opera exercere docuit. Quæ si non proferet, si otiosa maneret, non vitæ sed mortis, non iustitiæ sed damnationis ministra & causa esset, & cum arbore fruct⁹ bonos non ferente exscinderetur, ac in ignem mitteretur.

Fides origo virtutum.

Quando fides absq; operibus iustos homines reddat, quando absq; eis mortua dicatur.

CAP. XXIII.

NEque illa quæ vos in Apologia Augustanæ Confessionis vestræ cōgeritis, tum Paulo, tum aliorum de fide sola iustificante, hanc sententiam quam Ecclesia probauit de fide & operibus, & in quam vos inuiti, & reluctātes veritate vrgente: interdum descen-

di-

ditis, infirmare poſſunt. Neque enim ſpiritus ſanctus vnde illa profecta ſunt, ſibi aduerſus eſſe potuit. Idem ſpiritus in Paulo loquitur, cum ſola fide nos iuſtificari docet, idem cum fidem per dilectionem operantē laudat, & opera bona nobis commendat. Non eſt Chriſtus ſibi ipſi aduerſus, non pugnant ſecum diſcipuli eius: idem docent, idem ſemper ſentiunt: Idem Prophetæ, idem patres ſancti ſemper ſenſerunt, vna & conſentiens eſt omnium eorum & Eccleſiæ catholicæ doctrina. Nam quod Pauli teſtimonia, & alios ſacræ ſcripturæ locos pro fide veſtra ſola excluſis ab ea operibus, producetis: minime aduerſa iis teſtimoniis ſcriptura, quæ nos pro operibus bonis ſtabiliendis eorumque honore & authoritate aſſeranda cum Eccleſia Catholica afferimus ſunt, eundem ſcopum illa omnia habent, in eundem finem feruntur. Quæ etſi non ſolum diuerſa, verumetiam aduerſa docere videantur, id tamen totum nihil eſt. Si quis conſilium & Pauli & aliorum inſpiciat, eſt cur Paulus interdum fidei ſoli iu

Spiritus Sanctus non eſt ſibi aduerſus.

ſtificationem, vitamque noſtram operibus excluſis ab eo munere & officio nobis prçſtando tribuat. Eſt itē cur fidē abſq; operibus & idē Paulus & Iacobus mortuā appellet, curq; tantoperè in Chriſti diſcipulis opera bona exquirat. Quod diſtinctione adhibita planū fuerit: eſt enim cū ſola iuſtos hoēs abſq; vllis operibus reddat: eſt cū nihil aliud à nobis præter eā, vt Deo grati & accepti ſim⁹, exquiratur. Vnde illæ voces & teſtimonia Pauli, quas vos vſurpari pro veſtra ſententia firmanda, Euangelij noui authores diximus, & retulimus Eſt item quando fides abſque operib⁹ bonis, non iuſticiæ ſed mortis miniſtra eſt, quando non vitā ſed mortem generet, quando non gratum ſed abominabilem Deo reddat, quā Iacobus mortuam vocauit, Paulus fictam, qualis eſt eorum, qui etſi verbum Dei bonum, virtuteſq; ſeculi venturi cognouerint, guſtauerint donū cæleſte, & illuminati ſint, nihilominus tamen in vetere fermento permanēt, deſiderio mūdi feruntur, & vt ſues ad volutabra ſua, caneſq; ad vomitū redeunt, q

Fides ficta & mortua.

2. Pet. 2.

dicunt

dicunt, domine domine, & non faciūt voluntatem eius, qui ore confitentur, quod operibus abnegant, in quibus fides vt semen super petram iactum, radices agere non potest: aut si egerit, spinis viciorum, & mundi desideriorum suffocatur, quæ non fructus eos qui ab ea expectantur, sed spinas & tribulos profert viciorum, & maledictioni cōbustioniq; obnoxia est. Sed & illa quæ charitate caret, quæ non per dilectionem operatur, quæ fratrem odit, quæ quamuis se dicat nosse Deum, & putat se in luce versari, in tenebris tamen est, quæ non solum non reddit iustum coram Deo, sed etiam grauiter accusat & damnat. Sed vt hæc explicatiora, & plane oculis subiecta videantur, iustificationis genera subijantur.

Lucæ 6.

1. Ioan. 2.

Triplicem esse iustificationem
CAP. XXIIII.

Prima ratio iustificationis.

TRriplex igitur est iustificatio. Prima est ea, per q̃ infidelis & alienus ab Ecclesia per fidem & Sacramenta in Christo regeneratur, & ex impio fit pi⁹ & ex iniusto iustus, ex hoste amicus, ex

ſeruo Sathenæ, filius & hæres Dei, coheres autem Chriſti pronunciatur, ac in numerum filiorũ Dei recipitur, ciuitatiq; Dei & Chriſti inſeritur, quod momento fit & abſq; vllis meritis operum: ad hanc enim iuſticiæ rationem aliud nihil præter fidem à nobis exigitur, gratia enim ſola Dei, hanc conſequimur. Gratis nobis datur, gratis vocamur, qđ Paulus ſatis clarè teſtatur, dum monet Epheſeos, ne glorientur. Gratia DEI, inquiens, ſaluati ſumus, non ex nobis, donum Dei eſt, ne quis glorietur. Si donum Dei eſt, nõ igitur propter opera quæ fecimus nos, non propter vlla noſtra merita, non ex operibꝰ iuſti ſumus. Nam ſi ex nobis ſaluaremur, gratia Dei non eſſet gratia, ſed merces debita noſtris operibus & meritis. Hanc Paulus iuſtificationẽ intellexit cũ diceret. Arbitramur hominẽ iuſtificari per fidem abſq; operibus. eſt enim hæc iuſticia noſtra purum & putum donum Dei, non ex operibꝰ enim iuſticiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundũ miſericordiã Dei ſaluos nos fecit chriſtus Ieſus, qui omnibus qui credunt in ſe,

In baptiſmo præter fidem nihil exigi.

Ephes. 2.

in ſe, poteſtatem dedit filios Dei fieri, cuius liuore ſanati ſumus, & ſanguine à peccatis noſtris abluti. Nihil aliud vt iam diximus à nobis poſtulatur, vt hanc iuſticiam conſequamur, quam fides in Chriſtum Ieſum. Si aduerſarij ea quæ adferunt teſtimonia ex ſcriptura ſacra, & quæ antè retulimus de hoc genere iuſtificationis accipiendum eſſe contenderent, non eſſet qui ſenſum eorum non probaret. Sola enim fide ex impijs & idolatris iuſti efficimur, nullis operibus requiſitis, hæc enim iuſticia noſtra & ſalus noſtra ex fide, vt à fonte incipit & promanat, hoc eſt premium vitę noſtrę & iuſticiæ noſtrę fundamentum, ſuper quo cetera omnia extruuntur. Quod fundamentum niſi poſueris, aut neglıgenter poſueris, nihil extruere deinceps poteris, quicquid ſuperſtrixeris ruet. Super hoc fundamento pax illa & fœdus æternum recumbit, de quo Paulus ait. Iuſtificati ex fide, pacem habemus ad DEVM. Sublata fide pax non erit nobis cum Deo: ſine fide enim illi nemo placere poteſt, ſed quod ſola fides vitam æter-

Ioan. 1.

Eſai. 53.

Aduerſariorum de fide quando ſententia vera.

Rom. 5.

nam

nam operibus bonis neglectis in renatis & in Christi sortem gratis vocatis, pariat, solaque ei parandæ satis sit. Nūquam Ecclesia sancta & Catholica, numineque spiritus inspirati patres concesserunt. Neq; .n. sequitur, si opera fidē non præcedant, & vt ex impio quis pius & iustus fiat, nihil subsidij fidei afferunt, vt eam non sequantur, vt illi in parienda vita æterna non assistant, cū fides vera & charitate instructa sēper operetur, ac in operibus reluceat. Sed hæc posterius altera iusticiæ ratio est, cum illa prima, quam ex fide per baptismi Sacramentum consecuti sumus, per peccatū iusticia amissa, per pœnitētiā recuperatur, ad quam nos Ioannes tanq̃ ad tabulā naufragio vitæ facto apprehendendā hortatur, cum ait: Filioli mei scribo vobis, non vt peccetis, sed etsi qs peccauerit aduocatum habem⁹ Iesum Christum, qui est propiciatio nostra pro peccatis nostris, ad pænitentiam enim nos hortatur Ioannes. Et si peccauerimus, vt ad Christum aduocatum nostrū cum lachrymis refugiamus, monet, qui patrē oret, vt nobis

Secunda iusticiæ ratio.

1. Ioan. 2.

Christus aduocatus.

iterum

iterum Sathanæ laqueis captis ignoſcat. Ad quam pœnitentiam Simonem etiam hortatus eſt Petrus dicens : Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi. Iuſtificatus erat Simon Magus per fidem in Chriſto Ieſu, crediderat & baptizatus erat à Philippo inter Chriſti diſcipulos numerabatur, à qua iuſtitia ob eam nequiciam, quam corde conceptam oblata Petro pecunia, vt ſibi venderet donum ſpiritus ſancti, confeſſus eſt, excidit, & ex diſcipulo Chriſti, alter Iudas, ex filio Dei, mancipium Sathanæ, ex iuſto iniquus factus, indignuſque ſorte illa ad quam vocatus erat, pronunciatus, Non eſt, inquit Petrus, tibi ſors in vocatione iſta. Exciderat à ſorte Chriſti, ob ſuam nequiciam & ſcelus illud, quod ab eo nomen accepit Simoniæ hic perditus Simon. Quam ſortem ſi recuperare vellet, ſi iterum vnde ſua culpa exciderat redire cuperet, conſilium Petrus illi dat, vt pæniteniã agat, ſcelus admiſsũ cum lachrymis & fletu, ieiunio, elemoſynis, dep̃cetur & ita iterũ iuſtus apud Deũ fiat, ac non

Act. 8.

Simones non habent ſortẽ in vocatione Chriſti.

ſolum

ſolum hunc Petrus ad pænitentiā hortatus, verum etiam turbam illam, quæ Christo mortem intulerat, & quem abnegauerat, vt idem faceret monuit. Nam cum illi ex eius ſermone ſuum errorem agnoſcerent, & ſcelus admiſſum confiterentur, quidque facto opus eſſet conſulerent, Petrus naufragij illius eorum, quod abnegato Christo quem præceptorem audierant, in quē crediderant, feciſſent, reſtaurandi rationem hanc ſolam & vnicam eſſe demonſtrat, vt iterum ad Christum redeant, qui ſolus vita & iuſticia eorum eſſet, vtque iterum iuſti pronunciari mereantur, in nomine eius baptizentur, monet. Neque enim ſimpliciter vt ante ad Chriſtum venire poterant, ſed cum pænitentia, lachrimis, & fletu, ſceleris admiſſi. Audiuit turba illa docentem Chriſtum, probauit doctrinam eius, admirabatur ſigna & prodigia, confitebatur Chriſtum eſſe. At cum eſſet captus, cum morti addiceretur, non amplius Chriſtum, ſed impoſtorem & impium in DEVM mutato animo, & abiecta fide, eum eſſe cū principi-

Petrus lapſus quomodo conſulit.

cipi-

cipibus ſacerdotum pronunciauit, & vt crucifigeretur clamauit. Idem illi, qui & verbo eius & pane in deſertis lo- *Matt. 4.*
cis paſcebantur, qui trans mare eum ſe quebantur, qui eum eſſe qui venturus erat, Prophetam confitebantur, autho res mortis eius fuerunt. Quo ſcelere admiſſo, iuſticia illa quã ſine vllis meritis per ſolam fidem in eum conſecuti erant, exciderant. Ad quam vt redeant Petrus hortatur, & quomodo redeant, docet pænitentiam vt agant, errorem & parricidium ſuum condemnent, & abominentur, & in nomine Ieſu baptizentur: quod ſi facerent, iterum iuſti in conſpectu Dei pronunciarentur, ab illis qui Chriſtum nunquã nouerunt, qui primum ad eum venirent, nihil præter fidem expoſcebatur Crede, inquit Chriſtus tantum & ſalu' eris. At qui donum Dei deguſtaſſent, qui illuminati eſſent, iterum in tenebras peccati ſe immerſerint, qui nau- *Auarii in fide naufragium faciunt.*
fragium in fide fecerint, fidei ſuæ vocationiſque fructum dignum non fecerint, ſceleribus ſe contaminauerint, redditus, nonniſi pœnitentia adhibi-

 ta, &

tæ,& eo modo vt Ecclesia docet acta, non datur. Pænitentiam age à tua nequicia, audit statim præuaricator ille, si vnde excidisti, locũ in Ecclesia Christi, recuperare, si iustus pronunciari, & CHRISTI iterum discipulus vocari vis. Et hoc est secundum genus iustificationis nostræ, in quo constituendo, non sola fides requiritur, sed etiam præter condemnationem sceleris, & detestationem peccati admissi, orationes ardentes, & eleæmosinæ misericordiáque in egenos & afflictos qua peccata redimuntur, & tanquam ignis aqua extinguntur, necessario exquiritur. Cui iustificationi constituendæ, Sacramentum illud quod Pœnitentiæ vocatur instrumentum est, vt illius prioris Baptismus. Est tertia ratio iusticiæ nostræ, qua ex dono iusticiæ nobis iufuso & communicato, iustè operamur, DEI voluntati paremus, & ad eius imaginem paulatim renouamur, de qua iusticia Ioannes dixit: Qui iustus est iustificetur adhuc, & Iacobus, vides Abraham ex operibus iustificatum esse non ex fide tan-

In secundo genere iustificationis, nõ est satis credere.

Pænitentia secundæ iustificationis causa.

Tertia ratio iusticiæ, opera bona.

Apoc. 22.
Iac. 2.

tantum. Non enim tantum Abraham habitus est iustus apud DEVM, quod crediderit verbis & prouisioni diuinæ, sed etiam quod iubente DEO, filium sibi offerri obtemperauerit, statimque vt iussus sit, filium Isaac DEO immolauerit, fidemque suam corde conclusam, opere ipso demonstrauerit, & veram non fictam fuisse comprobauerit. Ad quod genus iustificationis ea quæ nos contra aduersarios, pro operum dignitate & premijs attulimus, pertinerent. Nam vt ille scripturæ primo generi iustificationis conueniunt: ita ea quæ de operibus dicuntur, huic tertio apta sunt. Quo fundamento constituto, & quæ Euangelici pro sola fide afferunt vera erunt, & quæ nos illis obiecimus, non erunt aduersa illis, cũ illa ad iustificationem illam propriè referantur, qua ex impio & Christi ignaro, quis iustus fit. Hæc verò nostra ad eam quam tertio loco posuimus pertineant iustificationem, qua iustificati ex fide & dono DEI magis ac magis per incrementa virtutum

Scriptura qua vtuntur aduersarij, cui rationi iustificationis conuenit.

Tertia ratio iustificationis vnde dependeat.

& bonorum illorum operum, quæ ho-
mines videntes, glorificant Deum pa-
trem qui in cœlis eſt, iuſti fiunt, habet
enim fides ſua incrementa, eſt in alijs
maior, in alijs minor. In quibus maio-
ra charitatis elucent opera, non dubi-
um eſt maiorem fidem eorum eſſe, o-
pera enim fidem demonſtrant vt fru-
ctus arborem. Credit Abraham ijs
quæ illi dicerentur, & credit in ſpem
contra ſpem. Magna quidem hæc eſt
eius fides, ſed multo maior & fit & ap-
paret cum filium in quo ſibi promit-
tendo contra ſpem omnem curſum-
que naturæ, verbo DEI credidit. DEO
iubente ſibi eum offerri abſque vlla
mora & cunctatione offert, mortuum
etiam reſuſcitari & ſibi reddi poſſe, ni-
hil dubitans, ſecundum eam quam
cognoſceret DEI potentiam, Nam
qui ex effecto corpore ſuo & Saræ, vir-
tute DEI naſci potuerit, etiam mor-
tuus & vſtulatus eandem DEI poteſta
te ad vitam reuocari & ſibi reddi non
dubitauit, vbi eius fides magnum
incrementum accepit, multóque illu-
ſtrior facta: qua de re poſterius. Nunc
ad

ad diuiſionem iuſtificationis redeamus, & de quo genere iuſtificationis PAVLVS dicat, cum ait, nos iuſtificatos non ex operibus quæ fecimus nos, ſed donum DEI eſſe, iuſtificarique abſque operibus per ſolam fidem. Et item IACOBVS qui per opera nos iuſtos effici contendat, perquiramus. Neque enim ſpiritus Pauli, & CHRISTVS ipſe qui in Paulo loquebatur, ſpiritui ſancto quo IACOBVS plenus erat, aduerſus contrariúſve eſſe potuit. Vnum & eundem ſpiritum omnes acceperunt, vno & eodem tempore in eos ab vno & eodem CHRISTO miſſus, in eos deſcendit. Vna eſt eius doctrina, vna fides: idem PAVLVS docet quod Iacobus docuit: vna & eadem eſt vtriuſque conſentiens doctrina. Contulit Paulus ſuum Euangelium cum Euangelio Iacobi, & aliorum Apoſtolorum qui ſocietatis dextras ei dederunt, doctrinam eius approbauerunt, verum Ieſu Chriſti diſcipulum & Apoſtolum gentium eſſe ꝓnunciarunt. Quid igitur eſt, cur videãtur ſibi de ratiõe iuſtificationis noſtræ

Apoſtoli non ſunt inter ſe diſcordes.

 aduer-

Quare videatur scriptura contraria.

aduerſari, vt alter dicat, Abraham non ex operibus ſed ex fide iuſtificatum eſſe: alter non ex ſola fide, ſed ex operib⁹ etiam? Quod Paulus primi generis Iuſtificationē in Abraham intelligat, quemadmodum & in alijs locis quos Euangelici noui ad euertenda opera bona adducunt: Iacobus verò ad illam iuſtificationem, quam in tertium genus retulimus reſpiciat, & non ſatis fuiſſe Abrahamo nobiſq; omnib⁹ ad iuſticiam eam, quam vita æterna conſequitur, aſſequēdā. Quod crediderim⁹, niſi etiā quod credimus opere bono comprobem⁹. niſiq; fides noſtra fruct⁹ vocatione noſtra dignos & Deo gratos proferat. Atq; ecquidem non prætermittenda hoc loco etiam fuerit illa iuſtitiæ diuiſio, qua quidē viri docti & pij vtuntur, vt cōmodius ea, in quibus Iacobus Paulo aduerſari videatur, diſtinguantur. Aiunt .n. aliud eſſe iuſtificationem impij, aliud iuſtificationem abſolutè dictam, ſeu gratificationem in vitam æternam: Iuſtificationem .n. impij aiunt eſſe mutationē ſecundum quam ex impio fit iuſtus. Iuſtificationem

nem verò absolutè dictam, mutationem eam secundum quam quis iustus fit, vt dignus & acceptus sit ad vitã æternam, priore illa iustificãdi ratione. Iustificatur impius, qui ad lumen veritatis venit, qui tum primũ credidit, qui tum primum Christum Iesum quẽ ignorabat agnouit, & per lauacrũ baptismi emundatus fuerit: posteriore, ille qui dono Dei accepto, & per fidem Baptismi Sacramento ablutus, per incrementa fidei & pietatis, operaq; ea quæ fides per charitatem & dilectionẽ operatur, magis ac magis fidem suam illustrat & auget, & ita in vocatione sua versatur, ita DEI dono vtitur, vt vitam æternam mereatur: Quales illi sunt, qui CHRISTVM esurientem pascunt, nudum cooperiunt, peregrinum recipiunt, quos CHRISTVS benedictos patris sui appellat, & in regnum ab inicio mundi eis paratum euocat, & qui etiam semel ab accepta gratia & prima illa fidei iustificatione culpa sua & scelere admisso excidunt, quique per pænitentiæ Sacramentum renouantur, ac gratiam

iuſticiam amiſſam recuperant, & quaſi ex naufragio eripiuntur. Illud genus prius iuſticiæ conuenit peccatori, qui nondum fuit particeps paſſionis Chriſti, & nondum lotus lauacro ſalutaris ſanguinis: poſterius ei qui ſemel CHRISTI ſanguine ablutus eſt, qui ſanctificatus in nomini Domini noſtri IESV CHRISTI, olim templum ſpiritus ſancti ſeipſum proſtrauit, faciens ſeſe ex templo Dei, templũ Dæmoniorum. Ex ſcripturis ſacris diſcimus, vtrique prouiſum eſſe in remedium, quo perueniat ad participandam Chriſti gratiam, ſed non idem Sacramentum, neque ſecundum eundẽ prorſus modum Illi prouiſum eſſe Sacramentum baptiſmi, huic autem Sacramentum Pænitentiæ, & alium eſſe pænitendi modũ in illo, alium in iſto. Proinde & Eccleſia à peccatore primi generis, vtpote à iã baptizando, exigit ſolã ex corde fidei ꝓfeſſionẽ cũ veteris vitę diſplicentia, qua & Sathanę abrenũciat, quẽadmodũ & ritus obſeruat Eccleſiaſticos ab exordio Eccleſię chriſti ad hæc vſq; tempora. In eo autẽ qui

Vide Ioannẽ Driectonum Tom.3.Trac. 4.c.1.f. 77.

ſemel

ſemel violauit templum Spiritus ſan
cti, qui & reconciliandus eſt per claues
ſibi datas, adhibet diſtrictiorem diſci-
plinam, exigens ab eo lachrimas, ge-
mitum, ſatisfactionem: nec abſoluit
compunctum, niſi viderit confeſſum,
& perſeuerantem in precibus & lachri
mis. Vnde & ipſa peccatrix anima, ſi ve
rè pœnitet, memor eſt vnde exciderit,
videns ſeſe ingratam gratiæ ſemel ac-
ceptæ, atque adulteratam contami-
naſſe lectum ſponſi ſui, cui ſe deuoue-
rat. Proinde ad ſemetipſam turbata,
memor verbi Dei promittentis ſpem
veniæ, verecundo quodam affectu ac-
cedit ad tronum gratiæ Chriſti, humi-
lians & iudicans ſemetipſam: non rap-
tim ſed perſeuerans in precibus & la-
chrymis, quemadmodum Magdalena
perſeuerauit in ſupplicationibus, do-
nec audiret verbum conſolationis. Sic
& relapſi in Eccleſia verè pœnitentes,
de quibus in ſcripturis fit commemo-
ratio, feciſſe leguntur: non quod per
hoc aut fiſi fuerint in ſuis operibus,
aut mereri putauerint remiſſionē pec-
catorum, ſed quod & in ſe & ſuis ope-

ribus deſperantes, prorſus in ſpe gratiæ & miſericordię voluerint perſeuerare. Quiſquis iam ſe noſcit filium mortis, & talem qui dignus ſit, vt gratia ſemel accepta, & à ſe repulſa ſemper indigeat, is deploratus ſuam ſortem, ſuamq́ue miſeriam indeſinenter ingemiſcens, non meritis ſuis vllis innitatur, ſed gratiæ Dei miſerentis, ſecus pedes domini IESV, totus humiliatus in orationibus & precibus. Verum quidem eſt quod vterq;, tam regenerand⁹ videlicet ſeu renouandus baptiſmi Sacramento, quam recōciliandus pœnitentiæ medicamento ex fide iuſtificatur gratis, id eſt, ſine operum meritis. Verum inſuper eſt, quod vtriſque præponenda eſt nō ſola fidei regula, vt ſciant qualiter credere debeant, ſed morum tradenda ſunt pręcepta, vt & qualiter in Eccleſia viuere oporteat intelligant. Verum deniq; eſt, vtrumq; in cōmunione Eccleſię receptum, oportere deinceps vigilare, orare, mortificare, & caſtigare deſideria carnis ſuæ. Sed diuerſitas eſt, quod baptizandi, qui nunquā fuerant Catholici, quantūlibet fu-

erint in Paganiſmo idololatrę, lubrici, impudici, viuentes ſecundum mundi huius deſideria, admittūtur in Eccleſię cōmunionē more ſolito, nō impoſita illis vlla ſatisfactione, aut pœnitētia ꝑ cōmiſſis peccatis: neq; .n. extendit ſe ſacerdotis arbitriū ad crimina, quæ foris & in paganiſmo ſunt cōmiſſa. Si aūt iā Catholici, qui ſemel abluti ſunt ab omnibus immunditijs, qui renunciauerunt idolis & vanitatibus huius mundi, fuerint inuenti idololatræ perfidi, lubrici & inconſtantes: non ſic amplius ſine ſatisfactione & operibus pœnitentiæ admittuntur, ſed exomologeſin id eſt, cōfeſſionem peccatorum ſuorū facientes, nō relinquant illa in ſemetipſa impunita, & iuxta ſacerdotis arbitriū pro ipſis ſeſe vindicātes ac punientes, recōciliātur per Eccleſiæ claues. Quāobrem non ex humana ſolùm diſpoſitione, ſed & ex dictamine naturalis ac diuini iuris, alius eſt pœnitendi modus in eo, qui nunquam fuit Catholicus, alius in eo qui inuentus fuerit relapſus. Ad hunc dicit: Pœnitentiam age ab hac nequitia, & roga DEVM *Act. 8.*

ſi

si forte remittatur tibi. Contristatur Apostolus Paulus super eos, qui non egerunt pœnitentiam super immun-
2. Cor. 12. ditia, & fornicatione & impudicitia, quam gesserunt. Talis generis homines Deus in scripturis hortatur ad plã-ctum, ad ieiunium, & ad cinerem & ci-
Ioel. 2. licium. Conuertimini ad me in fletu & planctu. Ad istum autem, vtpote innouandum baptismi Sacramento di-
Marc 16. citur. Si credideris & baptizatus fueris,
Rom. 11. saluus eris. Sine pœnitentia sunt dona & virtutes Dei, quod secundum interpretationem sic intelligitur: Gratia remissionis peccatorum in baptismate, non quærit gemitum aut planctum aut opus aliquod, nisi solam fidei ex corde professionem, quæ & includit veteris vitæ abrenunciationem & voluntatem, inchoandi vitam nouam vt fiat membrum in corpore Christi. De relapsis autem post baptismum loqui-
Heb. 10. tur Apostolus ad Hebræos 6. & 10. significans illis non sic amplius hostiam esse relictam: Voluntariè, inquit, nobis peccantibus post acceptam veritatis notitiam, iam non relinquitur pro

Sola fidei pro fessio alia includit.

pec-

peccatis hostia, sed terribilis quædam expectatio iudicij & ignis emulatio, quæ consumptura est aduersarios. Ibi Paulus, inquiũt Chrysostomus & Ambrosius, excludit non secũdam remissionem peccatorum, sed secũdum excludit lauacrum, secundam crucem, secundam hostiam. Cautos nos voluit reddere Apostolus, ne iam peccantes voluntariè post baptismum vltrà sperarem⁹, vel aliam hostiam quàm Christum, cui semel consepulti sumus, vel eandem hostiam secũdum talem propiciationem regenerationis & innouationis, qualem in baptismo semel accepimus: tanquam dicat. Non est hostia secunda, non crux secunda, non secundum lauacrum. Vtique tamen relinquitur eadem hostia semel oblata ad secundam remissionem peccatorum, per viam laboriosiorem. Non quod labor ille mereatur gratiam primam, sed quod homo sic relapsus teneatur esse memor vnde exciderit, & quod templum Dei sanctum violauerit, maioremque debeat præstare humiliationem, quàm qui gratiam semel

mel acceptam, non deſeruit. Si igitur Euangelici ſuas ſcripturas & argumenta ſua, pro ſola fidei iuſtificatione coacta, ad primum genus iuſtitiæ & peccatum referunt, habent quod defendant, habent vbi conſiſtant, habent in quo ſe iactent? Gratia ſola Dei illud genus iuſtificationis parit: fides ſola impium & Chriſti ignarum iuſtum efficit, nullum locum in eo genere iuſtificationis cõſtituendo opera bona habent. Verum eſt illud Pauli, in hoc loco credimus hominem abſque operibus per fidem iuſtificari. Donum Dei eſt non ex operibus quæ fecimus nos, ne quis glorietur. Ad hoc genus ea quæ ad Romanos & ad Galatas, de iuſtificatione & fide Paulus diſputat, pertinent: quæ ſi ad totam rationem omnia illa quæ retulimus, iuſtificandi referant, & quod partis vnius ſit, ad totam iuſtificationem transferant. Multum errant: imò non errant, ſed abiecto omni pudore, & fronte perfricta veritatem mendacijs ſuis commutant, ac luce Solis clariorem, in tenebris mendacij doctrinæ ſuæ detinere

Aduerſariorũ opinio quãdo vera.

re

re, conantur. Non præcedunt quidem, inquit Auguſtinus, fidem opera, ſed ſequuntur, vt ex impio iuſtus fias, operibus & ea pœnitendi ratione, quam Eccleſia à relapſis in volutabra peccatorum exquirit, à te non poſtulatur: fides ſola & indubitata in CHRISTVM, vt fias iuſtus & DEO acceptus tibi ſatis eſt. Sed cùm fidem & donum DEI acceperis, cùm ſemel in vineam CHRISTI admiſſus fueris, ceſſandum non eſt, opera bona agenda, exercendum ſtudium pietatis, & officia charitatis. Quæ ſi negligantur, fides mortua, & non vitam parit, ſed mortis miniſtra eſt.

Aduerſariorum argumenta & ſcripturæ teſtimonia, quibus ſoli fidei vim omnem iuſtificandi tradunt, quomodo accipienda, & cui generi iuſtitiæ accommodanda.

CAP. XXV.

NAM illa quæ Catholicæ Eccleſiæ aduerſarij argumenta pro ſua illa fide, cui omnem vim iuſtificandi largiuntur, & teſtimonia ſacræ ſcripturæ quæ, afferunt noſtram

hanc

hanc aſſertionem, & Eccleſiæ Catholicę doctrinam, ne nimium quidem labefactare poſſunt, cùm vim illi tãtum generi iuſtificationis noſtræ, quod primo loco poſuimus, apta eſſe quodammodo videantur, cęteris duabus minime conueniant. Aiunt illi: CHriſtus & ſancti Apoſtoli (vt verba eorum integrè referamus) in exordio naſcentis Eccleſiæ, dum ſalutem præſtarent aut corporis aut animæ, nihil ab ægroto ſanãdo exegerunt præter ſolam fidem, ſeu fiduciam in IESVM. Nicodemo commendans fidem Chriſtus: Sic inquit, Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed hebeat vitam æternam. Cùm dicit, Omnis, inquit Ambroſius nullus excluditur, hoc eſt ex quocunque lapſu, ex quocunq; ſtatu, ſi credat perire non timeat. Scriptũ eſt enim: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Omnis ſpiritus qui credit CHriſtum in carne vixiſſe, ex Deo eſt. Prætereà de adulto baptizando nihil exigit ſaluator, niſi ſolam fidem. Qui crediderit, inquit, & baptizatus

Driedonus tract. 4. ca 1. fol 78.

Primũ argumentũ aduerſariorum.

Ioan. 3.

Rom. 10.

1. Ioan. 4.

Marc. 16.

tus

tus fuerit, ſaluus erit. Item centurionis *Mar. 16.*
expetentis ſanari filium, ſolam fidem
commendauit Chriſtus. Non inueni
tantam fidem, inquit, in Iſrael, & pro
menſura fidei ſanitatem contulit. Vade, inquit, & ſicut credidiſti fiat tibi.
Inſuper ad mulierem fluxum ſanguinis patientem, inquit: Fides tua te ſaluam fecit. Ad mulierem Chananeam. *Matt. 8. 9. 15.*
O mulier magna eſt fides tua, fiat tibi *Matth. 9.*
ſicut vis. Cœcis item petentibus illuminari, reſpondet IESVS. Creditis me
hæc vobis poſſe facere? ſecundum fidem veſtram, inquit, fiat vobis. Cuidã
petenti filium à dæmone liberari, reſpondet. Si credis, omnia poſſibilia credenti ſunt. Ille reſpondens cum lachrymis ait. Credo domine, adiuua incre- *Marc. 9.*
dulitatem meam: & quod petiuit mox
impetrauit. Magdalenam ſaluam fecit
CHriſtus, non eó quod ſtaret retrò ſecus pedes eius, ſed pro fide peccata remiſit. Remittuntur tibi peccata tua: fi- *Luc. 7.*
des tua te ſaluam fecit, vade in pace.
Chriſtus ergo ſi ſolam fidem exegerit,
non veteris vitę pœnitentiam, non gemitum, non planctum, non contriti-

onem aut Sacramentum, non confeſſionem, non opus aliud: Conſequens videtur fidem ſolam in IESVM impijs iuſtificandis ſufficere, vt participes fiāt fruct⁹ paſſionis Chriſti. Si ergo omnis CHriſti actio, noſtra ſit inſtructio, & nuſquam in Euangelio Chriſtus pecca ta remittens iniunxerit iuſtificādis pœnitentiam vel opera, ſed ſolam fidem exegerit. Neque enim Magdalenæ, neque Mattheo Publicano, neq; adoleſcenti quid facerent, interrogantibus, neq; adulteræ, neq; Chananeę mulieri legimus quicquam operis iniunxiſſe, ſed commendaſſe ſolam fidem. Cōſequens igitur videtur, ſolam fidem ſufficere ad hoc, vt participes efficiamur fructuum, ſeu meritorum paſſionis Chriſti.

Pauli doctrinæ ſcopus.

Secundum argumentum ſumptum eſt ex doctrina Apoſtolica. Nam prorſus in hanc ſententiam videtur tēdere tota doctrina Apoſtoli Pauli in ſingulis ſuis epiſtolis, & præſertim ad Rom. 3. & 4. clara luce docentis remiſſionem peccatorum ſeu iuſtificationem impij eſſe, non ex operibus, ſed ex fide.

Arbitra-

Arbitramur inquit hominem iuſtificari per fidem ſine operibus legis. Et tandem concludens: Iuſtificati igitur gratis per fidem, pacem habeamus ad Deum. Et ad Rom. 10 Si confitearis in ore dominum IESVM, & corde credideris quod DEVS ſuſcitauit illum à morte, ſaluus eris. Item ad Epheſios 2. Gratia ſaluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: DEI enim donum eſt, non ex operibus. Quod autem fides hæc iuſtificans impium, non neceſſariò includit pœnitentiam ſeu odium & planctum veteris vitæ, ſeu aliud opus quoduis, videtur manifeſtum ex eodem Apoſtolo ad Roman. 11. Sine pœnitentia inquit, ſunt dona & vocatio Dei, hoc eſt, vt inquit Ambroſius, gratia in Baptiſmate non requirit gemitum, aut planctum, aut opus aliquod, niſi ſolam fidei ex corde profeſſionem. Dicit enim ſcriptura, Omnis qui credit in eum, non confundetur. Et alibi. Omnis qui credit quod IESVS eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Proinde Ambr. ſuper 4. cap. ad Roma. interpretatur ſcripturam. Arbitramur

In primo genere iuſtificationis etſi opus eſt præterita peccata odiſſe, tamen pœnitentia ſacramentū nō requiritur neceſſaria.

Tom. 5 ſuper ca. 11. ad Ro.

Rom. 10.
1. Ioan. 4.

hominem iustificari gratis, sine operibus. Sine omni inquit labore, absque omni opere & legis obseruatione, credenti impio remittũtur iniquitates & peccata. Neque enim ideo gloriam habet Abrahã apud Deum, qđ à peccatis abstinuit, sed quia Deo credidit. Non bona opera Abrahæ, non obedientia, non mansuetudo, sed fides eius sola commendatur ad iustitiam. Vnde & Apostoli in primitiua Ecclesia, nihil ab adultis baptizandis exegerunt præter fidem. Quemadmodum Philippus baptizaturus Eunuchum Reginæ Aethiopum. Si credis, inquit, in toto corde tuo, nihil prohibet te baptizari. Nihil pl⁹ dixit Eunuchus, quàm credo filium Dei esse IESVM Christum. Et in hac professione cõtinuò est baptizat⁹: quemadmodum & latro qui in cruce pendebat, ex sola fide iustificatus est, qua confitebatur Christum esse saluatorem mundi.

Verum est de primo genere iustitiæ, nõ de secundo nec tertio, vbi opera necessariò requiruntur.

Act. 8.

Luc. 23.

Hęc illi, & alia multa quę prætermitto, & quæ Driedon copiosè, vnde & hæc quæ retulimus scripta sunt, & refert & refellit. Quibus nos vno verbo re-

reſpondemus. Omnia quæ ab illis ad uerſus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam pro ſua fide mortua afferuntur & con finguntur argumenta, ſi referantur ad eam fidem, qua ex impijs iuſti efficimur, & quam apud lauacra ſacra profitemur, in CHriſtum IESVM ſaluatorem noſtrum, cuius ſanguine abluimur; vera eſſe, Catholicæque doctrinæ conſentanea: In hoc enim genere iuſtificationis conſequendo, nullum opus à nobis exquiritur, gratis & in momēto iuſti efficimur & pronunciamur, ſola gratia Dei non ex operibus quæ fecimus nos. De quo genere iuſtificationis Paulus aduerſus legis, operumque eius propugnatores ad Romanos & Galathas, qui tum in Iudaiſmum traherentur ſcribēs, diſputauit. Et nos omnes gratia Dei ſola, nō propter opera quæ fecerimus, ſaluari & in CHriſti ſortē vocari, filios Dei fieri, contra quā Iudæi docerent, demōſtrauit. Nō præcedūt enim opera fidem illam, qua ex iniuſtis & impijs, iuſti efficimur, per quam ſolam, primus ille ad Deum acceſſus nobis datur: ſed eam tamen ita

Aduerſariorum argumēta in quo genere iuſtificationis vera ſunt, in quo falſa.

Opera bona non præcedūt fidem, ſed ſequuntur.

conſequuntur, vt ſine eis ſi vera fuerit, ſi vigeat, nunquam conſiſtat. Vt enim lux Solem nunquam deſerit, ita fidem viuam, charitas, quæ nunquam otioſa eſt, cum operibus committatur. Nam quod iſti ſoli fidei omnem ſalutem & vitam noſtram, operibus bonis, quæ fides per dilectionem charitate roborata, operatur. Ab ea excluſis, imò etiam ſceleribus in quibus perpetuò volutentur ac ſordeant, in ſocietatem eius admiſſis, tribuunt. Id nouum non eſt: Eſt enim hæc vetus illa hæreſis, quæ ipſis etiam Apoſtolis Eccleſiam plantantibus, & bonum ſemen in agro CHRISTI proſeminantibus, ſuperſeminata à perditis hominibus & cupiditati ſuæ ſeruientibus, erat. Cùm enim improba illa progenies audiret Paulum liberè contra opera legis diſſerentem, & ſoli fidei dona DEI & iuſtificationem noſtram acceptam referentem, occaſionem arripuit, cupiditates ſuas, ſcelera ſua & libidines ſuas defendendi, quaſi Paulus doceret, ab homine Chriſtiano, nihil aliud quàm fidem requiri, quam

Solam fidem poſt baptiſmū iuſtificare ſine operibus eſt Chriſti Apoſtolis nō incognita.

quantumuis ille improbè vitam ageret, quamuis vt canis ad ſuum vomitum reuerſus in ſceleribꝰ, vt ſus in ſuo cœno volutaretur, eum tamen & iuſtum eſſe, & vitam æternam conſecuturum, ob eam quā verbis intonaret fidem. Audierunt Paulum dixiſſe: lex ſubintrauit, vt abundaret peccatum, & vbi abundaſſet malitia, ibi ſuperabundaſſe gratia; Quod illi ita interpretabantur, vt dicerent homini Chriſtiano faciēda eſſe mala, vt bona inde venirent, ac malum illud vitæ ſuæ inſtitutum, ſceleraq́; ebullentia conſequerentur bona, putantes quantò magis in ſe regnaret peccatum, tantò maiorē gratiā ſe conſequuturos, maioreq́; in honore apud Deū futuros. Vnde illa eorū improba vox: Faciamus mala vt veniant bona, vt abundet in nobis gratia Dei, opera dāda, vt iniquitas noſtra in nobis redundax ſit, & noſtro in corpore regnet. Nō ſolùm.n. nihil obeſſe ad vitā æternam improbam iſtam rationem viuēdi libidineſq́; obſcenas, ſed etiā prodeſſe, fidem Chriſti profeſſo, cùm ille dicatur, maiorem gratiā in

Ex veris Pauli malè intellectis error natus, quem Petrus & Iacobus refellunt.

Doctrina Euãgelicorum impia.

eos in quibus abundaret peccatum, effundere: quod & isti noui Euangelij authores apertè docent. Quamuis enim illi verbis opera ornare videãtur, cùm tamen premijs ea expolient, cùm inutilia esse ad vitam emerendam, nec pl⁹ in conspectu Dei grata esse, quàm pannus mẽstruatæ. Hoc idem planè quod illi quos Pauli dicta euertere, & ad suos improbos sensus detorquere, solitos diximus, sentiunt, idẽ docent, perinde scelerum vela pandunt, ac plenis senibus per omnes fluctus sceleratæ vitę ac libidinum feruntur. Quis enim quæso in eo elaborandum esse putabit, quod nullum premium, nullum honorem, nullum fructum propositum habeat? quod non solùm non affert commendationem, & gratũ non reddit, verùm etiam exosum apud DEVM efficiat? quis erit, qui virtutem sudore obseptã, multisque laboribus comitatam amplecti, & vitia quæ voluptatem secum trahant, fugere & odisse volet, cùm nihil interesse iudicet, piè an scelerate viuas? cùm nec vitia obesse, nec virtutẽ & rectè facta prodesse audiat? cùm soli

fidei

fidei omnia deberi putet, dulcis hominibus, dissolutis & vitæ libidinosæ, carnisque desiderijs deditæ studiosis, doctrina hæc est grata licentia viuendi. *Licentia viui grata impijs.* Hoc modo Saracenæ impietatis author suos docuit, hoc vno mundum ad se traxit: permittebat ille omnes libidines, omnes voluptates suis: nihil ea in vita æterna comparanda obesse aiebat, imo regna illis cælestia exposita esse asserebat, modo bella ex bellis sererent, aliena raperent, pios & Christi discipulos, & odio & armis persequerentur. Quod ita esse, non est obscurum, tum ex Alcoranis eius, tum vitæ instituto. Hoc idem nostræ ætatis Euangelici docuerunt, nullam libidinem suis denegarunt, disciplinam omnem Catholicã sustulerunt, vicijs frenos laxarunt, opera bona damnarunt, bella plusquàm ciuilia excitarunt, bona Catholicorum & Ecclesiæ primum, deinde sua inuicem inuaserunt, & dilacerarunt, magistratus abrogarunt, imperia legittima non esse agnoscẽda persuaserunt, sola fide nos iustos & Deo gratissimos reddi, quamuis im-

Vide quid doceant aduersarij.

probe viuamus, adulteria & ſtupra patremus, cædes exerceamus, ac nullum genus ſcelerum prætermittamus, publicè docendo ſuadere hominibus ad libidines & vicia pronis, non ceſſarunt: ſatis eſſe Chriſtianum, ſatis ſpectatum & Deo gratiſſimum, ſi fidem haberet, ſi fiduciam ſuam iactaret, CHRISTVM non ſtupra, non ſcelera, non opus bonum in diſquiſitione vocare, ſed ſolam fidem & fiduciam quam illi fingunt, exoſculari, quam vbi inueniret, diſcipulum ſuum agnoſceret, laudaret, patri vt filium & hæredem cœleſtis regni offerret. Non noua hæc doctrina, vetus hæreticorum ſcelus & inuentum eſt, vt ipſe etiam teſtatur hæreticorum euerſor Auguſtinus qui diſertè iſtam peruerſam doctrinam, & ab Apoſtoli ſenſu auerſas ſentẽtias, tẽpore Apoſtolorũ fuiſſe, proſeminatas narrat, quibus excutiendis ex animis fidelium, operam ſedulam Apoſtolos dediſſe, narrat ne enata ſecuritate ſalutem ſuam perderent, putantes ad eam obtinendam, ſolam fidem ſufficere, bonorum

operum

operum omni cura abiecta. Quod nō difficile contingere poterat, si isti ita Pauli verba interpretari, & ad suas libidines dicta Apostoli nemine sibi aduersante pergerent: malis enim & apud aures ad vicia expositas, grata oratio hæc est: pcliue genus humanum à labore ad libidinem, & voluptatis lenocinia. Quæ quidem securitas, ne ruinā Christi fidelibus pareret, Apostoli, Petrus, Iacobus, Ioannes, Iudas, occurrerunt, & in hanc doctrinam calumnos etiam strinxerunt, & ne latius tā pestilens opinio serperet, ostenderunt, nō hoc agere Paulū, cum dicat: arbitrari se hominem iustificari per fidem sine operibus legis, vt præcepta ac professa fide, opera iusticiæ contemnantur. sed vt sciat quisq; inquit August. per fidē iustificari, etiam si legis opera non pręcessissent iustificandū, perniciosa istorū sententia erat, multos in errorem vitæq; discrimen deducebat. Cui occurrendū esse, & ex animis religiosis excutiendū monet idem Aug. ne inqens mala securitate, salutē suā perdāt, si ad eam obtinendam, sufficere solam fidem

De fide & operib. ca. 14

Ibidem.

fidem putauerint, bene autem viuere, & bonis operibus viam Dei tenere, ne glexerint. Nam etiam temporibus Apostolorum, non intellectis quibusdã sub obscuris sententijs Apostoli Pauli, hoc eum quidam arbitrati sunt dicere: Faciamus mala, vt veniant bona: quia dixerat. Lex subintrauit, vt abundaret delictum, vbi aũt abundauit delictũ,
Rom.5. superabundauit gratia. Quod ideo verum est, quia legem accipientes homines, qui de suis virib⁹ superbissimè præsumebant, nec diuinum adiutorium vincendarum malarum concupiscentiarum recta fide impetrantes, plurib⁹ grauioribusque delictis, etiã lege præuaricata, onerati sunt. Ac sic magno reatu compellente, confugerunt ad fidem, qua misericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium à domino, q̃
Psal. 120 fecit cœlum & terram, vt diffusa per spiritum sanctum charitate in cordib⁹
Rom.5. suis, cum dilectione agerent, quæ contra seculi huius concupiscentias
Psal. 15. iuberentur, secundum id quod prædictum fuit in Psalmo: Multiplicatæ

sunt

ſunt infirmitates eorum, poſteà accelerauerunt.

Non ſufficere ſolam fidem ad eam iuſtificationem quã vita æterna comitatur,

CAP. XXVI.

QVamuis enim hæc opinio ex verbis Pauli nata ſit, pernicioſa tamen eſt, vtpote quæ ex verbis malè intellectis, & ad malum ſenſum detortis habeat. eſtque vna ex ijs erroribus, quorum Diuus ipſe Petrus meminit, ac originem eorum aperit. Origo autem eſt, quod in Pauli Epiſtolis, vnde illi haurirent falſas ſuas opiniones, quædam difficilia intellectu ſint, quæ indocti & inſtabiles deprauent, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Quod quidem illos facere, qui concupiſcentijs carnis feruntur, qui ambicione rapiuntur, aç planè mancipia mundi huius ſunt. Qui quod Magiſtrum ſcripturæ interpretandæ ſpiritum ſanctum non habeant (non enim ille habitat in corpore peccatis ſubdito, nec ingreditur in aures maleuolas) ſuas ipſorum interpretatio-

Deprauare ſcripturas perditi hominis eſt.

Magiſter ſcripturæ interpretandi ſpiritus ſanctus.

tationes, & Pauli verborum & cæterarum ſcripturarum fingunt ac ita fingunt vt nihil veri afferant, ſed ſua ſomnia imperitis & credulis, vt vera & quæ à ſpiritu ſancto proficiſcantur, interpretatione patrum ſanctorum repudiata obijciunt, ac tanquam aurum gemmáſque commendant: cum idem Petrus doceat, vt non voluntate humana allatam eſſe Prophetiam, ſed ſpiritu ſancto inſpiratos homines Dei locutos, ita interpretationem, non noſtram debere eſſe, & ex noſtro ſenſu libidinéque confictã, ſed eam quã ipſe author Prophetiæ ſpiritus ſanctus demonſtrauerit: Idem enim author ſcripturæ in Prophetis & Apoſtolis fuit, idẽ per inſtrumenta Dei, patres ſanctos qui ſenſus eius ſit nobis demonſtrauit. Quem ſenſum & conſenſum patrum, vna cũ ipſo ſpiritu ſancto, quoniam & illi de quib⁹ Petr⁹ loqtur, & noſtri iſti noui Euangelij authores repudiarũt, & pro ſua libidine nouos ſens⁹ nouas interp̃tatiões pariãt, nõ veritatis magiſtri, ſed mendacij ſine dubio dicendi ſunt. Propria eſt eorum hæc, quam

Noua interpretatio aduerſariorum.

affe-

afferunt de ſola fide iuſtificante interpretatio, aliam ſpiritus in eodem PAVLO, & alijs Apoſtolis loquens, & bona opera per os eorum ſanctum nobis commendans monſtrat, & eum ſenſum PAVLI verborum, quem patres columnæ Eccleſiæ Catholicæ teſtati ſunt, his quæ referam docet. Quid enim hæc Pauli volunt? quid commendant? vnde nos dehortantur? Manifeſta, inquit PAVLVS, ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, cõtentiões, iræ, rixæ, diſſenſiones, æmulationes, commeſſationes, ebrietates, & his ſimilia. Quibus enumeratis videns ſupplicium imminens actoribus huiuſcemodi ſcelerum, continuo adiecit. Quæ predico vobis ſicut prędixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. In hac epiſtola ſicut & in cæteris. non gentilibus & paganis qui foris ſunt, ſed conuerſis iam fidelibus, & in CHRISTO regeneratis loquebatur Apoſtolus, apertè inſinuans etiam Chriſtianos: ſi huiuſmodi committant crimina, damnandos fore.

Gal. 5.
Opera carnis.

fore. Insuper ne quispiam vanè decerptus opinetur, non eos qui horum criminum vnum, aut alterum, sed duntaxat qui hęc vniuersa perpetrauerũt, à regno Dei excludendos, in alijs suis epistolis strenuè occurrit huiuscemodi errori. Nolite, inquit, errare, quoniam neque auari, neque adulteri, neq; fornicatores, neque ebriosi, neq; molles regnum Dei possidebunt. Cùm dicit, neque isti, neque illi, planè docet singula illa peccata hominem excludere à regno Dei. Item. Si secundum carnem vixeritis moriemini. Secundũ carnem autem viuere, est viuere secundum facta seu desideria, quæ sentimus in carne. Si autem spiritu facta, id est opera seu desideria carnis mortificaueritis, viuetis. Quanta sanctimonia debent iam pollere animæ ablutæ Christi sanguine, & quãta charitate, docet idem Apostolus ad Ephes. 5. Christus tradidit semetipsum pro nobis, hostiam & oblationem Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaricia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut

1.Cor.6.

Rom.8.

turpi-

turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcur rilitas quæ ad rem non pertinent, ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habebit hęreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo ergo vos ſeducat inanibus verbis. Vide & reliqua quæ ſequuntur apud Apoſtolum ibidem. Quib⁹ ſanè Apoſtolicis ſententijs erudiuntur Chriſtiani, ne paralogizentur verbis ſaluatoris dicentis. Qui crediderit & baptizat⁹ fuerit, ſaluus erit. Aut, Dimititte, & dimittemini, aut, Date eleemoſinam & omnia munda ſunt vobis, ne ſibi blandiantur, & putent ſibi paſſionem Chriſti ſufficere ad regnum Dei obtinendum, ſi ſint baptizati & credant, aut ignoſcant in ſe peccantibus, ac largiantur eleemoſinas, etiamſi vixerint impiè. Si hoc vellet ſaluator, ipſe ſibimetipſi contrarius eſſet, dicenti. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata Dei. Non omnis qui dicit mihi, Domine domine intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei qui eſt *Matth. 19.* *Matth. 7.*

in cœlis. Et alibi: vt quid dicitis mihi,
Luc. 6. Domine domine, & non facitis quæ
dico? Omnis qui audit verba mea hæc,
& facit ea, similis est viro prudenti,
Matth. 7. qui ædificauit domum suam supra petram: qui autem audit verba mea hæc,
& non facit ea, similis est viro stulto.
Qui diligit me, sermones meos seruabit: qui non diligit me, sermones
meos nō seruat. Vnde & ad quendam
sanatum ait saluator in Euangelio: Ecce sanus factus es, iam noli peccare,
Ioan. 5. ne deterius tibi aliquid contingat. Item
Paulus ad Corinthios. Si distribuero
1. Corint. 13. in cibos pauperum omnes facultates
meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Et in eadem:
1. Corint. 3. Nescitis quia templum Dei estis? Si
quis templum Dei violauerit, disperdet eum Deus. Ex his & similibus D.
Cyprianus libro ad Quirinum, probat parum esse baptizari, & Eucharistiam accipere, nisi quis factis & operibus proficiat: baptizatum quoque
gratiam perdere quam consecutus est,
nisi innocentiam seruet. Iustificatus
ergo gratis per sanguinem Christi, nisi
rectè

rectè vixerit, & mandata eius seruauerit; ad regnum Dei peruenire non poterit, & nihilominus verum est quod dicit. Qui crediderit & baptizatus fuerit, mox saluus erit; etiamsi opera bonæ vitæ non præcesserint. Nam per solam fidem & lauacrum Baptismi, quisquis renunciat veteri vitæ, ex impio fit iustificatus: sed non manet iustus absque bonorum operum studio & labore. Nam & fides ex qua iustificatur impius, voluntatē includit bene operandi. quæ iuxta Apostolum, est fides per dilectionem operans, non fides vacua, inanimata, de qua loquitur Iacobus. Quod credere Deum esse, CHristum esse passum & incarnatum, possunt impij, quemadmodum & dæmones credunt & contremiscunt. Audiuisti quid Paulus, quid Christus dicat, confer ea cum istorū interpretatione, confer cū Christi & Apostolorum dictis, mox videbis non à Spiritu sancto doctrinam istorū proficisci, cùm doceant, fide sola hominem iustificari, cùm opera bona pānū menstruatę esse clamant, nihil momenti ad vitam ęternā consequen-

dam habere. Videbis istos non veritati, sed suis libidinibus interpretanda cœlesti doctrina inseruire, & ad suas cupiditates, sensus verborum detorquere. Ait(inquiunt)Christus, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Et, omnis, inquit Ioannes, spiritus, qui confitetur CHristum in carne venisse, ex DEO est Credimus, inquit Paulus, hominem sola fide non ex operibus iustificari, & cætera multa quæ iam sæpius retulimus. Confer, inquam hæc cum illis quæ retulimus, & non difficile cognosces, quid Spiritus sanctus voluerit, cùm diceret: Credimus hominem iustificari ex sola fide non ex operibus. Et, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nam si hæc accipies, vt isti acceperunt, vt & CHristum & discipulos suos, sola fide & lauacro baptismi, nos iustos & vita æterna dignos, repudiatis bonis operibus, pronunciare credas. (Cur quæso alijs in locis opera ita arctè vrgent, ita à nobis ea exquirant? vt statim si in nobis non inueniantur, regni cœlestis hæreditate nos spolient, & in ignem diabolo

Mar. 16.

Rom. 3.

Cur Paulus opera bona vrget.

abolo paratum nos mittant? cur opera carnis damnant? cur nos ab eis reuocant? cur non nisi ea relinquamus supplicia nobis cominentur? Si sola fides iustitię nostræ author est, cur Christus esurientem cibo saturari poscit? cur vendere omnia adolescentem, & pauperibus pecuniam elargiri iubet? cur in sola eius fide non acquiescit? Cur Paulus dicit: si secundum desideria carnis vixeritis, moriemini? Loquebatur cum fidelibus, Ecclesiæ scripsit, Credebant quibus scribit Paulus, qui si fidem habent, quæ neminem damnari patitur, quæ vitam largitur, quomodo mors in eos imperium, sententia Pauli habet? Cur non dicunt, fidem habemus, damnari ob desideria carnis nec possumus, neque debemus, priuilegium CHRISTI in pectoribus nostris gerimus, sententiam eius excepimus: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nos credidimus nos baptizati sumus, CHRISTVM redemptorem nostrum confitemur? Sed nihil dicunt, nihil respondent Paulo: acquiescunt doctrinæ eius de ope-

Refellūtur aduersarij.

Matt. 27.

Matth. 19.

Rom. 8.

Marc. 16.

ribus bonis, de carnis desiderijs: agnoscunt quo sensu & Christus & Apostoli verba sua de fide accipi volunt. Primùm quidem esse credendum, absque fide nullum accessum ad Deum esse, nullam salutem eo fundamento neglecto, consistere posse: sed in eo fundamento posito, mox opera bona, opera charitatis extruenda esse, fidē otiosam & ignauam, sceleribusq; à quib⁹ abluti sanguine CHristi & lauacro baptismi essent, immersum & lasciuiētē nō debere esse, eumq; verū sensum, eam voluntatem in ijs verbis, quæ de fide audierūt inclusam latere: hæc enim quæ de operibus addit scriptura, interpretatio sunt verborum, quib⁹ fides cōmendatur, quibusq; ad eam amplectendā vocamur, fides fundamentum est, in quo opera bona superficium ædificij conficiunt.

Per fidē accessus ad Deū.

Cur Paulus dicat, fide hominem iustificari, non ex operibus.

CAP. XXVII.

Pertinacia aduersariorū

QVAE quamuis ita sint aduersarij, tamen verba Pauli vrgent. Arbitra-

tramur inquiūt cum Paulo hominem per fidem iuſtificari abſque operibus, noſque ſola gratia Dei ſaluari, non ex operibꝰ quę fecimꝰ nos, donū Dei eſſe, ne quis glorietur, & cætera multa quæ ſæpius retulimꝰ, In quibꝰ illi & congerendis diligentes, & euertendis in ſuoſq; ſenſus detorquēdis, ſatis callidi ſunt, verbum Dei eſſe expreſſum clamāt, apertè Paulum docere contendunt, nō ex operibꝰ, ſed fide nos iuſtificari. Quorum temeritati, etſi iam ſatis reſpōderimus, ſatis cum eis luctati ſimꝰ: vt tamen nihil medicinæ ſanādis eis prętermittatur, paulò altiuꝰ mens Pauli aperienda, & cur per fidem iuſtificari hominem, non ex operibus dixerit, dicendum. Satis conſtat Iudæos legi ſibi traditæ multū ſemper tribuiſſe, opera eiꝰ iuſtos apud Deū gratoſq; reddere aſſeruiſſe, adeò vt abſque legis obſeruatione, etiā per ipſum Chriſtum quē Moyſes promiſiſſet, quē tantoperè expectarēt, iuſtū neminē fieri poſſe, niſi legem ſeruaret, docerent. Quod nō ſolū illi q Chriſtū nō receperunt, cōtendere non dubitarūt, verumetiam hi qui Chriſto

Pauli conſilium cur dixerit, Arbitramur hominē ſola fide iuſtificari.

credebant, fidelesque se esse profiteren tur, tum asserere in Ecclesia Antiochena non erubuerint, adeò vt turbas eo nomine in ea Ecclesia excitauerint, Paulo & Barnaba eis resistente, qui turbatores eó pertinaciæ processerant, vt necesse fuerit Paulum cum Barnaba Ierosolimam ad Apostolos mitti, conciliumque ad eam quæstionem excutiendam cogi. Quod ita acta Apostolorum accidisse disertè testantur, quæ eũ errorem, coacto concilio Apostolorum & seniorum & damnatum esse, & quomodo damnatus fuerit, narrant. Erat autẽ hic error eorum, qui ex Phariseis crediderant, qui eos, qui ex gentibus crediderant, non posse saluos fieri, nisi circunciderentur, legemque Moysi seruarent, contendebant. Qui etsi Apostolorum decreto damnati essent, non cessabant tamen hanc suam doctrinam, inter gentes vrgere, & fideles ad circuncisionem vocare, Christum absque legis obseruatione nihil prodesse asserentes. Quod cùm passim docerent, tum verò Romanos & Galatas qui Euãgelium receperant, quorum-

Conciliũ Apostolorum vndenatum.

Act. 15.

Pertinacia Iudæorũ & iudaizãtiũ.

Rom. 2. et 3. Gal. 5.

rumque fides ardens in toto orbe prædicaretur, in eum errorem præcipitare conati sunt, contra quos Paulus calamum ſtringere coactus, legem eorum operáque eius oppugnauit, ac palam demonſtrauit, fide ſola hominem iuſtificari, ſaluarique abſque operibus legis. Non à lege vitam æternam, ſed à ſolo Chriſto petendam, ipſis etiam Iudeis qui legem ſeruarent, legem ad iuſtificationem nihil ſubſidij attuliſſe, imo legem ipſam eos accuſaſſe, & non iuſticiæ ſed maledictioni ſubieciſſe, vnde miniſtram mortis eam appellat. Qua in diſputatione Paulus, & fidei vt debebat plurimum, & operibus legis vt iuſtum erat, nihil tribuit, & ita rem agit, vt aduerſarios de ſuo ſtatu deijciat, nullumque alium fontem eſſe iuſticiæ præter Chriſtum Ieſum, qui vita ſit mundi demonſtrat. Cum igitur Paulus cōtra Iudeū certamē ingreſſus eſſet, ea oīa q̄bus ille niteretur q̄bus causā & doctrinam ſuam ſtabiliret, euertere contendit, nudumque & omnibus armis exutum Iudeum, gentibus ridendum in arenam producere conatur,

Operibus legis fidem opponit Paulus.

Cur Paulus legem oppugnauit.

fidei in Christum iustificationem hominis soli tribuit, legem ab eo munere præstando reijcit, non vitæ & salutis magistram, sed mortis ministram esse docet. Inde illæ eius voces, inde illa quibus Iudęum conficiat, iacula: Arbitramur hominem per fidem iustificari absque operibus legis. Gratia DEI saluati sumus. Iustificati per fidem, pacem habemus ad DEVM & cetera plurima, quæ aduersarij nostri, in ipsum PAVLVM conuerterunt, eumque ipsum opera bona, opera charitatis commendantem oppugnant, ac solam fidem CHRISTI discipulum facere, & propter eam solam apud Deum iustum pronunciari contendunt, non considerantes cum quo Paulus certabat, quem impugnabat, cũ illa diceret, Iudeus ante eũ lege operibusq; eius armatus constiterat, cult⁹ circũcisionis iugulũ fidei in Christum petebat: Paulus pro fide Christi stabat, Iudeũ oppugnabat, opera eius cũ sua lege calcabat, iudeum circũcisionem suadentẽ fidelibus, euertebat. Proinde & fidei multũ & legi cum operibus suis nihil

Iacula Pauli quibus Iudeum conficiat.

Rom. 3.

is nihil tribuit, nō vt Christi fideles ab operibus bonis abduceret, sed vt ab operibus legis auocaret, iactantiamq́; iudeorū retunderet, Christū solū authorē vitæ nostræ ostenderet, nō ita tamē· vt tantū Christū credam⁹, vt tātū verbis fidē extollam⁹, nō tantū vt dicam⁹ Domine domine, sed vt voluntatē patris ei⁹ seruem⁹ & ꝙ ore ꝓfiteremur, opere ipso comprobarem⁹. Euerso iudeo cū sua lege & operib⁹ eius, nō solā fidē Paul⁹ Christi fidelib⁹ cōmendat, sed etiā opera bona inculcat: quæ presentia eis ꝓposita sint docet, scelerate viuentes & vocationi suæ nō respondētes, cætu fideliū eijcere iubet, ac Sathanæ tradit: pœnitentes & ad vitā Christi discipulo dignā regressos recipit, ac fratres esse pronunciat, operib⁹ bonis, operibus charitatis operā dare, fidelib⁹ vbiq; pręcipit. Quod ita esse, quoniam ante iā pluribus verbis docuim⁹, nihil est ꝙ hic latius referam⁹. Quid igitur? num PAVLVS sibi ipsi aduersus fuit? Nam quæ apud Romanos & Galatas damnauit, apud alios commendat, & secum magis quam cum Iudeo

Quæ fides vera qua iustificat.

Pauli præcepta de operib.

Paulus secū non pugnat sed aduersario parti consilio repugnat

Christum oppugnante pugnat? Non ecquidem. Est, cur opera oppugnet Paulus, est cur eadem commendet. Oppugnat opera legis,& ea quæ fidem præcedant: commendat ea quæ fidem consequantur,quæ fides charitate socia per dilectionem vt fructus se dignos profert: Absque illis quæ præcedunt,fides sola vitam parit, sola iustificat: absque his quæ sequantur, mortua est: non vitam sed mortem operatur. Quod aduersarij quoniam vel nō vident,vel videntes apertè veritati aduersantur,in errorem incautos præcipitant,ac omnem curam bonorum operum, sine quibus fides ipsa mortua est,eis excutiunt.Non hoc voluit Paulus cum diceret: arbitrari se hominem iustificari per fidem sine operibus, vt omne opus bonum non probaret,sed vt ea opera,quæ fidem præcesserint, siue illa Moysi,siue naturæ legis,siue philosophorum,siue Phariseorum doctrinæ essent,nihil ad iustificationem cōsequendam cōferre ostenderet. Quod ita D, Augustinus esse testatur ijs verbis. Cum dicit (inquit) Apostolus, arbitrari

Fides mortua.

Opera legis quæ fidem præcesserunt Paulus oppugnauit,non ea quæ sequuntur.

Tom. 4. de fide & operibus ca. 14.

bitrari

bitrari ſe hominem iuſtificari per fidē Rom.3.
ſine operibus legis, non hoc agit, vt
profeſſa ac præcepta fide, opera iuſti-
ciæ contemnantur, ſed vt ſciat quiſq;,
ſe poſſe per fidem iuſtificari, etiamſi
opera legis non præceſſerint: ſeqũntur
enim iuſtificatum, non præcedunt iu-
ſtificandum. Veram autem hanc eſſe
Auguſtini Pauli verborum, & ſenten-
tiæ interpretationem, ipſius Pauli cla-
riſſima verba teſtantur: non enim Pau Ephes.2.
lus ſimpliciter dixit, abſque operibus:
ſed abſque operibus legis. Lex enim
neminem iuſtũ reddidit, peccati vim
tantum demonſtrauit. Pedagogus ad
Chriſtum, qui eſt noſtra iuſticia & vi-
ta, fuit Chriſtus: ſolus nos iuſtos fecit,
hic vitam in nobis operatus, non pro-
pter opera vel legis Moſaicæ, vel legis
naturæ quæ fecimus nos, & quibꝰ phi-
loſophi gloriantur, ſed gratia ſola Dei
Quod ita eſſe Paulus monſtrat dicens.
Scimus, quæcunque lex loquitur, ijs
qui in lege ſunt loquitur, vt omne os Rom.3.
obſtruatur, & ſubditus fiat, omnis mũ
dus Deo, iniuſtas & impias gentes Iu-
deus eſſe ſtatuit, canes appellat, ſeipsũ
prop-

propter legem, populum Deo acceptum, & propter legis opera quæ faceret, propter cæremonias seruatas, victimas cæsas, iustum esse pronunciat, etiam absque Christo, cuius beneficium magis ad gentes peccatrices & dei desertrices, quam ad se pertineret cum ipse lege seruata, iustitiam apud DEVM, à quo legem accepit, meritus esset. Quam opinionem Paulus excutiens ex animis eorum, docet, omnes peccasse, omnes egere benificio Christi, obstruit os Iudei Paulus iactantis legis opera, totum mundum peccasse docet, totum gratiæ DEI subijcit: *Rom.3.* Omnes, inquit, peccauerunt, omnes egent gloria DEI: Quamuis tu Iudęus sis, quamuis legem serues, secundum eius præcepta viuas, secundum eam opereris, tam perinde peccator es, atque gentilis: lex te moysi peccato non liberat, vt & illum lex naturæ, sed tantum magnitudinem peccati tibi demonstrat non iustum reddit. Te autem iudęe peccatorem esse inde collige, quod Dauid spiritu sancto replet⁹, de te vt de peccatore pronunciet. Oēs inqui-

Iudæum à peccato lex non liberat, neque gentilē lex naturæ.

Psalm. 13.

inquiens declinauerunt, omnes inuti les facti sunt, non est qui faciat bonũ, nõ est vsq; ad vnum. Sepulchrũ patens est guttur eorũ, linguis suis dolosè aiebant, venenũ aspidũ sub labijs eorum; quorũ os maledictione & amaritudine plenũ, veloces pedes eorũ ad effundendũ sanguinẽ, cõtritio & infœditas in vijs eorũ, & viã pacis non cognouerũt, non est timor Dei ante oculos eorum. Hæc Dauid de te Iudęe ꝓnũciat, te decreto & sententia sua, rex tuus Dauid dãnat, nullumq; iusticiæ locũ in te relinquit, nec minus iniustũ quã gentilẽ, qui legem Dei ignoraret, esse ostendit, & hæc in te esse Dauid ipse spiritu sancto afflatus docet, impietatémque tuam tibi exprobrat, & quæ calamitas te maneat, ostendit. Ais tu Iudęe, te filicẽ esse ob legis opera, cur Dauid contritionem & infelicitatem interitumque esse, tuas vias, quas tu nimium securꝰ ingrederis, tibi denunciat? cur nisi aliud remedium quæras, nisi ad Christum, qui legis quam tu iactas finis est, hoc est iusticiæ nostræ & vitæ nostræ author, ad quam lex te vt pedagogus ad ma-

Psalm. 5.

Psalm. 13.

Dauid sentencia in Iudeã.

Christus finis legis.

Lex pædagogus ad Christum.

ad magiſtrum & authorem iuſticiæ & vitæ æternæ, duceret, accurras, niſi ab eo iuſtificari expoſcas, te interiturum pronunciat? quod Iude⁹ legem ſeruat in ea viuit, ſpe firma CHriſtum vitæ authorem apprehendens: nam ne prorſus periret, vt peccatum quod mortē generat, agnoſceret, & agnitum euitaret, lex illi data, vt illi ſit tanquam lucerna, ne in curſu ſuo ad Chriſtum offendat ne prolabatur, vt ad fontem iuſticiæ, & authorem vitæ illius æternæ perueniat, non vt per legem iuſtus fiat.

Similitudo. Nam vt baculus cui innitimur, firmat imbecillitatem noſtram, currendi tamen vires non dat: ita lex fulcit Iudeū,

Lex peccatū monſtrat. retinet in officio, vim illi peccati mōſtrat, ſed tamen iuſtum in conſpectu Dei non reddit. Nec propterea Iudeus iuſtus eſt, quia legem ſeruat, non propterea infirmus eſſe deſinit, quia ſcipione legis greſſus ſuos ſuſtētat, ſed quia

Chriſtus medicus. ad medicū Chriſtum hoc modo perueniat. Non baculus hic tuus infirme Iudee, quo imbecilles greſſus tuos, vireſque labentes fulcis, te ſanum reddit ſed medic⁹ Chriſtus, ad quem niſi per-

uenias

uenias, nisi ab eo medicinam accipias, perijsti: morbum tuum tecum semper circũferes, contritio & infelicitas in vijs tuis est, CHRISTVS ipse est via salutis & beatitudinis tuæ, quia ex operibus legis, cui claudus inniteris, nõ iustificabitur. Omnis caro coram illo. Omnis, inquit Paulus, caro, non gentilis tantum, non idololatra, & legis Dei ignarus tantum, sed omnis caro, omnis homo, nemine excepto. Homo Iudęus est, caro infirma Iudęus. Habet quidem scipionem legis quo fulcitur, habet lucernam à Moyse accensam, veruntamen caro infirma est, nondũ luce illa fruitur, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, qui est Christus. In tenebris Iudęus cum illa sua lucerna versatur, ad lucẽ splendidiorem illi contendendũ est Datur lucerna, ne tenebris peccati absorbeatur, datur lex ad tenebras illas, in quibus gentes errarent, discutiendas & ad viam pacis, quæ est Christus, demonstrandam. Per legem cognitio peccati est, lex vt lucerna in manus data, latebras peççati, conten-

Christus solo lux vera.

Lux lucerna errãtib9 data.

Rom.3.

dentibus ad Solis lucem, monstrat: Ad quam cum veneris, lucerna tua illa tenebræ sunt, non amplius illa tibi opus erit, cum ad lucem Solis CHRISTVM veneris, sine lege tua iusticia quam quæris lucebit. Nunc enim inquit PAVLVS, sine lege iusticia DEI manifestata, quæ iusticia est CHRISTVS ipse, & lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in hũc mundum, de qua & lex & prophetæ testimonium perhibuerunt. Prædixerũt enim Prophetæ hanc iusticiam, prædixit lex, quæ futura erat per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt, non est enim distinctio. Omnes peccauerunt, & egent gloria DEI: quicunque iustificantur, gratis iustificantur per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quẽ proposuit Deus propiciationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iusticiæ suæ, propter remissionẽ præcedentium delictorũ. Audis quid Paulus dicat de iustificatione omniũ, oẽs peccasse nemine excepto docet, omnes Christi gloria egere concludit, frustra-

Ioan. 1.

Lex & Prophetæ de Christo dixerunt.

Rom. 3.

1. Ioan. 4.

frustraq́; Iudęum gloriari ob legis seruatæ opera demonstrat, cum non ex operibus legis iustificatio hominis ꝓueniat, sed per ipsum Christum, cuius sanguine omnes redempti sunt. Gratis saluati omnes sumus, non ex operibus vllis, vel Mosaicæ, vel naturalis legis, Philosophorúmque ac Pharisęorum doctrina. Non est quod Iudęus, vel quispiam alius se suis meritis suisq; virtutibus meruisse, vt iustus in conspectu Dei pronuncietur, dicat. Exclusa est oĩs omnium operum gloriatio, exclusa aũt per legem fidei. Eadẽ causa est iustificati Iudæi, quæ gentium : idẽ & vnus DEVS est, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem, iustificat autem vtrumque gratis per sanguinem CHRISTI. Cùm igitur constet, Paulum ea quæ retulimꝰ dixisse, vt Iudæũ conuinceret gratia DEI sola per sanguinem CHRISTI iustum fieri, non propter opera legis quæ fecit: manifestum est, Paulum nõ omnia opera bona, ab iustifiicationis nostræ munere reijcere, sed ea tantum quæ fidem in Christum Iesum, quę est

Ephes. 2. *Rom. 3.*

Iusticia solus Christus est.

Quæ opera Paulus à iustificatione reijciat.

primum fundamentum iustificatio-
nis nostræ, antecedunt non enim De⁹
facta tua qualia fuerint, antequã Chri-
stum fide apprehenderes, spectat, sed
fidem in CHristum Iesum filium suũ
quem pro vita mundi tradidit, expen-
dit Scit omnes peccasse, & ita peccas-
se, vt nullis suis meritis, & virtutibus
pænas debitas & supplicia effugere
Nemo iustus cum Deo collatus. possint: scit neminem secum collatũ,
iustum esse posse, quantumuis ille san-
ctus & iustus apud homines videatur.
Quid igitur spectat? quid in nobis pro-
bat? cur gratiam suam vltrò offert? Pri-
Psal. 50. mum misericordiam & veritatem su-
am vt iustificetur in sermonibus suis,
& vincat cum iudicatur, vt suam pro-
missionem esse verissimã demonstret,
& quod semel promiserit, nunquam
immutaturum se esse doceat. Promi-
sit autem nobis misericordiam suam,
non propter meritum vllum nostrũ,
sed tantum propter misericordiam,
& immensam illam bonitatem suam,
qua omnia sustentat, propter quam
Matth. 5. facit oriri solem super bonos & ma-
los. Quam quoniam promisit, pro-
mis-

missionem suam impleuit per filium suum IESVM CHRISTVM, cui propter nos non pepercit. Quamuis enim omnis homo est mendax, atque ita mendax, vt indignus sit, vt quod illi DEVS promisit faciat & largiatur, ipse tamen est verax in suis implendis promissionibus, quas non mutat propter peccata hominis, sed quod semel pollicitus fuerit, etiam ingratis sui beneficij & impijs elargitur, vt iustificetur in sermonibus suis, vt se iustum, & sua pacta, vera, & immota promissa esse demonstret. Quod DAVID cũ grauiter peccasset, testatur dicens: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Nam cum grauitatem peccati sui agnosceret, & se vrgeri decreto contra se dato DEI videret, ignosci sibi non pro suo vllo merito, sed propter solam misericordiam, quam illi per Prophetas suos promisisset, orat DEVM. Tibi, inquit, soli peccaui, & malum coram te feci, tu ignosces mihi, & promissionem tuam veram esse, apud eos qui non credunt eam misericordiam

Psal. 115.

Dei promissa immota.

Psal. 50.

Ibidem.

Vide Driedonem copiosè hunc locum tractantem.

tuam esse, vt tanto sceleri meo ignoscere velis, quique de tuis promissis vel dubitant, vel te ea non posse præstare, quod non statim præstes iudicant, in me tanto peccatore demonstres, ac eorum de te iudicium refutes, ac victoriam veritatis & iusticiæ tuæ referas. Non propter me igitur, DAVID inquit, qui indignus sum misericordia tua, qui tam sceleratè egi, sed propter te ipsum, vt iustificeris in sermonibus tuis, vt sermones & promissa tua vera esse, omnes qui de eis dubitant, in me agnoscant, quod cum feceris, tum eos ad misericordiam tuam vocabo, & me ipsum apud eos tuæ misericordiæ & veritatis exemplum proponens dicam: Iste pauper clamauit, & dominus exaudiuit eum. Hoc igitur primum est quod DEVS in ignoscendo nobis, & largienda vita æterna spectat: altera autem est gratia DEI erga nos, non meritum aliquod, sed fides nostra in CHRISTVM IESVM filium suum, quam acceptat & propter eam nos iustos dignosque quibus ignoscat, vitæque æternæ & regni sui cœlestis participes

cipes & hæredes faciat, & pronunciat. Non igitur opera noſtra quæ fecimus, nos quæ nulla bona ſunt, quæ inſtar peccati ſine fide ſunt, ſpectat DEVS: non propter ea iuſtos nos & dignos gloria ſua iudicat, ſed ſolam miſericordiam & redemptionis promiſſionem fidemque noſtram, quam nobis ipſe etiam per Spiritum Sanctum infundit, reſpicit. Hoc igitur PAVLVS docet, hoc Iudęo inculcat, monetque, ne ſibi placeat propter ſua illa legis opera, propter quæ nemo iuſtificatur apud DEVM. Non propterea enim Iudęus iuſtus, quia legem fecit, non propterea illi vita æterna debetur, ſed quod CHRISTVM filium DEI promiſſum in lege receperit, quod in eum crediderit, quod eum ſecutus fuerit. Hic enim eſt iuſtificatio & vita noſtra, hic veritas & via ſalutis noſtræ. Nam quod lex data ſit Iudęo, non propterea vt putet ſe iuſtum per eam fieri, ſed tantum vt eſſet illi pædagogus ad CHRISTVM, *Gal. 3.* qui iuſtificaret eum, propter eam quã

in se haberet fidem, & ex fide illa obscuriore, quam lege accipienda & seruanda sequebatur, in hanc clarissimã quæ in CHRISTVM est, adduceret.
Paulus quid doceat. Monet igitur Iudęũ, vt CHRISTVM IESVM iustitiæ suæ solum esse authorem agnoscat, operibus legis nihil tribuat, fateatur ex fide in CHRISTVM se iustum factum esse in conspectu DEI: legem autem sibi datam, non vt ex operibus eius iustus esset, sed vt per eam adduceretur ad CHRISTVM, ad quem dum veniret ne aberraret à via recta, lex illi dux & pædagogus fuit. Et hæc quidem PAVLI mens est, hoc consilium: reiecit opera legis ab iustificatione Iudęi. Arbitramur inquit, hominem iustificari per fidem
Rom. 3. absq; operibus. Sed ne è suis verbis erres, & omnia opera se reiecisse ab munere iustificationis nostræ putes: addidit particulam, legis: Quasi dicat, cum dico, Arbitramur hominem per fidem saluari, non ex operibus legis. Non quoduis opus bonum reijcio, sed illud quod tu iactas, legis à te seruatæ, vnde nemo fit iustus. Addidit igitur,

igitur, legis, ne videatur omnia opera bona reijcere: Legis ergo, inquit, non charitatis, nõ eis quæ fides accepta per dilectionem charitate ſibi ſociata, operatur, ſine quibus ipſa fides mortua à Iacobo eſſe aſſeritur. Gloriabatur Iudæus, opera legis ſeruatæ proferens, debere ſibi regna cœleſtia & vitam æternam propter ea contendebat. At Paulus non legis operum ea premia eſſe, ſed fidei in Chriſtum, in quo ſolo omnibus gloriandum eſt, eſſe docet. Itaque cùm apertè oſtendiſſet, legis opera non eſſe iuſtitiam noſtram, Iudęo ex ſententia ſui regis Dauidis impietatis damnato inſultat: Vbi eſt, inquiẽs, gloriatio tua Iudæe. Et mox reſpondet, excluſam eſſe, reprobatam eſſe, nõ per legem factorum, ſed per legem fidei: Fidei enim lex, damnat opera legis, ſoli ſibi iuſtitiam & vitam deberi teſtatur, fides enim nõ opera legis quæ fidem anteceſſerunt, iuſtitiæ cauſa eſt. Vnde cõcludimus, opera legis, opera fidem antecedentia, & ante lauacra ſacra patrata, nihil nec prodeſſe nec obeſſe vocato ad CHriſtum: ſolam fidem

Iac.2.

Opera baptiſmum præcedentia.

in ea vocatione prima necessariam esse, siue ille, qui vocatur impius fuerit ante vocationem, siue secundum legē viuens iustus diceretur, nihil interesse, vterq; enim gratia Dei vocatur, vterque per fidem in Christum perceptam iustus fit.

Praecedentia peccata per fidem solam & baptismum nobis remitti, non ea quae fide accepta admittuntur.

CAP. XXVIII.

NAM quales ante fuerimus, Deus qui tempora illa ignorantiæ hominum despexit, in nos non inquirit, scit perditos fuisse, scit omnes peccasse, scit neminem sine sua gratia consistere posse, gratis nos ad suum beneficium vocat, & ad pœnitentiam prouocat, gratis nostris morbis medetur, per fidem in CHristum IESVM, qui nos sanguine suo redemit, & vibice suo sanauit: hunc enim solum Deus proposuit propiciationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedētium peccatorum. Quicquid

Deus quales ante fuerimus nō quærit.

Christus propitiatio nostra.

quid enim ante fidem dono Dei acceptam commisimus, totum illud nobis remissum, propter solam in CHristum IESVM, qui est propiciatio nostra, fidem: quod genus iustificationis primum esse diximus, primumque gradum & iustitiæ nostræ & vitæ æternæ posuimus. In quo genere non ea quæ fidem sequuntur peccata (nam illa sola fide absque pœnitentia & operibus charitatis, doloreque & cordis contritione non expiantur) sed quæ præcedunt ponimus, quæ nulla ratione operum, siue ea legis Mosaicæ, siue naturæ fuerint, habita, remittuntur. Solam fidem hic CHRISTVS, vt in latrone in cruce pendente acceptat, ob eamque solam iustos pronunciat: nihil eorum quæ impius ante fidem receptam in CHRISTVM perpetrauit, CHristo curæ est, Omne illud debitum fidei confessione tollitur. Quod Paulus planè ita demonstrat, cùm ait DEVM proposuisse CHRISTVM propiciationem nostram per fidem in sanguine ipsius.

1. Ioan. 2.

Rom. 3.

E cu-

E cuius tamen verbis, ne quis errandi occasionem arripiat, & ad omnia peccata, non ea tantum quæ fidem antecesserint, sed etiam quæ fidem receptam consequantur referat, suaque verba aliter, quàm ille velit, interpretetur: statim subdit quæ illa peccata fuerint, quæ sola fides in CHristum tollat, subijcit dicens: Præcedētium delictorum: Præcedentium, inquit, nō eorum quæ post lauacra sacra admittuntur. Nam vt quæram ab istis qui vehementer stomachantur, & vehementius eos reprehendunt, qui ex hoc loco per fidem solam, non omnia peccata remitti, sed ea tantum, quæ dum impius fueris dū CHristum ignoraueris, dum in eum non credens admiseris, colligunt: Cur Paulus nō dixit: propter remissionem delictorum sed adiecerit, præcedentium: quid opus erat eo obice & quasi limite, præcedentium, si omnes lapsus in totius vitæ nostræ cursu commissi, per solam fidem remittantur? Non temerè Paulus, non simpliciter delictorum dixit, sed præcedentium delictorum. Posuit tibi limitem, quem non trans-

Paulus cauet ne quis è suis verbis erret.

Cur Paulus dixit, præcedentium delictorum

transgrediaris, monuit vbi cum suis verbis & suo sensu insistas, vt præcedētia tibi delicta propter fidem solam in CHristum donasse scias, ne possessionem tibi donatam, latius quàm ille vellet extendas, priuilegioque tuo & Dei bonitate abutaris. Donauit ille tibi decem millia talenta, donauit gratis, quæ tu nullo modo soluendo eras. Cuius beneficij si ingratus fueris, si rursus ad volutabrum peccati redieris, si quæ semel abiurasti scelera repetas, & tanquam canis ad vomitū redeas, conseruum tuum ob centum denarios suffoces, non iam fide sola scelus tuum expiabitur, quamuis eam tota voce sonueris: alijs remedijs etiam opus erit: Opus pœnitentia & lachrymis, opus ea satisfactione quam Ecclesia præcipit. Remissa erant Nabuchodonosori omnia peccata, cùm cognouisset, tum Daniële docente, tum coniectis in ignem tribus pueris, Deum: neque tum illi dictum, vt tibi Deus tua scelera remittat, quæ antequàm eum cognosceres, ꝑpetrasti: Redime eleemosynis & misericordijs in miseros peccata tua: gra-

Bonitate Dei nō abutendū.

Matth. 18 & 27.

Fides nō prodest ad volutabra peccati redeuntibus.

gratis illa ſcelerato illi viro donata ſunt. At cùm iterum Deum contempſit, & ſuperbia elatus ad priorem impietatem relapſus eſſet, audit ſtatim in ſe pronunciari horribilem ſententiam. Quam ſi vellet effugere, ad pœnitentiã & opera pietatis, eleemoſynaſq; vocatur, audit ſtatim: Redime peccata tua eleemoſynis, & miſericordijs in pauperes, ne fortè DEVS miſereatur tui. Nõ ſolùm inquit Daniel, crede, quod ante feciſti in Deum, quem eo tempore cùm tres pueros ſtatuam tuam adorare nolentes, in fornacem conieceris, verum Deum eſſe cognoueris: ſed addit: Redime peccata tua eleemoſynis & miſericordia in pauperes. Hoc idem tibi dicitur, præcedentia delicta, propter fidem in Chriſtum tibi omnia abſque vlla exceptione donata. Sed ſi donum Dei reieceris, ſi ad priſtinam impietatem redieris, niſi pœnitentiam agas, niſi opera pietatis exerceas, fideique tuæ qua credas Deum pro ſua bonitate & merito CHriſti, delictum tuum ad quod relapſus es, donaturum, adiungas, etiam ſi toto ore fidem con-
cre-

concrepes, te nec iustum apud Deum fore, nec vitæ æternæ participem, certum est. Credebant illi quibus dicitur: Ite maledicti in ignem æternum; credebat Simon in Christum, cùm pecuniam Petro offerret: credebat se signa editurum, si accepisset eam gratiam, quã videbat in Apostolis, propter peccatum tamen commissum audit: Non est tibi sors in hac vocatione. Ne tamẽ desperet, remedium illi ostenditur pœnitentia. Credebat ille qui paternum violauerat thorum, nõ tamen illi fides sola ad delẽdum illud peccatum apud Paulum satis est, iubetur Ecclesia extrudi, ac Sathanæ tradi: ad quam non quia solum crederet in CHristum, sed quia etiam pœnitentiam dignam venia egit, recipi vt frater iubetur. Cùm credidit primum, nulla pœnitentia ab eo, pro illis, quæ fidem eius antecesserunt, peccatis, nullum opus bonum exigebatur: gratis vocatus, gratis donum DEI accepit. At cùm ad volutabra sua redijsset, exclusus: Non sine operibus bonis & pœnitentiæ Sacramento, ad quam vt tabulam naui

Act. 8.

1. Cor. 5.

Corinthius pœnitētia adiuncta fidei, restituitur Ecclesiæ. naui fracta, & tempestate libidinum suorum dissoluta, confugerat, in Ecclesiam receptus. Non amiserat fidem, nō abnegauerat Christum dum stuprum illud cōmisit, dum patris vxorem suo thoro adsciuit, erat cum cæteris in Ecclesia Christi: Paulus tamen eū cū sua fide mortua Ecclesia eiecit, Sathanæ ad cuius opera redierat tradit. Non igitur fidem amiserat, sed iustitiam, quā fide in Christum consecutus erat, perdiderat, quam per pœnitentiam fidei suæ additam, recuperauit: ad quam nisi confugisset, nunquam locum amissum recuperasset. Vnde manifestum est, Paulum, cùm dicit, fide hominem iustificari sine operibus, de illo iustitiæ genere, quo ex impio & infideli quis pius fit, dicere, & ea peccata quæ fidem præcedant, propter solam fidem nobis donari: maleque ab aduersarijs ad cæteras rationes ea Pauli verba, iustificationis nostræ transferri, cū nemo post fidem acceptam, nisi opera bona exerceat, iust⁹ apud Deum sit. Quod vel ex ijs quæ subijciam, Pauli verbis apertū est. Nam cùm Paulus Corinthios ini-

Iustitiam peccato perdi.

qui-

quitati & cæteris vitijs, more gẽtilium deditos esse, putareq́; ob solam fidem in CHristum ea sibi dimitti, leuioraq́;, quàm ob quę fideles damnari deberẽt esse videret, grauiter eos corripit, & ne deinceps errent, monet: neminem qui illis vacaret vitijs, regnum cœleste, cuius consequendi CHristo credidissent, consecuturum. An nescitis, inquit, quia iniqui regnum Dei non possidebunt. Nolite errare: neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque moles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Quæ palam docent, nisi quis post abluta peccata, nouam vitæ rationem instituat, si in veteri fermento baptizatus & fidem in CHristum professus permaneat, & ad vomitum suũ vt canis redeat, eum propter solam fidem vitam non consecuturum, neque iustum in cõspectu Dei pronunciatum iri, & non ea peccata per fidem & baptismũ deleri, quæ fidem acceptam cõsequuntur, sed quæ præcesserint. Quod ita esse inde cõstat,

Paulus quos excludit à regno Dei.

1. Cor. 6.

quod idem ſubijciat:& hæc aliquando dicens, fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine domini IESV Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. Vide enim quid dicat. Primùm excludit omnes à regno DEI iniquos, raptores, fornicatores, adulteros ac ſceleribus deditos. Nō eos equidem qui tales ante nomen CHriſti receptum, ante fidem & baptiſmum fuerint: hos enim ablutos, hos ſanctificatos & iuſtificatos in ſolo nomine IESV Chriſti docet, & qui ita ſcelerati & rei mortis fuiſſent, iuſtos pronunciati, & regni Chriſti hæredes factos. Et hæc aliquando (inquit) fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Si iuſtificati, ſi abluti & ſancti, quomodo negat eos regnum DEI conſecuturos? quod ſcilicet à præcedentibus fidem peccatis, iuſtificati & abluti eſſent per fidem in Chriſtum, vt illis non imputentur deinceps illa quę ante fidem & baptiſmum, nomenque Chriſti receptum, patrarūt: Hæc enim illis remiſſa ob fidem in Chriſtum eſſe docet. At illa quæ poſt fidem acceptā, poſt

1.Cor. 6.

Qui peccatores excludun tur à regno CHriſti.

post lauacra sacra patrarent, eo modo illis non remitti, imò non sanctos sed impios esse, pollutos, sordidatos, & reos damnatosq́; à Deo, quod donū Dei reiecerint, & ad cœnum vet⁹ abluti redierint, ob idq́; eis vitã & regnum cœleste, quod illis gratis in nomine IESV Christi propter fidem donatū fuisset, negari, & vt impios & iniquos vna cū idololatris supplicio æterno damnari pronunciat. Duo .n. genera peccatorū hoc loco Paulus exposuit: alterum qđ præcederet fidem in CHristum, à quo Corinthij in nomine IESV Christi liberi, abluti, sanctificati esse asseruntur: alterum quod fide accepta, & nomine Christi professo, committerent, cuius nomine eos damnat, & regni cœlestis possessione, quã gratis acceperant excludit, neque fidem solam huic generi scelerum expiando satis esse docet. Nō damnat Paulus Corinthios quasi fidē abiecerint, fideles vocat, sed quod bonis operib⁹ neglectis, in vitijs perseuerent. Sed de ijs satis.

Hominem accepta fide nisi bona opera exerceat, iustum non esse, nec vitam aeternam mereri propter solam fidem apud Deum.

CAP. XXIX.

NAM etsi latro in cruce fide in Christum sola recepta, quamuis nihil boni egerit, iustificatus, & vitam æternam meruerit, dignusque habitus sit, qui vocem victoris Christi audiret: Hodiè mecum eris in paradiso, triumphique Christi particeps factus fuerit, non tamen inde consequitur, omnes qui crediderint & baptizati fuerint, si post fidem acceptam & post lauacra illa sacra vixerint, sola fide iustos absq; operibus illis, quæ nobis à CHristo & Apostolis suis inculcantur fieri posse. Nam etsi arbitramur hominem sine operibus iustificari dicat Paulus, non tamen ita intelligendum est, inquit D. Augustinus, vt accepta fide si vixerit, dicamus eum iustum, etiam si malè vixerit, nisi exuto veteri homine nouũ induerit, operaq; ea quæ fides per charitatem & dilectionem operatur, operatus fuerit Si latro auulsus à cruce vixisset, nunquam otiosus fuisset, dete-

Latronis exemplo pleriq; falluntur.

Luc. 23.

Rom 3.

To 4. quæst. 76.

Latro si vixisset accepta fide, bona opera operatus fuisset.

ſtatus ſui latrocinij factis ad bene agendum animum & cogitationes ſuas omnes vertiſſet, & ſecundum ea, quæ Chriſtus in quem crediderat docuit, vitam inſtituiſſet, non ſolùm crederet, ſed etiam opera bona, opera charitatis operatus fuiſſet, dignoſque fructus fide ſua & vocatione profudiſſet, ſed quod crucifixus eſſet, nec aliud præſtare obſequiū CHriſto, quàm quod corde crederet, & ore confiteretur, poterat: hoc ipſo quia credidit & confeſſus fuerit, nullis præcedentibus meritis, operéque bono nullo, ob ſolam fidei confeſſionem, ſtatim audire meruit; Hodiè mecum eris in paradiſo. Quam confeſſionem eius, ſi liber à cruce fact⁹ fuiſſet, ſi inter homines deinceps verſaretur, conſequerentur proculdubiò opera bona, quæ fidem eius non præceſſerant; Quod ita factum CHriſtus eſſe voluit, vt oſtenderet Iudæo, abſq; operibus legis(quę Iudæus iactaret)hominem ſaluari per ſuam gratiam, ob ſolam in ſe fidem corde conceptam & ore profeſſam, itaque ob ſolam fidem illum, qui ex latrocinio fixus erat in

cruce, in paradiſum tranſtulit: quanquam ſi diligentius rem inſpicias, & quid latro in cruce pendens egerit perſcruteris, neque hunc ſtatim vt credidit bono opere abſtinuiſſe videbis, fidemque eius ne momento quidem otioſam fuiſſe deprehendes. Nam vt radius non poteſt non emittere lucem, vt ignis nequeat non vrere materiam ſubiectam: ita neque fides poteſt ceſſare, quin ſtatim in opus bonū prorumpat, ac luce ſua ſe prodat. Nam cùm ille qui vt in latrocinio, ita & in ſupplicio ſocius illi erat latro, CHRISTVM blaſphemia & conuitijs adortus eſſet, ac ne moriens quidem ſceleſta mens maluſque animus à malitia & impietate deſiſteret. Hic noſter qui à cruce in paradiſum raptus, vt ſtatim in CHRISTVM credidiſſet, CHriſtoque adhæſiſſet, quod manibus cruci affixis non poterat, voce exequitur, ſceleratum illum verbis increpat. Neque tu, inquiens, Deum times, quod in eadem damnatione tu es, & nos quidem inquit iuſtè, nam digna factis recipimus

Latronis fides otioſa nō fuit.

mus, hic verò nihil mali geſſit. Vides enim quid hic particeps fidei Chriſti agat? Primùm reprehendit ſocium CHRISTO conuiciantem blaſphemiæ, deinde impietatis in DEVM arguit, quodq́ue ne ſupplicio quidem crucis affectus, iuſtitiam DEI agnoſcat, verùm in ſua impietate perſiſtat, increpat, vtq́ue reſipiſcat, CHriſtum filium Dei confiteatur, ſuo ipſius exemplo monet. Nam ſtatim verſus ad Chriſtum ſupplex precatur, vt ſcelerum ſuorum, quorum iuſtas pœnas daret, miſereatur, & in ſuo regno eius meminiſſe velit, ac ne ſceleſtus ipſe contemnere CHriſtum vel eo nomine, quod in eadem damnatione quam ille ſceleribus ſuis meruerit, eſſet, diſcrimen inter ſe & CHRISTVM oſtendit, quod CHRISTVS innocens inuidia principum traditus, iniuſtas pœnas daret, ſe verò iuſtas & meritas, proptereaq́ue non conuiciandum CHRISTO innocenti ob crucis turpitudinem, ſed condolendū innocentiæ eius, imò veniam ſcelerum in exercendo latrocinio admiſſo-

rum ab eo ei petendam esse, quod se facere videret hortatur, & socio scelerum suorum qui vijs infessis, fortunis & vitę aliorum insidiari solitus fuisset, viam salutis secum in cruce pendentis, pereunti indicat; via enim vitæ erat Christus, qui pro omnium vita moriebatur, in quam viam latro ille pius se recepit, & vt sui memor sit Christus in suo regno obsecrat, quod non difficilè impetrat, statimq́ue audit; Hodiè mecum eris in paradiso. Nam quod dicūt latronem credidisse, & confessum ore, quod corde crediderit, egisse tamen nihil, vnde vitam iustitiamq́ue mereretur, & ob solam fidem in paradisum cum Christo ingressum esse, non repugnamus quidem; dicim⁹ tamen illam confessionem fidei, statim opus ipsum consecutum esse. Quid enim est illa scelerati nebulonis, & nec in extremo spiritu à nequitia cessare potentis objurgatio, nisi opus charitatis, quæ & pereunti condoleret, & innocentiam CHristi defenderet? Nam cùm CHristum tuetur, cùm blasphemum increpat, cùm timoris Dei cuius iusta sen-

Opus latronis.

ten-

tencia in crucem actus esset admonet, opus est charitatis, cum Christum precatur, vt sui memor in suo regno sit, fidem animo conceptam profitetur, propter quam iustus esse decernitur, & in hæreditatem regni cœlestis euocatur, Confessus est ille Christum apud latronem, eosque qui crucem eius circumstabant, confessus est eum Christus apud patrem suum: obiurgatio illa latronis & admonitio, erat op⁹ charitatis & in Christum dominum, & erga vt corpore ita animo pereuntem latronem. Qui si Christum innocentem agnoscere vellet, si filium Dei esse crederet, in paradisum secum descendisset, & vt latrocinij, ita vitæ secum particeps esset. Non sine igitur opere vitam consecutus latro ille noster: vt primũ credidit, operarius Christi factus: ex latrone fit concionator, veritatisque preco. Petrus in hortis ne Christus caperetur gladium stringit, seruum principis vulnerat, Christum tuetur. Quid hoc est, quod agit Petr⁹? Num solum credit? imo credit & operatur, Christi iniuriã vlciscitur, quod

Obiurgatio latronis est opus charitatis.

Latro concionator factus.

Matth. 26.

Petrus agit, opus est charitatis erga Christum. Quid latro agit? Christi innocentiam, non armis, quæ illi adempta erant, non manibus quæ Cruci affixę tenebantur, sed voce, quæ libera erat tuetur, non minus agit qui Christi iniuriam verbis contra blasphemos tuetur, qui innocentiam eius bonitatemque testatur, qui pereuntem ne pereat & si non manu, consilio tamen & oratione retinet, & ad vitam vocat, concio illa latronis op⁹ charitatis est. Quod fides, vt arbor bona fructum bonum protulit, nisi fortè eos qui concionãtur qui impios ab impietate sua oratione reuocant, Christi merita explicant, impijs & blasphemis resistunt, nihil agere dicamus? Cum docendi & concionandi, de bonitatéque Dei & innocentia Christi differendi munus, non leue opus sit, nec minus inter opera ea numeretur, quàm quoduis aliud meruisse se Paulus coronam, quam illi redditurus esset, iustus iudex in illa die qua premia omnibus pro suis meritis largiturus est, non alio labore quàm docendo, quam concionãdo impijs-

Concio latronis opus charitatis.

Munus concionãdi opus esse.

impijsque ad vitam vocandis. Bonum inquit, certamen certaui. Quod illud quæso certamen fuit, nisi docenda veritate, & aduersarijs Christi refellendis; non gladio non armis, sed voce & oratione. Quod quoniam latro iste primus Christi damnati innocentiæ assertur, eiusque bonitatis & diuinitatis inter moriendum confessor fecit: cui non dicetur non sola fide, sed etiã eo ipso opere quod edidit, socio suo obiurgando, coronam meruisse? Et statim vt credidit, opus bonum operatus esse? Cum fides ociosa esse nequeat? sed statim in opus bonum erumpat. Non est fides absque operibus: proprium est fidei vera operari semper: viua est, viget, opusque charitate, vt vita instructa bonum semper exercet, vide illum qui inter sepulchra habitabat demoniacum, vt primum per Christum sanatus, vt primum à demonio liber factus, vt primum in CHristum credidit, statim CHRISTVM sequi contendit, ne punctum quidem temporis fides illa ociosa esse potuit, statim CHRISTVM petit, vt illi potesta-

2.Thim.4.

Pauli opus quale fuerit.

Matth.9.

testatem se sequendi faciat, quē Christus ad aliud opus relegat, ad suos redire iubet, vt inter eos nomen suum predicet, vt eos ad se traducat, vt à nequitia eorum, eos vt latro noster fidelis latronem blasphemū abducat, non ociosum post fidem acceptam, Christus demoniacum esse voluit Apostolum eum ad suos misit, vt quos, cum demonio lacerasset, fide in se accepta, doctrina veritatis sanaret. Inanis & impia oratio est eorum, qui opera bona eleuant, qui fidem ociosam, quæ in opere bono viuit iactant, qui soli fidei omnem iusticiam, premia nostra, vitā æternam, exclusis operib⁹ bonis, attribui contendunt, cum apertè & Christus, & quos ille testes suæ veritatis in vniuerso mundo esse voluit, Apostoli doceant fidem non debere esse in homine Christo consecrato, ociosam & ignauam. Equidem verum & doctrinæ CHRisti consentieus est, opera ea quæ fidem nostram antecesserint, nihil nobis ad gratiam & iustificationē apud Deum attulisse, sola gratia DEI nos vocari, dignósque ea vocatione pro-

Demoniacus concionator veritas factus.

Impia oratio

Opera antecedentia fidem.

pronunciari, non quod boni aliquid egerimus, ſed quod vocantem Chriſtum ſecuti fuerimus, quod verbis ei⁹ & in eum crediderim⁹: donū hoc Dei eſt, non ex operibus bonis, quæ fecim⁹ nos, ſed gratia Dei in nos effuſum: ſed quod hoc fidei donum ocioſum eſſe debeat, & in corde tantum latens, in opus bonum nunquam irrumpens & in volutabro ſcelerum ferens, iuſtos nos vitaq; æterna dignos efficiat, concedendum non eſt. Arbitratur Paulus per fidem hominem ſaluari ſine operibus, ſed ſine operibus legis quæ præceſſerunt vocationem & fidei donum: ſine operibus quidem fides datur, præcepta tamen per dilectionem ſtatim operatur, quæ niſi operetur mortua eſt, ficta eſt, mortis non vitæ mater eſt. Hoc ita eſſe grauiſſimè Diuus Auguſt. cum alias ſæpe tum verò dū hæc quæ ſubijciam diceret, teſtatus eſt, & quomodo verba Pauli illa accipi intelligiq; debeant docuit & ne quis ex verbis Pauli in errorem prolaberetur, operaque bona à Chriſti diſcipulo, vt non neceſſaria vitæ conſequendæ, amoueret ca-

ret cauit, ita enim ait. Quoniam Pau-
Rom. 3. lus Apoſtolus prædicans, iuſtificari ho
minem per fidem ſine operibus, non
Ex falſa intelligentia verborum Apoſtoli Pauli exorta hæreſis de ſola iuſtificatione. bene intellectus eſt ab eis, qui ſic acce-
perunt dictum, vt putarent, cum ſe-
mel in Chriſtum credidiſſent, etiamſi
malè operarentur, & facinoroſè flagi-
tioſéque viuerent, ſaluos ſe eſſe per-
fidem. Locus iſte huius Epiſtolæ eun-
Tom. 4. lib. 83. Quæſt. & quæſt. 76. dem ſenſum Pauli Apoſtoli, quomo-
do ſit intelligendus exponit. Ideoque
magis Abrahæ vtitur exemplo, vacu-
am eſſe fidem ſi non bene operetur,
Loquitur de Epiſt. Iacob. quoniam Abrahæ exemplo etiã Pau-
lus Apoſtolus vſus eſt, vt probaret, iu-
Iacob. 2. ſtificari hominem per fidem ſine ope-
ribus legis. Cum enim, bona opera cõ-
memorat Abrahæ, quæ eius fidem co-
mitata ſunt, ſatis oſtendit, Paulum A-
poſtolum non ita per Abraham do-
cere, iuſtificari hominem per fidem ſi-
ne operibus, vt ſi quis crediderit, non
ad eum pertineat bene operari: ſed ad
hoc potius, vt nemo meritis priorum
bonorum operum arbitretur ſe per-
ueniſſe ad donum iuſtificationis, quæ
eſt in fide. In hoc enim ſe gentibus in
Chri-

Christum credentibus, Iudæi præferre cupiebant, quod dicebant se meritis bonorum operum, quæ in lege sunt, ad Euangelicam gratiam peruenisse: ideoque scandalizabantur multi, qui ex eis crediderant quod in circuncisis gentibus Christi gratia traderetur. Vnde Apostolus Paulus dicit, posse hominem sine operibus præcedentibus iustificari per fidem: Nam iustificatus per fidem, quomodo potest nisi iustè deinceps operari, quãuis antea nihil operatus iusti, ad fidei iustificationẽ peruenerit: nõ merito bonorũ operum, sed gratia Dei, quæ vacare in illo non potest, cum iam per dilectionẽ benè operatur. Quod si cum crediderit, mox de hac vita decesserit iustificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illã sed gratia peruenit: nec consequentibus, quia in hac vita non esse sinitur. Vnde manifestũ est, quod Paulus Apostolus dicit. Arbitramur enim hominem iustificari per fidẽ, sine operib⁹. Non tamen ita intelligendum est, vt accepta fide, si vixerit, dicamus eum iustum,

Paulus tantũ opera fidem præcedentia exclusit, opera verò quæ ipsam comitantur vel sequuntur, necessaria ad salutem, quẽadmodum et Iacobus existimauit.

Roman. 3.

etiam-

etiamsi malè vixerit. Hæc Augustinus quæ nobis pro omnibus quæ in alijs locis copiosè & sæpius repetit suffici-ent, fidem absque operibus bonis, operibus charitatis, se consequentibus, & de sua radice profusis, non sufficere homini Christiano, vt ita iustus sit apud Deum, vt vita illa æterna ad quam nos Christus vocat, dignus esse possit, cum non solum fidei suæ Paulus, sed cursui suo consummato coronam propositam dicat, & Christus se pascentes, se operientes, se peregrinum recipiētes, ad eam vitam vocet: illis, qui ea officia neglexissent, solamque & nudam operibus bonis fidem ad se attulisset, in ignem æternum missis, quæ quod satis copiosè à nobis demonstrata sunt, ad alia veniamus, & reliquas questiones in hac materia excitatas videamus.

Bona opera sine fide mortua esse, Deoque placere non posse.

CAP. XXX.

SEd quoniam non defuerunt, & nūc non desunt, qui operibus plusquam deceat

deceat tribuant, atque etiam à fide seiuncta, iustos deóque gratos homines reddere contendunt. eorũ opinio minuẽda hoc loco est, errorque iste non minus pestilens, q̃ & illa hæresis, q̃ soli fidei, exclusis bonis operibus, omnẽ iusticiã nostrã acceptã fert refellend⁹, non minus enim hi, qui operibus multum fidunt, quã qui eis nihil tribuunt peccãt, atq; veritati aduersãtur Nã vt fides absq; operib⁹ mortua est, ita opera absq; fide in Christũ Iesum mediatorem nostrum, qui est vita & iustificatio solus nostra, nullam vitam parere vtpotè mortua possunt, Nugantur certè illi, qui sine Christo mediatore fideque in eũ, partĩ per legis naturæ opera, partim per legis mosaicæ, doctrinæq;, vel Pharysęorũ, vel philosophorum, homines iustos & gratos deo factos fuisse asserũt, nemo sine Christi merito, nemo sine fide in ipsum vnq̃ saluus iustusque esse potuit, quotquot à condito hominum genere, iusticiam consecuti sunt, per CHRistum ISVM & fidem in eum consecuti sunt. Quod quoniam superius copiosè à *Opera sine fide in Christũ varia sunt.*

nobis disputatum & demonstratum est, repetere in hoc loco nō opere precium fuerit. Nemo sine fide in CHristū

1. Tim. 2. Iesum vnicum mediatorem Dei & hominum, neque iustus neque saluus esse potest: non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos saluos esse oporteat, pręter Christum Iesum: Lex certè non auferre peccatum, sed monstrare tātum potuit, Christus ipse peccatum, abstulit, & languores nostros sanauit, ad quem accessum habemus per fidem, quæ & ipsa, vt mox dicemus, donum Dei est: & è ꝓueniēte gratia Dei nobis ꝑ spiritū sanctum infunditur, hanc qui non habet, desinat virtutes suas operaque sua quantumuis exellentia illa fuerint iactare: Nihil Socrati, nihil Catonibus, nihil Aristidi, qui quod nimium iustus esset, ostrocismo Athenis à ciuibus suis damnatus, & in exilium exact⁹, iusticia illa sua profuit, omnes illi perierunt, omnes quod fidem in mediatorem Christum parentibus primis statim vt paradiso eiecti essent ꝓmissum non habuerint damnati: inanis illorum gloria, inanis iustitia, cuius funda-

Solus Christus via salutis.

Esai. 53.

Fides donum Dei est.

Aristides ob iusticiam dānatus.

fundamentum fides, quam illi non habuerũt, eſt: abſque enim eo fundamẽto quidquid extruxeris ruit, conſiſtere nequit. Fides prima nobis datur, ex qua opera vt radice enaſcantur, hoc fundamento poſito, cætera in quibus iuſtè viuitur impetrantur ac ſubſiſtũt. Quæ opera bona, opera charitatis vocamus, quæ niſi fides pariat, mortua eſt: & vt arbor illa ad cuius radicem ſecuris poſita eſſe à Ioanne dicitur, quæ etſi ramis folióque luxuriet, igni tamẽ mox tradenda decernitur: nõ eſt enim fides vera & viua, abſque fructu bonorum, & Deo gratiſſimorum operũ: non poteſt charitas quæ fidei vita eſt, ocioſa eſſe, non poteſt non operari bene. Quid igitur? vt fides abſque operibus mortua eſt, ita opera ſine fide mortua, nulliuſque virtutis ſine fide opera sũt, in peccatũq; vertũtur. Ridẽdi igitur poti⁹ ſunt. quã ſerijs argumẽtis refellẽdi, q ob egregia faciõra virtuteſq; excellẽtes, iuſtitięq; amorẽ gẽtiles & idolorũ cultores, ſine fide (de quo nõ audierũt) in Chriſtũ, ſaluos eſſe, & meritorũ Chriſti q ꝓ oĩbus mortu⁹ ſit

Fides fundamẽtũ iuſtitiæ

Iacob 2.

Matth. 3.

Opera bona ſine fide, etſi Deo placeant gratum tamẽ ei neminem reddunt.

Operum abſque fide aſſertores ridẽdi.

participes contendunt, cælique regnũ philosophorũ iustitiæ aperiunt, quod solis in se credentibus CHristus Iesus aperuit, Nulla iusticia, nulla sal⁹ absque fide, siue ex impio & idolatra iust' quis fiat, siue post lauacra sacra in vicia prolapsus, gratiáq; & iusticia perdita, ad penitentiæ beneficia decurrat, iustusque iterum fieri contendat, siue acceptam gratiam conseruare, & bonis operibus exercendis ex iusto magis ac magis iustus esse contẽdat, esse potest, absque fide, nusquam eam quam quærit iusticiam consequi poterit, hoc enĩ fumdamentum iusticiæ omnis est, & propterea Paulus soli fidei iustificationem nostram acceptam refert, non quod opera ab ea excludat, sine quib⁹ eam mortuam esse Iacobus dixit, sed quod fides humanæ salutis inicium, fundamentum & radix omnis iustificationis sit, sine quæ impossibile est Deo placere, itaque ad quodcunq; genus iustitiæ ex illis tribus quæ ante retulimus te referas, fide opus est, sine fide nullum illud genus iusticiæ consistit, nã vt ad CHRISTVM ab idolis venias

Iacob. 2.

Cur fidei iustificatio tribuatur.

venias vt recipiaris, fidem in Christum Iesum habeas necesse est, propter quā & accessus tibi ad eum pateat, & peccata tua in quibus hesitabas, tibi remittantur, iustusque apud Deum pronuncieris, etsi prolapsus, ad pœnitentiam recurras, fide ipsa te sustentes necesse est, credas necesse est, certoque tibi persuadeas, Deum pœnitentiam tibi agenti, scelera deploranti, & meliorē vitam promittenti donaturum, & te priori gratiæ restituturum, cuius exemplum, corinthius ille, de quo diximus fuerit, qui ob pœnitentiam Ecclesiæ restituitur ac gratiam amissam recuperat, iam si per opera bona augere iusticiam tuam volueris, incrementáque fidei tuæ quæsieris, fide opus est, credas necesse est, ea quæ commendauit opera charitatis, illi grata & accepta esse, cùm sint fructus ipsius fidei, & non minus quàm ipsa fides est, dona DEI sint, credas necesse est, eum remuneratorem bonorum operum esse. Quoniam igitur sine fidei fundamento nullum genus iusticiæ consistere potest, operaque bona absque ea

Pœnitentia gratiam amissam peccato, restituit.

labantur, placereq; Deo non possint: inde fit, vt Paulus dicat: fide hominũ sola iustificari, & quod operum ac pænitentiæ etiam est, fidei vt principi & radici vnde illa se perferunt tribuat, & quod omnium est virtutum vni tantum vt principi largitur. quemadmodum nos omne op⁹ bonum, soli Deo totum tribuimus, non quod absque nobis, in nobis operetur, sed quod nos absque illo nihil boni, non solum operari sed nec cogitare quidem possumus: nisi enim ille nos sua gratia pręueniat, nisi corda nostra excitet, nisi & velle & posse largiatur, nihil omnino possum⁹. huic igitur totum illud quicquid in nobis boni est nobis nihil tribuimus, quamuis & ipsi operemur, & vt operemur ab ipso inuitamur, quod ita esse iam ante copiose diximus, nũc concludamus, neque fidem absque operibus bonis, quæ ex radice eius, charitatisque fontibus emanant, vtilem saluti nostræ esse, neque opera absque fide nos Deo cõmendare posse, sed vtrumque ita coniugi, vt alterum absque altero non consistat: coniurat fides

Cur Deo omnia opera bona nostra tribuimus.

Fides cum operib. in societatem coniurant.

des cum operibus bonis in salutē nostram, tū sola fides salutem operatur, cum primum ad Christum ex infidelitate accedimus, & ab operibus mortuis ad vitæ autorem accedimus, cæteroq; operib⁹ bonis nudata esse non vult. fructu operum bonorum se cōmendat ac vestit, & illa prima initia iusticiæ per se iacta, operibus bonis auget, & ad perfectionem suam deducit.

Iusticia cuius fides fundamentum est incrementa esse.

CAP. XXXI.

Etsi igitur fides origo, fons, radixq; iustificationis nostræ fundamentumq; vitæ nostræ sit, nō tamen statim vt quis crediderit perfectionē suā assequitur: nam vt semina in terrā subactam coniecta etsi herbam effundant, non tamen statim vtilia & digna collectu sunt, nisi in spicam exurgant, granaq; proferant: tū demū enim seges illa vtilis, tū honore & horeo digna iudicatur: nā si solā herbā ꝓferat, in spicā nō assurgat, sterilis sit, fructumque cuius

causa proseminata fuerit, non proferat, nō in horreo reconditur, sed in ignem conijcitur: ita fides salutis nostræ radix, nisi in terram cordis nostri, quo creditur ad iusticiam coniecta fuerit, nisi herbã & oris confessionem emiserit, null⁹ fruct⁹ operũ expectari potest, sine ea radice fructus aut nullus est, aut talis qui instar peccati & rubiginis vicio corruptus est, & qui non tam confirmet vires, quam inficiat vitam, sunt igitur gradus, fidei primus est corde credere. secundus ore quod corde credimus confiteri, & quasi herbam emittere, tertius fidem cordis & confessionem oris, operibus bonis operibus pijs & charitatis quæ est fidei vita comprobare, ex fructibus arbor cognoscitur, prima eius commendatio dum plantata viget, dum ramis & fronde luxuriat, in altum assurgit, secunda dum florem profert, postrema & ea maxima, cum fructum salubrem & integrum parit, quem si, aut nullũ aut vicio infectũ ꝑferat, exscindi iubetur, ne terram occupet: fides est

radix

radix in corde plantata, confessio oris flos est eius, opera quæ charitas exercet, fructus sunt eius, qui honorem gratiamque arbori apud suum colonum parit, eamque comendat, & quæ vt conseruetur, purgetur, puteturque dignam esse demonstrat. Primicias igitur habemus fidem, inde incipimus, hac inserta, quæ commisimus peccata ante Christum cognitum, omnia moriuntur, & tanquam nocentes hærbæ extirpantur. Hinc igitur origo iustitiæ & salutis nostræ, hinc bonorum operum: nemo incipit benè viuere nisi à fide, fides nostra in primogenitis nostris est, quando custoditur fides nostra, cetera subsequi possunt. Nã quando inquit Augustinus purgantur homines quotidie proficiendo in meli⁹, meliusque viuendo, ipso interiore homine renouato de die in diem sicut inquit Apostolus, etsi exterior noster homo corrumpitur, interior autem renouatur de die in diem, ideo fit quia primogenita fides viuit, de qua fide primogenita Apostolus ait, scimus quod omnis creatura ingemiscit, &

Opera fidem cõmendant.
Rom. 8.
A fide initiũ bonæ vitæ.
In psal. 134.
2. Cor. 4.
Rom. 8.

parturit vſque adhuc: non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, id eſt, dantes iam DEO primitias ſpiritus noſtri, hoc eſt, ipſam fidem tanquam primogenita noſtra, tamen in nobis ipſius ingemiſcimus adoptionem expectātes filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri: quod enim inquit idem Auguſtin⁹, initium verius Chriſtiano quam credere in Chriſtum? Igitur ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primo omnium fides neceſſaria
Heb.11. eſt, ſicut Apoſtoli authoritas docet, negantis ſine fide hominem Deo placere poſſe, nemo ad veram beatitudinem peruenire poteſt, niſi Deo placeat, Deo autem nemo placet, niſi per fidem, quæ eſt omnium bonorum fundamētum, ſine quo nulla ratione ſubſiſtere poſſunt, verum: enimvero quoniam fides radix, fundamentum, & initium eſt, oportet, non ſui ipſius, ſed aliquorum fundamentum eam eſſe, operum videlicet bonorum, quæ in hoc
Fides fundamentū operū bonorum. fundamento extruuntur: ſuper hoc.n. fundamēto, alij aurū, alij argentū, alij pale-

paleā ędificāt, ignis aūt cuiusq; ędificiū & op⁹ probat. si fides radix est arboris, radix sit necesse est, à qua arbore fruct⁹ expectentur, non sui radix est, sed alterius, hoc est, arboris virentis, & fruct⁹ ferentis. si initium est, necesse est, vt sit initium eius, quod ad finem suum feratur, in quo fine profectum conquiescat: quæ autē ab initio ad finem & ad perfectionem feruntur, per ea quæ inter hæc interiecta sūt, ac in medio cursu posita ferantur necesse fuerit. Cùm igitur à fide iustificatio nostra oritur, & inde initio sumpto, ad suam perfectionem feratur, incremēta capiat necesse est, initium iustificationis nostræ corde credere ad iustitiā, cursus & incrementum ore confiteri ad salutem, finis & perfectio, gloria ipsa, vita æterna, ad quam p multa officia pietatis operumq; bonorum exercitia peruenimus, & multas tribulationes: quib⁹ extern⁹ quidē homo noster corrūpitur, interior aūt renouatur, pferam⁹ oportet, & quasi è nouogenitis & infantib⁹ ad virorū pfectionū deducamur, cōcept⁹ fide in corde nostro Xp̄s, & in ore se *Fidei finis.*

con-

confitente natus, proficit ſapientia & *Luc. 2.* ætate & gratia apud Deum & homines, fides eſt iuſtificationis noſtræ initium, per quam Chriſtus in corde noſtro concipitur, pax finis & perfectio, ad quem finem peruenitur per ſpem & charitatem in Chriſto. Nam credere & ſpem indubitatam habere eorum quæ promittūtur & propterea magna cum conſtantia multa aduerſa perferre nos oportet, per multas enim tribulationes in vitam æternam fideles in- *Act. 14.* grediuntur, quas tamen Paulus non eſſe pares futuræ gloriæ quam certa fide expectamus, ait. Ne autem in hoc curſu concidamus, fides noſtra, atque ſpes qua ſuſtentamur, charitate & a- *Charitas.* more firmanda eſt. Charitas enim pa- *1. Cor. 13.* tiens, charitas benigna, omnia ſuffert, omnia ſperat, omnia credit, omnia ſuſtinet, per hanc fides operatur, per hanc viget. Hæc eſt enim vita fidei, & perfectio legis, ſine hac fides mortua eſt, hanc qui non habet, fruſtrà fidem iactat, fruſtrà promiſſa premia expectat & ſperat, hæc pacem parit & multitudinem peccatorū operit, hæc nos

de

de morte ad vitam transfert, nos enim inquit Ioannes, ſcimus quoniam tranſlati ſum⁹ à morte ad vitam, quoniam delegimus fratres, & hanc ad pacem, quæ finis & beatitudo noſtra eſt, peruenitur, fides initium & primus grad⁹ ſpes, ſecundus charitas, tertius, vnde ad beatam vitam & pacem illam æternã in qua acquieſcamus, aſcendimus. Neque enim obſtat quod Paulus ſcribens ad Epheſios, dicat: pax fratrib⁹ & charitas cum fide in Domino IESV, non enim Paulus propterea fidem in vltimum locum retulit, quod iſta perfectio iuſtificationis noſtræ ſit, ſed poti⁹ quod pacem ſine fide conſiſtere non poſſe oſtendat: pax enim illa hominũ, quæ non ex fide in Chriſtum IESVM naſcitur, fallax eſt, vera & ſolida nõ eſt: quamobrem Chriſtus cùm ſuam pacẽ Apoſtolis daret, ait ſe pacem eis dare ſuam, quæ ęterna eſt, non quemadmodum mundus pacem dare ſoleat, quæ pax mundi ficta & vana eſt, at CHriſti pax vera, pax æternæ & beatæ vitæ firmamentum: quæ pax Chriſti ſine fide in Chriſtum, vt ſine fundamento & radice

1. Ioan. 3.

Epheſ. 6.

Pax quæ firma.

Ioan. 14.

dice esse non potest. Ait igitur, Paulus pax fratribus, charitas cum fide, quam pacem illis offerat ostendens, non pacem mundi huius, hominumq; simulatam tranquillitatem, sed eam quam charitatis amorque proximi parit, & quoniam etiam amor infidelium est, charitasque quædam ne Ephesius putet, hominum pacem quam quiuis habere potest, cum fide sibi à Paulo offerri & præcipi addit charitatem monens charitatem Christianos colere debere, quæ ex radice fidei in Christum IESVM oritur, & pacem solidam parit, incepit ergo à fine inquit Augustinus ad initium verò terminauit: ex fide enim charitas, è charitate pax nascitur, si enim nõ credas, non amas, si non amas, pacem non habes, dixit ergo Apostolus, sic incipiens à fine & veniens ad initium, pax charitas cum fide, nos dicamus, fides, charitas, pax, crede, ama, regna: fallũtur igitur aduersarij, qui ex hoc loco maiorum fidem charitate & pace Christi asserunt, ac in fide iustificationis perfectionem deponũt, cùm Paulus apertè alibi charitatem, fide & spe

Libr. homil. hom. 17.

Ephes. 6.

ſpe maiorem eſſe doceat, cùm inquit, nunc autem manent, fides, ſpes, & charitas, tria hæc, maior autem horum eſt charitas, quæ omnia ſuffert, quæ vinculum eſt perfectionis, & finis præcepti, cuius quoniam initium & radicem fidem eſſe idem Paulus doceat dicens, charitatem eſſe finem præcepti, de corde puro & conſcientia bona, & fide non ficta; dubium non eſt, charitatem maiorem eſſe, & incrementum fidei, fidem autem ipſam initium, quod nunquam perfectius eſt, incrementis & fine ſuo: non igitur vltimum locum fides tenet, ſed primum, non perfectio iuſtificationis & vitæ noſtræ eſt, ſed initium & radix: à qua radice exordium ſumunt, qui ad veram beatitudinem peruenire volunt, porrò vnde initium ſumitur principium eſt curſus, non perfectio, per fidem primum iuſtificamur à præcedentibus peccatis, à DEO donatis gratuito, per fidē amici Dei & domeſtici efficimur, in familiā ei⁹ inſerimur, ſine hac nemo ad cōſortium filiorum Dei peruenire poteſt, quia ſine ipſa nec in hoc ſeculo

1.Cor.13.

Fides nō perfectio iuſtitiæ, ſed initiū

quiſquam

quiſquã iuſtificationis exequitur gratiam, nec in futuro poſſidebit vitam ęternam, fide igitur IESV Chriſti impetramus ſalutem, per quam inchoatur in nobis, iuſtificatio proficiturque in ſpe & charitate, per quam viget, per quam viuit, ac bonorum operum fructus profert. Neq; enim otioſa eſſe poteſt, viget ſemper p̱ charitatem, ſimul enim hæc tria ſunt fides, ſpes, & charitas: charitas autē nunquam ceſſat, nunquam otioſa eſt. Per fidem igitur iuſtificati & amici Dei ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem, renouãtur, vt Apoſtolus inquit de die in diē: hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem, per obſeruationem mandatorum Dei & Eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta cooperante fide, bonis operibus, creſcũt, atque magis iuſtificantur, ſicut ſcriptũ eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Et rurſus: Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc verò iuſtitiæ incre-

Iuſtificatio perficitur aſcendendo de virtute in virtutem. Roma. 8.

men-

mentũ petit ſancta Eccleſia, cùm orat: da nobis domine fidei, ſpei & charitatis augmentum.

In baptiſmo non plenam & abſolutam hominis conſequi iuſtitiam.

CAP. XXXII.

ETſi enim baptizatis remittuntur omnia ante actæ vitæ peccata, nõ tamen perfecta. Illa renouatio hominis eſt, non enim inquit diuus Auguſt. ex qua hora quiſque baptizatur, omnis vet⁹ eius infirmitas abſumitur, ſed renouatio incipit à remiſſione omniũ peccatorum, & in quantum quiſq; ſpiritualia ſapit, qui iam ſapit, in tantum renouatur, cętera verò in ſpe facta sũt, donec etiam in re fiant, vſque ad ipſius corporis renouationem in meliorem ſtatum immortalitatis & incorruptionis, qua induimur in reſurrectionem mortuorum. Baptiſmus igitur eſt initium iuſtificationis noſtrę, in quo propter fidem Chriſti IESV, ſordes anteactæ vitæ eluimus, & primum limen iuſtificationis noſtræ ingredimur, ac per varia pietatis opera, tribulationeſque

Tit. de pecca. merit. & remiſſ. 2. ca. 2.

In Baptiſmo quæ ſordes abluuntur.

multas gradiendo, in penetralia eius ingredimur, & ad ipſum denique culmen aſcendimus, alij quidem citius, alij verò tardius. In quo curſu noſtro, exterior quidem homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur, & indies augetur, perfectiorque redditur, donec in virum perfectum euadat, de virtute in virtutem conſcendens. Si enim in ipſo animo, qui eſt interior homo, perfecta in baptiſmo renouatio fieret, non diceret Apoſtolus: etſi exterior homo noſter corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem. Etenim qui de die in diem renouatur, nondum totus renouatus eſt. Eſt certè aliquid in eo vetuſtatis, quam ſenſim de die in diem exuit, & nouum hominem induit, & quaſi cum ætate creſcit, donec perueniat in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis CHRISTI. Quam quoniam per eam fidem, quam ad lauacra ſacra afferimus, non ſtatim aſſequimur, ſed primitias ſpiritus tantum accipimus, vnde filij DEI fiamus, neceſſe eſt per incrementa

Aug. cõt. Manich. lib. 1. cap. 35.

2. Corint. 4.

Ephes. 4.

In lauacro ſacro primitias ſpiritus accipimus.

menta non tantum fidei, verùm etiam per fructus ipsos eius, opera bona, opera charitatis, ad eam nos ascendere: baptismus enim initium est iustitiæ nostræ, vnde per gradus virtutum ad summa contendendum. Neque enim satis est, si primitias spiritus acceperimus, per quas morbus noster tollatur, nisi etiam vires alia medicina reuocentur, confirmentur, ac planè renouentur. Quæ renouatio non momento vno fit ipsius conuersionis, sicut momento vno fit illa in baptismo renouatio, remissione peccatorum: neque enim vel vnum quantumcunq; remanet, quod non remittatur, sed quemadmodum ait Augustinus, aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate (quæ febribus est facta) reualescere. Itemque aliud est infixum tellum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare. Prima illa curatio causam remouet languoris, quod per omnium fit remissionem peccatorum, secunda ipsum saluare languorem,

De ciuit. Dei li. 14. ca. 17.

quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Quæ duo de-
Psal.102. monstrauit Dauid, cùm diceret: qui propitius est omnibus iniquitatib⁹ tuis. Deinde, qui sanat omnes infirmitates tuas. Propiti⁹ enim est nobis Deus in Baptismo, remittens nobis prioris vitæ iniquitates nostras: sanat languores & infirmitates nostras quotidianis virtutum accessionibus, & gratiæ DEI incremento. Primitias igitur spirit⁹ in Baptismo accipimus, vnde filij Dei re ipsa efficimur, in cæteris verò spe, sicut salui, sicut innouati, ita & filij Dei, re autem ipsa quia nondum salui, ideò nondum planè innouati, nondum etiam filij Dei, sed filij seculi. Proficim⁹ ergo in renouationem iustamque vitam: & per quod filij Dei sumus, per hoc omnino peccare non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filij seculi sumus: per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit vt qui nat⁹ est ex Deo
1.Ioan.1. non peccet. Et si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Con-

sume-

ſumetur ergo quod filij carnis & ſeculi ſumus, & perficietur quod filij DEI & ſpiritu renouati ſumus, quæ omnia Pauli ipſius verba de ſe ipſo loquentis, confirmant. Qui cùm incrementa ſuæ fidei & ſuæ iuſtificationis, hoc verò eſt certamina pro Chriſto, & fide eius ſuſcepta narraret, & propterea reſurrectionis ex mortuis particeps eſſe vellet, oſtēdit, feciſſe ſe multa digna quidem eo premio, nōdum tamē omnia compleſſe, multaque ſibi adhuc reſtare, vt ad eam perfectionem perueniat, coronaque ſibi repoſita ornetur, exantlanda eſſe narrat. Non quod iam, inquit, acceperim, aut iam perfectus ſim, ſequor autem ſi comprehēdam, in quo & comprehēſus ſuam à Chriſto IESV. Vides enim quomodo Paulus ab illo primo initio, vbi baptizatus primitias ſpiritus accepit, & lauacro ſacro ablutus, veniam blaſphemiæ in Deum & perſecutionis Eccleſiæ CHriſti conſecutus ſit, iter perficiendæ iuſtitiæ ingreſſus, contendit ad ſumma, multa ꝑtulit ꝓ Chriſto, tot mortes paſſus eſt, & quod deerat paſſionem in corpore

Aug. libr. de pecc. mer. & remiſſ.

Pauli progreſſus.

CHristi quæ Ecclesia est in suo sustinuit, tamen negat se perfectũ adhuc esse, negat omnes illas virtutes, quibus iustitia à fide prima in Christum & sacro lauacro cœpta, perficiatur, consecutũ esse, cõtendere verò, vt eas cõprehendat & assequatur. Et quidẽ disertè testatur se esse comprehensum à Christo IESV, vocatum in sortem filiorũ Dei. Comprehẽsus (inquit) à Christo IESV, non tamen propterea iam perfectum, & absoluta illa iustitia dignum se esse ait. Cõprehensus est dum vocatur, dũ credit, dum baptizatur. Si comprehensus à CHristo tenetur, si fidẽ habet, cur non dicit iam se esse iustũ? iam corona & premio dignum? etiamsi nihil deinceps faciat? Si sola fides iustum reddit, si opera bona certaminaque pro Christo & eius Ecclesia nullius momenti sunt? ad eam cui vita debeatur iustificationem consequendam? Sensit Paulus à Christo comprehensus & vocat' ad fidem, initia illa & primicias spiritus esse, vlteriusq; progrediendum, & summa petenda, non solùm credendo, verumetiam labores perferendo, pro

Philip 3.

Comprehẽsus à Deo.

pro Christo certando, tribulationes perferendo, totiesq; moriendo, vt ita per egregia facinora ad eam perfectionē iustitiæ Dei perueniret, vt corona tandē dign⁹ esse iudicetur. Non arbitror, inquit, me cōprehendisse, quamuis comprehensus sim à Christo, cur non arbitratur se apprehendisse, cùm fidem in CHristum comprehenderit? Quod videlicet multa fidei primordijs addenda esse videret, & per varia exercitia virtutum charitatisque opera, ac multa certamina, tribulationesq; multas, iustitiam, ad quam vocatus esset perficiendam sibi esse iudicaret. Et quanquam multa iam tum pertulerat, multa egregia fecerat, nondum tamen se ad metam peruenisse testatur, & oblitum eorum quę gesserit, ad ea quæ cōprehendenda & implenda essent, totū suum studium conuertisse, omnesque neruos in id intendisse testatur, quę posterius cùm complesset, ait: Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, in reliquo reposita mihi est corona iustitiæ, quam mihi reddet iustus iudex in die iudicij. *2.Tim. 4.*

Non tum ſtatim vt credidit, vt baptizatus ſit, coronam poſcit, ſed tum demum cùm curſum conſumaſſet, bella pro Chriſto confeciſſet, & ad perfectã, abſolutamq́; iuſtitiam per opera bona perueniſſet. Quod cùm ita ſit, fidei noſtræ & iuſtificationis noſtræ, & initia, & gradus, & perfectionem eſſe, & eos errare, qui præter fidem nihil aliud ad iuſtificationem afferre volunt dubitare nemo poteſt. Prima quidem cauſa & exordium vitæ noſtræ fides eſt, verũ tamen nõ ſolùm vitam, ſed etiam premia & coronas DEVS nobis parauit: non ſolùm ad vitam nos vocat, ſed etiam ad premia & ornamenta prouocat. Non fidei ſolùm ſuæ Paulus coronam propoſitã eſſe aſſerit, verùm certaminibus ſuis illis infinitis, & curſui conſumato. A fide vita noſtra initium capit, operibus bonis perficitur & conſumatur, ita vt verum ſit quod dixim⁹, non vnum genus eſſe iuſtitiæ noſtræ: Primum enim gen⁹ eſt quod in remittendis peccatis. lauacra ſacra & fidem Chriſti receptam præcedentibus, conſiſtit: alterum in exercendis operibus chari-

Corona Pauli.

Iuſtificationis tria genera.

charitatis, certamineque pro CHristo ſuſcepto, & curſu vocationis legitimè conſumando: tertium verò in pœnitentia pro peccatis, poſt gratiam acceptam admiſſis, agenda. Et in illo primo genere, ſola fides operibus remotis iuſtitiæ noſtræ cauſa eſt: In ſecundo & tertio, non ſola fides, ſed cum operibus bonis & pœnitentia coniuncta. Nam vt præcedentia fidem peccata, in Baptiſmo propter ſolam in CHriſtum fidem tolluntur, ob eamque cauſam ſolam iuſti pronunciamur: ita in relapſis pœnitentia vna cum fide opus eſt, vt rurſus iuſtus pronuncieris, gratiamque amiſſam recuperes. In ijs autē qui in recepta ſemel gratia perſeuerant, opera, variaque virtutū exercitia requiruntur, vt ex iuſtis iuſtiores fiant, vt de virtute in virtutem eant, vt ex iuſtitia quam fides parit, ad iuſtitiam bonorū operum quæ ex fidei radice ſurgunt, ꝑueniatur, vt qui iuſtus eſt per fidem, iuſtificetur magis per opera bona, maiuſque premium conſequatur, & non ſolùm vitam, ſed beatiſſimam vitam coronamq; mereatur. Nam vt omnes

quidem ſtellæ lucent, omnes luminis participes ſunt, ſed aliæ alijs magis elucent, nec omnium vna & eadem gloria eſt. Ita omnes qui credunt iuſti ſunt ob eam ipſam fidem, verùm non omnium iuſticia illa par eſt: alia Solis lux & gloria, alia Lunæ aliarúmque ſtellarum, alia eorum iuſticia, in quibus nihil præter fidem lucet, alia eorum in quibus fides opera egregia per dilectionem operatur. Non ſolum iſti lucent, ſed etiam elucent: non ſolum vitam ſed etiam coronas merentur.

Alijs maiorē alijs minorē gratiā dari.

Maior fides maiori gloria ornatur.

Cur Paulus dixerit, Gratia Dei ſaluati ſumus non ex nobis, donum Dei eſt ne quis glorietur.

CAP. XXXIII.

OPerum bonorum magnum fructum premia & coronas eſſe oſtendimus: non quidem quorumuis operum, ſed eorum, quæ fides per dilectionem, ſpe firma & charitate non ficta comitibus operatur. Reſpondendum hoc loco videtur illis, qui Pauli

Comites fidei

verba

verba nobis obijciunt, gratiáque Dei nos saluos esse exclamãt, nõ ex nobis, non propter opera nostra quæ fecim⁹ nos, totum illud iusticiæ & salutis nostræ donum Dei esse, nec esse quod operibus vllis tribuamus. Ecquidem nihil est ꝙ operibus tribuamus nostris, si illa nostra sunt, si non sunt dona Dei, nihil est nostrũ quod nos gratos Deo reddat. Quid enim nostrum est præter peccatum? nam si quid boni in nobis est, Dei donum est. Quod si opera bona, quorum fides quæ per dilectionem operatur, radix est, dona DEI sint, esse non potest vt non eadem Deo grata sint? cum Deus omnia quæ ipse facit, quę ab eo proficiscantur, & vt sua agnoscit, & bona esse pronunciat. Sine illo autem, non solum nihil boni agere, at ne cogitare quidem possumus. Quicquid igitur agimus boni, in illo, & per illum, & cum illo agimus, ille in nobis velle & perficere operatur, ille voluntatem nostram excitat, ille vires vt facere possimus largitur, præuenit nos, & voluntatem nostrã sua gratia ex-

Opera bona cur deo grata.

Sine Deo nihil boni fit.

tia excitat, & excitatos iterque bene agendi ingressos prosequitur, & adiuuat, neque in cursu illo vires nobis deficiant, sustentat, & contendentes fulcit. Quicquid igitur bene agimus, Dei est: sed ita Dei, vt nostrum etiam sit. Ille quidem salutem nostram operatur, non sine tamē nobis operatur. Ille est bonorum omniū vitæq; nostræ fons, sed nos haurire vult. Fōs quidē tibi suppeditat aquas, tamen nisi tu ipse haurias, sitim tuam non sedabunt. Ita fit vt opera illa & Dei sint, & nostra: Dei, quod omnium bonorum auctor & fons deficiens nunquam, & inexhaustus sit. Nostra, quoniam ea oblata recipimus, quoniam cooperamur, quoniam vocantem sequimur, & in vineam eius vocati, ingredimur, quoniam vocanti & præcipienti obedimus, & ea quę ille bona probat, ꝓsequimur, q̄ improbat mala, fugim⁹. Quam obedientiam nostram quoniam probat, nō potest esse, quin ea quæ eo ipso duce facimus, illi placeant. Si autem placent, mirum fuerit si nos non commen-

Deus fons bonorum.

Bona opera quomodo nostra et quomodo Dei sint.

mendent, si premia nobis non mereantur, seipsum ecquidem Deus, qui voluntatem nostrã ad ea omnia, quæ bene à nobis fiunt præparat, & præparatam adiuuat, odisse videretur, ac seipsum in nobis damnare. Sed quoniã seipsum amat, sua consilia probat, & opera nostra quæ eius sunt, ad quæ nos excitat & excitatos ducit, probet necesse est, premia eius & coronas decernat, vt suam illam immensam bonitatem in nobis honore adornet. Nam si opera bona, opera charitatis, quoniã à nobis fiũt oderit, & vt nostra abijciat, fidem etiam ipsam odio habeat necesse est: hæc enim & in nobis est, & radix operum bonorum est. Quod si fidem nostram ita probet, vt propter eam, nobis omnia scelera nostra & impietatem omnem donat, ecquidem opera bona nostra auersari eum, absurdũ dicere fuerit, cum vt fidem nostram, ita & opera bona nostra dona sua esse sciat, & à se in nos effusa. Si donum suũ fidem in nobis agnoscit, si propterea quod credamus nos acceptat, non potest

Deum opera bona in nobis coronare.

test & opera ipsa non agnoscere, cum vt fides, ita opera, dona eius gratiaque, vt modo dixi, in nos effusa sint. Per eum credimus, per eum operamur: ille fidem cordibus nostris infundit, ille ne fides in nobis ociosa sit, vt per dilectionem operetur, author est. Plantauit arborem propter fructus. Si arborem probat, non potest fructus eius improbare: si arbor bona & fructus boni. Aut facite (inquit Christus) arborem bonam & fructus bonos: aut si fructus sunt mali, arborem etiam malam. Non potest enim, ait Christus, arbor bona malos fructus facere, nec mala bonos. Bona est plantatio CHRISTI fides, bona etiam opera quæ illa profert. Aut igitur fidei premia, vna cum operibus bonis auferenda, aut operibus bonis, operibus charitatis, quorum fides fons est, honor debitus reddendus, quia inquis, non ex operibus nostris iustificamur, donum enim Dei est, siquidem vt dixi nostris operibus, vt Pelagiani, vt Iudei, vt gentes, premia & honorem debere cõtenderem⁹, haberes ꝙ diceres.

Arbor propter fructum.

Matt. 7.

Matt. 12.

Quæ opera non iustificẽt.

Sed

Sed quoniam non nostra, sed Dei quæ per Christū Iesum in nobis operatur, & ex radice fidei charitate irrigata ꝓfert, non est quod opera bona contemnas. Quæ si contemnis, quod non solū Dei, sed etiam nostra sint, eadem ratione fidē contemne, nam & hæc & nostra & Dei est. Quod si fidei tantum tribuis, tribuas & operibus bonis necesse est. Nam aut vtrumq; amplectere & orna, quia vtrumq; donum Dei est Fides donum Dei & misericordia Dei ea est, quæ te præuenit: opera bona, donū & misericordia eiusdem Dei quæ subsequitur sunt. De illa dictum; Misericordia Dei pręueniat me: De hac: Misericordia DEI subsequitur me. Præuenit te gratia DEI, & excitauit cor tuum, vt credas DEO, & propterea placeas: subsequitur te & fidem à te receptam, vt bene opereris, vt pietatis in studio te exerceas. Vtrunque donum Dei est, vtrunque DEI misericordia. Neque credere, neque bene operari sine gratia Dei potes. Quod credis corde, DEI est: quod ore confiteris, & veritatis bonitatisque diuinę *Psalm. 58.*

testis

testis es, donum Dei est, quod fidem tuam, osque tuum non fictum sed verum esse operando demonstras bonisque operibus ad laudandum Deũ gentes & impios prouocas, Dei donum summáque illa misericordia est, quæ te credentem sequitur, ad coronasque ducit. Neque opera tua sunt, quę Deus coronat, neque fides: vtrunq; donum eius est, & fidem suam & opera sua in nobis agnoscit, probat & coronat. Nã quod isti fidem suam iactant, quod opera abijciunt, non vident & fidem sibi, quæ Dei donum est vsurpare, & in operibus bonis contemnendis, donũ Dei contemnere, Deoque ipsi non minimam iniuriam facere, gratiamque eius, per quam nobis & fidem & opera sua infuderit, repudiare, & vtrunq; hoc munus Dei esse negare, cum suæ fidei omnia tribuant. Quod propterea sibi vitam necessariò deberi, quia credunt, contendant, quod neminem damnari posse qui credat, affirment. Quod si verum esset, necessitate quadam & nodo indissolubili Deum alligatum haberent, voluntatémque ei liberam

Aduersarij Deo vim inferunt.

beram

beram ſua fide eriperent, ac ſub pelle fidei monſtra viciorum impunita alerent, Deum ipſum & Chriſtum qui cuique ſecundum opera ſua mercedem redditurum teſtatur, iniuſtum efficerẽt, cum propter fidem nec bonis operibus premia largiri, nec malos ſupplicio afficere poſſet, cum non aliud præter ſolam fidem eum ſpectare oporteret, cum ei ſoli honor omnis deberetur. Nam ſi ſcelerati non poſſunt puniri, propterea quod fide muniti ad ſupplicia trahi non poſſunt, nec bonis operibus honor vllus debebitur, qui ſolius fidei proprius ſit. Fruſtra igitur Paulus laborauit, fruſtra bonum illud ſuum certamen certauit, fruſtra curſum conſumauit: non poteſt dicere Paulus, in reliquo ſibi repoſitam coronam, quam ſibi iuſtus iudex redditurus ſit, ac ne Simon quidem magus qui credidit, à Petro propter ſuum ſcelus damnari debuit, neq; Corynthius à Paulo, qui nouercam vxorem duxerat, Sathanæ tradi debuit, falſa illa eius de die iudicij diſputatio apud fœlicẽ, & alijs locis eſſet, in qua de die illo diſ

Roman.2.

Si fides ſola iuſtificat, Simon Magus iuſtus eſt.

Act.8.

Act.24.

ſerens, ſupplicia malorum infinita demonſtrat, boniſq; premia oſtentat. Nõ verus Chriſtus eſſet, q̃ ſe promittit hædos ab ignis ſegregaturũ, & bonos ad regnũ ab initio mundi à patre ſuo eis paratũ, miſſurum, malos verò in ignẽ diabolo & angelis ei⁹ conſtitutũ detur baturũ, non eſſet illa eius ſententia vera: Qui bona egerunt, ibũt in vitã æternam, q̃ verò mala in ignẽ æternum, & alia infinita, quę longũ fuerit in re pręſertim apertiſſima perſequi. Impudẽs eſt iſtorũ aſſertio, & erroris plena doctrina. Fides quidẽ initium & fons iuſtitiæ & vitæ noſtræ eſt, ſine illa nihil Deo in nobis placet, p̃ hanc acceſſus ad Deũ eſt, ſed initiũ totũ non eſt: Initia .n. ad ſuã perfectionẽ contendũt. Principiũ ſalutis noſtræ fides, perfectio ipſa in operibus bonis, varijſq; pro Chriſto certaminibus lucet. Habet honorem fides quæ fundamentũ ædificij noſtri eſt: Habent opera, quæ ædificium perficiunt & adornãt. Vtrunq; Dei donũ eſt. A Deo fides, à Deo opera, q̃ fides ipſa ſocia charitate profert. Vt fidem donũ ſuum in nobis Chriſt⁹ agnoſcit

Matth. 27.

& honorat,ita opera ob eā ipſam cauſam,quod ſua dona ſint,quod ex fidei radice per charitatē operantis & viuētis naſcantur,&agnoſcit & premijs honorat.Iactas tu quide fidē, & hanc vbiq; oſtentas,hac te contra oīa pericula cōmunis. Quæro qd eſt, cur tantū fidei tribuis?cur tantū fidis? ſi propterea q̄ tua ſit,nihil eſt quod tibi debeatur:nihil enim eſt in nobis quod Deo placeat. Quicquid noſtrū eſt, peccatum eſt. Sin aūt Dei donū eſt, quid te inde efferas?quoniā non tua,ſed Dei eſt. Quod ſi donum Dei eſt, non te iactare propterea,ſed Deo gratias agere debes, qui te dignum iudicauit, cui ſuum donū cōmitteret, quem ad credendum excitaret. Nō abuti dono Dei ad ſcelera patranda,& libidines exercēdas debes ſed ad honeſtè & piè vitā inſtituendā tāto bono vti:fidē enim Chriſt⁹ bonorū operum & pietatis matrē in te eſſe voluit,non libidinum miniſtram, & ſcelerum patronam. Donū Dei fides eſt, ob eāq; cauſam ipſi Deo in nobis grata & accepta, quæ ab illo promanant bona ſunt & honore digna. Quod ſi

Fides ſi noſtra non Dei eſt, placere Deo nō poteſt

Fides Deo placet quia eius eſt.

hoc donū fidei honore dignū, & Deo in nobis acceptum, opera quoq; bona quæ dona Dei sunt, ad quæ ille nos excitat, & excitatos auxilio suo confir-
Philip.2. mat, & vt Apostolus ait, & velle & perficere in nobis operatur, non possunt ei non placere. Vt fidem suam in no-
Sua dona Deus agnoscit. bis agnoscit, amat & acceptat, ita & bona opera quæ dona ei⁹ sunt, probat: Vt fidei vitam & premia proposuit, ita bonis operibus non solum vitam, sed meliorem etiam illam vitam de qua Christus ait vt vitam habeant, & abun
Ioan.10. dantius habeant coronásque parauit, ad quas nos per filium suum vocat. Vtrumq; igitur donum Dei est, vtriusq; cura nobis par esse debet, vtriq; apud Deū premia proposita sunt. Opera si-
Iacob.2. *Fides sine operib⁹ nuda.* ne fide sordent apud Deū, fides sine operibus mortua, nuda & informis est, operib⁹ bonis vt stola aurea exornatur, vtrumq; aūt Dei donū est. Quamobrē Paulus monet, ne quis glorietur, ne vel fidem q̄ sine gratia Dei præueniente, vel opera quæ sine gratia eius nos prosequente fieri non possunt, nimiū iactet, premiáq; necessario sibi deberi
prop-

propter eam putet. Nam vt fides, ita & opera dona Dei sunt, singulari gratia & bonitate in nos effusa. Monet igitur Paulus ne gloriemur, ne nobis, & ob fidem nostram & opera nostra placeam⁹, cum nec fides nec opera ex nobis, sed gratia Dei sint. Et propterea ait: Gratia DEI saluati sumus, non ex nobis, donum Dei est, ne quis glorietur. Vbi vides, nec fidei nec operum nostrorum meminisse Apostolū, sed solum gratiæ Dei, vnde vita & salus nostra promanaret, quod Paulus non temerè fecit: Cum enim alios nimium fidem extollere, vt nunc nostri isti qui se Euangelicos dici volunt, faciunt, alios opera, vel legis vel quæuis alia, vt Iudei & Pelagiani, & non pauci superstitioni dediti, supra modum extollerent, vtrosque monet, vt cogitent diligentius fontem bonitatis omnis, salutisque & iusticiæ nostræ Deum, & filiū eius Iesum Christum, qui morte sua vitam nobis peperit, qui per spiritum sanctum corda nostra ad credendum veritati excitauit, & ad opera ipsa ex-

Cur Paulus gratia Dei nos saluos esse ait.

Ephes. 2.

citat,ac nõn ſolum gratia ſua nos præueniendo,& ſpiritu ſancto voluntates noſtras afflando mouet, ſed etiam excitatos, & quaſi iter ingreſſos eadem gratia proſequitur, ſuſtentat, erigit,ac ne defeſſi ante metam ſubſiſtamus, vires nobis ſufficit, ac greſſus noſtros confirmat.Hinc enim fides, hinc opera, hinc vita & corona noſtra. Quid habes,inquit idem Apoſtolus, quod non accepiſti?Iactas fidem, iactas opera,coronáſque tibi debitas Vnde illa quæſo?tuáne ſunt?in téne,& ex te ſolo nata?Nõ equidẽ dei enim munera sũt, ex eius bonitatis fonte ad te defluunt. Quæ quoniam non tua ſunt,deſine ea arroganti⁹ iactare,gratias potius Deo age, qui humilitatem reſpexit tuam, qui te perditum & errantẽ ab interitu reuocauit,qui tenebras tuas illuminauit,& à via perdita ad viam ſalutis reduxit.Cum igitur fides & opera bona, dona Dei ſint, & non noſtris meritis vllis,ſed ſingulari gratia Dei in nos effuſa,ait Paulus, gratia Dei nos ſaluos fieri,non ex nobis,non noſtris meritis dignitatéque vlla noſtra. Cur gratia? cur

Vnde fides et opera noſtra bona.

1.Cor.4.

cur non propter fidem? non propter bona opera? Quia & fides & bona opera gratia Dei sunt, gratiæ Dei debentur, nec fides, nec opus bonū sine gratia nos aut præueniente, & voluntatē nostram excitante, aut ingressos iter, agendi bene & piè viuendi in nobis locum habere sine gratia DEI non potest. Totam igitur salutem & iusticiam nostram Paulus gratiæ Dei acceptam refert vt causæ primæ. Nam etsi fides vitam parit, & opera coronas expectant. iustificationisque nostræ & vitæ nostræ, coronæque nostræ causæ, sine quibus vita nostra & iusticia nostra non subsistat, sint, gratia tamen & bonitas Dei, Christiq; meritum, propter quæ omnia illa Deus pater acceptat, causa prima & fons est. Quod Paulus quoniam non ignorauit, & alios alias causas vocationis suæ afferre videret, & alios soli fidei, alios operibus multum tribuere audiret, omnes ad eundem fontem, hoc est, gratiam DEI & meritum CHRISTI reuocat, & vnde illa nata sint, quibus illi ornarentur, demonstrant, & neq; fidē nec opa

Cur gratiâ Dei dicimus saluari.

Gratia Dei princeps causa salutis nostræ.

Paulus oēs ad fontem salutis reuocat.

bona nostra, verum Deum in nobis omnia bona operantem & nostri miserentem, causam & fontem esse docet. Non est inquit, volentis, neq; currentis, sed Dei miserentis. Nam quod credis, Dei est, quod facis Dei est, vt velis se sequi, vt credere. Ille te excitat, cor tuum aspirat, voluntatémque tuam quam gratia preuenit, excitat. Et cũ tu consenseris, vt & credas, & piè viuas, charitatis opera exerceas, vt bonũ certamen certes, vt cursum cum Paulo consumas; vires tuas roborat, gressus tuos confirmat, nec te currentem prolabi patitur. Itaque & quod credis, & quod operaris, eius non tuum est: suam fidem, sua opera in te coronat, suisque premijs adornat. Atque hæc est causa cur PAVLVS gratia DEI nos saluos esse, non ex nobis, ait. Quæ ne ex nostro sensu fingere videamur, audi diuum AVGVSTINVM hæc vt diximus ita esse, disertisque adscribam verbis docentem. Misericordiam, inquit Paulus, consecutus sum, vt fidelis essem. Non dixit: Misericordiã cõsecut⁹ sum, quia fidelis eram,

Rom.9.

De bono perseuerantiæ cap.8.

1.Tim.1.

eram, ſed vt fidelis eſſem. Hinc oſtendens etiã ipſam fidem haberi, niſi Deo miſerente non poſſe, & eſſe donũ Dei, quod apertiſſimè docet, dicens: Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc nõ ex vobis, ſed donum Dei eſt. Poſſent enim dicere, ideò accepimus gratiam, quia credidimus, tanquam ſibi fidem tribuentes, gratiam Deo. Propter hoc Apoſtolus cùm dixiſſet: Per fidem, & hoc, inquit, non ex vobis, ſed Dei donum eſt. Rurſus ne dicerent, ſe ſuis operibus tale donũ meruiſſe, continuò ſubiecit. Non ex operib⁹, ne fortè quis extollatur. Non quia negauit, aut euacuauit opera bona, cùm dicat, Deum vnicuique reddere ſecundum opera eius: ſed quia opera ſunt ex fide, non ex operibus fides, ac per hoc ab illo ſunt nobis opera iuſtitiæ, à quo eſt ipſa fides, de qua dictum eſt. Iuſtus ex fide viuit. Et alibi: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater traxerit illũ. Magna gratia commendatio; nemo venit niſi tractus, & item ipſam quoque fidem op⁹ eſſe Dei dicit IESVS, hancque vt operemur iubet. Dixerunt ènim ad eum

Epheſ 2.
Cur dixit Paulus gratia Dei ſaluati eſtis per fidem.

Opera ex fide non fides ex operibus.

Fides opus DEI.
Ioan. 6.

Aug. de prædestinatione sanctorũ c. 7.

Iudæi: Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respõdit IESVS & dixit eis: Hoc est opus Dei vt credatis in eũ quẽ misit ille. Et alibi item: Proinde quod continuò dixi, dicit idem Apostolus, idem Deus qui operatur in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Ac deinceps subiunxi. Quod.n.credimus nostrum, est, quod autem operamur bonũ, illi⁹ est, qui credentibus dat Spiritum sanctum. Profectò non dicerem, nisi iam scirem etiã ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem spiritu. Vtrumque ergo nostrum est propter arbitrium volũtatis, & vtrumque tamen datum est per spiritum fidei & charitatis. Neq; enim sola charitas, sed sicut scriptum est, charitas cum fide à Deo patre & Domino IESV Christo. Et quod paulò post dixi: Nostrum est credere & velle, illius autem dare credentibus & volentib⁹ facultatem bene operãdi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris. Verũ est quidẽ, sed eadẽ regula & vtrumq; ipsi⁹ est, quia ipse præparat

Ephes. 1.

Ibidem ca. 3. Et libr. 1. retract. cap. 33.

vo-

volũtatem, & vtrumq; noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis. Hæc Auguſtinus, & alia multa, quæ noſtrã ſententiam confirmant.

Ad iuſtificationem præparatione opus eſſe. CAP. XXXIIII.

QVoniam autem fidem operaque ei⁹ bona quæ per dilectionem operatur, omneq́; meritum noſtrũ dona Dei eſſe, non in nobis & ex nobis nata, ſed tanquam è fonte bonitatis & miſericordię Dei hauſta, & in nos effuſa, diximus: quomodo ea dona nobis donentur, & quomodo ea mereamur deinceps videndum. Atque equidẽ donari nobis non tantũ fidẽ & opera bona, ſed & ipſum meritũ à Deo, qui gratis omnia nobis nulló pręcedente merito largitur, & ſua munera in nos ob ſolam ſuam bonitatem largè effundit, ex ijs quæ modo diximus certum fuerit. Gratia Dei ſaluamur, gratia Dei eſt vita æterna, nihil habemus boni, quod non ab eo acceperimus: verũ tamen ita illa Dei dona ſunt, vt etiam noſtra ſint: quæ vt noſtra etiam, ſint,

Merita etiam nobis donari à Deo, quam gratiam gratum faciens vocant.

Epheſ. 2.

Bona opera quomodo nostra sunt. ſint, cooperando, DEO in nobis & fidem & opera bona operanti, & nos animoſque noſtros præparando, efficimus. Præparamus autem nos, aptoſq; idoneos, & capaces bonitatis, gratiæ, & donorum Dei reddimus, gratiæ illi, ad quam vocamur liberè aſſentiendo, & Deo in nobis operanti cooperãdo, vocanti obtemperando, & ducentem nos, impigrè & libenter ſequendo, ac totos nos eius volũtati permittendo, illud CHriſti dicentes: Fiat volũtas tua ſicut in cœlo & in terra. Quemadmodum virgo beata & Deipara dixit: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Difficilia beatiſſimę virgini nunciabantur, & quæ leges excederent naturæ, credit illa tamen, & potentiæ diuinæ imbecillitatem ſuam commendat, ac ita ſalutem noſtram, Deo in ſe operanti, & filiũ ſuum carne noſtra in ea veſtienti, credẽdo & aſſentiendo, cooperata, filium Dei concipit. Hæc eſt enim præparatio noſtra, hoc vnum eſt meritum noſtrum, cui tanta dona à Deo debeantur, aſſentiri hortanti, ducentẽ ſequi, vocantem audire,

Luc. 1.

B. Mariæ prudentia.

dire, & operanti in nobis cooperari: hoc modo enim meremur dona Dei, meremur vitam & iustitiam. Nam sicut Adam per inobedientiam indign⁹ bonis Dei factus: ita nos per obedientiam & assensionem idonei reddimur. Propter obedientiam Deus pater filiũ suum exaltauit, & dedit illi nomẽ quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum: ad obediẽdum Deo, Dauid nos prouocat, vtq; eo modo nos præparemus ad gratiam & dona Dei, hortatur: Hodiè, inquiens, si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Totus ille Psalmus in hoc versatur, vt nos in aduentũ Christi præparemus, & dignos ei⁹ gratia, quam per eum Deus pater in nos effudit, reddamus, non alia ratione quàm quòd vocantem sequamur nihil tergiuersantes, imò ad adorandum illum cupidè occurrentes. Quod quoniam rebelles illi, qui ex Aegypto educebãtur facere noluerunt, vocantemque se & in terram patrib⁹ promissam ducentem sequi respuerunt, in desertis

Philip. 2.

Psal. 94.

Dauid ad quid nos vocat.

Num.

locis

locis, vt indigni gratia muneribuſque Dei, omnes perierunt. Quorum exem plo nos hortatur, ne tergiuerſemur, ſed vt ſtatim vocanti pareamus, promittenti credamus, ac ducere nos volentem ſequamur. Quod cùm fecerimus, dignos nos beneficio & gratia Dei fore. Cui conſilio Apoſtoli paruerunt, qui vt primùm CHriſtum ſe vocantem audierunt, relictis omnibus ſtatim ſecuti, & hæc ipſa eorum obediendi prompta voluntas præparatio eorum fuit, ad eam gratiam Dei accipiendam, quam accepturi erant Spiritu ſancto in eos effuſo. Paulus & vocanti obediuit, & operãti cooperatus eſt. Deus quidem in Paulo operatus, Deus dona illa ſua in eum effundit, ſed non in inertem, verùm cooperãtem, & noctu dieq; laborantem. Cùm verbo Dei aſſentimur, cùm vocantem audimus & ſequimur, idoneos nos reddimus, capaceſq, efficimur munerum Dei & vitæ æternæ, quę fidem & opera bona ſequitur. Quod verbum Dei, qui non recipiunt, indignos ſe gratia Dei efficiunt, ac ſeipſos donis bonita-

Præparatio ad munera Dei, obedientia.

Verbũ Dei recipiendo præparamur.

tis

tatis diuinæ indignos pronunciant. Quod accidit illis Iudæis, quos Paulus damnauit, & ad quos ait: Vobis missum est verbum hoc: sed quoniam vos indignos eo facitis, nos conuertimur ad Gentes, quæ auditum verbum Dei receperunt, ac se dignas gratia Dei sua illa obedientia & verbi Dei approbatione, reddiderunt. Omnes quidem Deus saluos fieri vult, pro omnibus filium suum vnigenitum tradidit, omnes ad se vocat. Conuertimini, inquit, ad me, & ego reuertar ad vos, pulsate aperietur vobis, petite & accipietis, super omnes oriri Solem suum facit: non tamen omnes gratia sua & donis suis dignos iudicat. Cur ita? quoniam non omnes veritati obediunt, non omnes vocem eius audiunt, non omnes eius voluntati suam accommodant voluntatem, non omnes salutem nostram operanti cooperantur. Quod omnes vult saluos esse, quod omnes vocat, ei⁹ bonitatis est: quod non omnes ad se veniant, eorum vel malitiæ vel negligentię est, non cooperantur operanti, non accommodant suam, eius

Act. 13.

Rom. 8.
Malach. 3.
Ioel. 2.
Matth. 7.
Petentes præparantur.
Matth. 5.

Rom. 10.

Cur non omnes gratiæ Dei participes.

vo-

voluntati. Prima igitur ratio præparationis nostræ consentire Deo vocanti, & nos vel palam verbo suo docenti, vel occultè Spiritu sancto suo corda nostra aspiranti, & liberum arbitrium nostrum, voluntatemque nostram ad benè operandum, & suas vias perscrutandas excitanti parere, cogitationesque nostras ad eum vertere, totosque nos ei committere, deinde operanti in nobis cooperari, opera bona, opera charitatis, quæ ex radice fidei surgunt, exercere: ac in omni pietatis studio exerceri. Cuius rei insigne exemplum nobis in seipso reliquit Patriarcha Abraham, qui & vocanti Deo paruit, patriam sine vlla cunctatione deseruit, nihil quod Deus iuberet velletque, neglexit, omnes suas cogitationes in eo defixit, voluntatique eius suam voluntatem subiecit & accommodauit, & voci Dei in omnibus paruit. Quod cùm fecisset, meruit tantus & is esse, quem totus admiraretur mundus, qui multarum gentium pater esset, qui obedientiæ ac omnis pietatis exemplar nobis proponeretur, & in cuius semine

Quomodo Deus nos vocat.

Præparatio secunda opera bona.

Abrahæ præparatio.

ne IESV Christo filio Dei, omnes gentes benedicerentur, veniamque peccatorum suorum, ac regnū cęleste cōsequerentur. Obedientia illa Abrahæ, & in omnibus rebus consentiens voluntas voluntati, Dei præparatio eius fuit ad ea dona capienda, quibus à Deo ornatus est. Quoniam inquit dominus, *Genes. 22.*
obediuisti voci meæ, benedicā tibi, & multiplicabo semē tuum, sicut stellas cœli, & veluti arenam quæ est in littore maris, & benedicētur in semine tuo omnes gentes terræ, & alia multa quæ illi promisit eam ob rem, quod illius voci vbiq; obedierit, & verbis eius crediderit: nihil enim æquè Deo in nobis placet, quā obedientia: Obedientiam, *1. Reg. 28.*
inquit, volo nō sacrificium. Saul quod non obedierit præceptis Dei, ineptum se regno reddidit. Obediētia igitur est præparatio nostra, quæ nos Deo commendat, quę gratia ac donis Dei aptos *Obedire Deo*
& dignos reddit. Quæ cùm in Abraha- *est præparari*
mo summa fuerit, summa illi propterea premia à Deo proposita sunt, ac nō solùm Abraham dignum seipsum tantis Dei beneficijs reddidit, verùm

& posteros suos. Benedicitur Isaac propter obedientiam patris. Ero (inquit Deus ad Isaac) tecum, & benedicam tibi, & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramētum quod spopondi Abraham patri tuo, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, daboque posteris tuis vniuersas nationes has, & benedicentur in semine tuo omnes Gentes terræ, eó quod obediuit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mādata mea, & cœremonias legesque seruauerit. Quę verba diuina apertissimè docent, & ipsum Abraham & semen eius dignum tantis beneficijs & muneribus Dei, factum, ob obedientiam Abrahę atque ea opera quæ in eo laudantur. Obediuit Abraham DEO semper, & in se tantas virtutes, tantam fidem, propterquam & iustus & amic⁹ Dei factus est, & excitanti suam operam adiunxit, & vocanti absque vlla tergiuersatione paruit, patriam deseruit, filium vnicum suum Deo obtulit, præcepta Dei seruauit, legem custodiuit, & cœremonias quibus Deo honorem præsta-

Merita vnius prodesse alteri.

Gen. 26.

ftaret, sedulò coluit, meruit dignus esse, tantis quæ consecuta sunt & eum ipsum & filium suum Isaac, ac deinceps vniuersum semen eius, muneribꝰ Dei. Duo hic laudantur in Abrahamo, Obedientia & opera pietatis. Obediuit vocatus, suamque voluntatem Dei voluntati subiecit, ac idem cum eo voluit: deinde præcepta legesque sibi datas custodiuit, ac cœremonias in oblationibus offerendis, & gloria Deo reddenda, inuiolatas & sanctas seruauit, & Deo in se fidem & virtutes insignes operanti, toto conatu, tota mente, omnibus viribus cooperatus est. Potuit enim Abraham vt alij impij, & vocem Dei se vocantis contemnere, & leges eius abijcere, cœremoniasq;, vt cæteræ Gentes, alias confingere, cū libera volūtate vteretur: potuit cognitum Deum, non vt Deum glorificare, vt illi, quos Paulus damnat, quos in reprobum sensum datos à Deo pronunciat, fecerunt. Qui cùm cognouissent è rebus creatis creatorem, & gratia DEI ad veritatem perquirēdā excitati, cognitū Deū nō honorarūt vt Deū, sed eū

Custodire præcepta præparandi est munus. 3

honorem quem illi deberent, creatis rebus attribuerunt. Sed hoc facere noluit, Deo suo se vocanti seruiuit, ac in omnibus obediuit. Vt autem Abraham voce Deus excitauit, ita nos multis rationibus excitat, varias occasiones sui suæque virtutis cognoscendæ offert. Quas qui non negligunt, ad lucem contendere moniti non cessant, dignos se DEI beneficijs præstant, ac Deo recipiendo se præparant. Sic Cornelius centurio cũ in Iudęam venisset, inter veri Dei cultores versari cępisset, cęrimonias diuersas populi Dei, quã gentilium essent, vidisset, & Deum vnum conditorem cœli & terræ venerari, reiectis idolis gentium videret, animum ad eum Deum colendũ flexit, cum Iudæis familiarius versari cœpit, religionis eorum studiosus, legisq; discipulus factus, totam mentem suam, oẽs vires suas ad cognoscendum & colendum vnum & verũ Deum vertit, ex gentili proselitus factus. Neq;. n. verisimile est, eum in idolis colendis perseuerãtem, ac perseuerare volentem, aut ieiunio, quod Venus cũ Baccho aspernatur,

Act. 10.

Cornelij præparatio.

natur, corpus maceraſſe, ac libidines Veneri gratas coercuiſſe, aut eleemoſynas quę charitatis ſunt munera, gentilem charitate vera vacuū tam largas dediſſe, neque orationes ſuas ad idola profuſas, DEO vero placere potuiſſe. Non aſcendunt orationes ad idola factæ in cœlū, non probatur ieiuniū hominis idolis dedito Deo cœli & terræ conditori, quæ populus Dei probabat qđ faciebat, ille probauit & fecit, vniq́ue vero Deo ſtudia ſua obtulit, idola impietatemq; abominat⁹, proſelit⁹ factus. & legis Dei diſcipul⁹. Quoniā igitur Iudæos ieiunare, orare, eleemoſynas aſſiduè dare videret, non dubitans ea omnia Deo, in cuius cognitionem venire contendebat, placere, eandē viā pietatis & operū bonorū exercēdorū ingreſſus, ieiunat, orat, eleemoſynas egenis dat, & miſeris afflictiſque ſubuenit. Quæ contentio eius q̄d valuit, quā Deo grata accidit, quā idoneū & dignū maiori gratia reddidit, Actus Apoſtolorū docent. Audi.n. q̄d angelus dicat: Corneli, eleemoſynæ tuæ, ieiunia & orationes in cœlū aſcēderūt. Quo- Act. 10.

modo aſcenderunt ſi opera nihil ſunt? Si ſunt peccatum, vt iſti dicunt, numnam peccatum in cœlum aſcendit: nũ angelos inde euocat? num gratia DEI dignos reddit? Orationes tuæ, inquit, ieiunia & eleemoſynę in cœlum aſcenderunt. Cur? Quoniam opera noſtra bona, contentio noſtra Dei cognoſcendi, Deo grata eſt. Aſpirata mẽs Cornelij occaſione ſibi oblata, quaſi vocata eſſet, ad Dei cognitionẽ & veritatis inquiſitionem ſe vertit, ac totis virib⁹ ad eam rẽ nititur, cõſentit internæ vocationi. Volũtas Cornelij, abiecto idolorum cultu verũ Deum quærit, & ita quærit, vt non intus & in corde tantũ ſubſiſtat, ſed foras ſe profert, ac in luce hominum verſatur: ieiunat, orat, eleemoſynas largitur, & Deo in ſe per Spiritum ſanctũ fidem & veritatis amorẽ operãti, cooperatur, ac ſe præparat, ad eam quã accepturus erat (vitę ſuæ fontem) fidem. Quæ opera ſua Deo grata, conatus gratus, contentioq́ue illa veritatis agnoſcẽdæ, probatur, ac maiore gratia remuneratur. Nã cùm in illo interna Spiritus ſancti gratia, quę nihil

Opera bona quã ſint grata DEO.

Gratia gratis data gratiã gratum facientẽ meretur

tale cogitanti infusa esset, & omnia eius merita præuenisset, operaretur, animumq; eius & voluntatem ad legem recipiendam ac seruandam excitaret, ad maius beneficium, nō iam occultè, verùm aperta voce angeli vocatur, ad Christum fontem vitæ ęternę ducitur. Petroque principi Apostolorū docendꝰ traditur, & relicto pedagogio legis, ad Christum magistrum veritatis omnis, & ad finem legis deducitur, particepsque iustitiæ Christi & vitæ æternæ fit Christique ipsius cohæres & Dei hęres esse pronunciatur, ac gratiam pro gratia accipit. Gratia illa DEI erat, quod Cornelio occasio cogitandi veri Dei & veritatis inquirendæ oblata esset, quod potius in Iudæam vbi veri Dei cultus esset, centurio mitteretur, & non ad Barbaras Gentes idolorum cultrices: gratia erat, quod ea occasione motus, animum & voluntatem ad colendum Deum Israel, vertit: gratia erat spiritus cor eius moliens, & ad veritatis disquisitionem excitans. Quæ gratia Dei, gratia præueniens, non solùm merita nostra, verùm etiam cogita

Quomodo occasio gratiæ merendæ Cornelio oblata

Gratia Dei cogitationem etiā præuenit

gitationem omnem veritatis anteuertit, ſolaque miſericordia Dei in nos effunditur. Quam primam gratiam, quoniam Cornelius grato accipit animo, quod voluntatem ſuam, eó quo occultè vocaretur, flexit, & Deo ſe excitanti obediuit, datur altera illi maior, vt ieiunet, vt oret, vt eleemoſynas largiatur, ac Deo in ſe operanti veritatem & dignum iuſtitia ſua reddēti, operibus pijs exercendis cooperetur, maioremque gratiam iterum mereatur, vt cognoſcat vnū Deum patrē, & quem ille miſit IESVM CHriſtum, in quem credēs, vitā ęternam habeat. Ita pro gratia illa grato animo recepta, qua nihil tale cogitans præuentus erat, & ad lucem è tenebris excitatus, gratiam bonorum operum accipit. In qua cùm conſtanter ſe exercet, & conſtanter perſtat, datur illi pro ea vberior multò, Dei patris & filij eius IESV CHRISTI cognitio, quæ eſt vita æterna. Inde nata fides in CHRISTVM, inde ſpes illa quæ non pudefit, inde charitas vinculum & perfectio omnis pietatis enata, quæ Cornelium

Incrementa gratiæ.

lium bonis operibus ornaret, quæ in pietatis ſtudijs exerceret, ad varia certamina pro Chriſto impelleret, ac corona illi apud Deum repoſita cum exornaret, regni cœleſtis hæredem, & vitæ æternæ compotem redderet, quæ ſumma illa & maxima gratia eſt, in qua conſiſtamus. Ad quam conſequendã, ſeipſum Deo vocationique eius internę aſſentiendo, & extra opera pietatis exercendo, corpus ieiunijs caſtigãdo, ac orationibus continuis cœlos pulſando, dignum & idoneum reddidit, ac ad tanta munera recipienda præparauit, quod tamen totum Dei beneficium eſt, meráque Dei gratia, qui hominem illum excitare & vocare, nihil merentem, idolis ſeruientem dignat' eſt. Totum enim hoc beneficium Dei eſt: gratia eius ſaluamur, gratia vocamur. *Epheſ. 2.* Verumenimuero quoniam vocanti aſſentimur, & ducentem nos vireſque noſtras fulcientem ſequimur, *Præparandi ratio.* ingredique poſt eum nitimur, deoque operanti cooperamur, noſtrum quoque dicetur: non vult enim Deus noſtram vitam operari ſine nobis. Poſſet *Cur Deus ſine nobis vitam noſtram non vult operari.*

quidem qui est omnipotens, sed non vult, ne nos corona & præmijs æternis, quæ non nisi cooperantibus sibi & certamen certantibus tribuit, priuet. Nõ solũ enim hoc agit, vt nos saluos reddat, vt ad vitam nõ merentes euocet, verum etiam vt operantes & certantes coronet, maioribusq; donis ac beneficijs exornet. Clarissima sunt hæc Abrahæ & Cornelij exempla; clarissimè docent pparari debere corda muneribus Dei & gratiæ recipiendæ. Nec alia de causa Ioannes ante Christum venit,

Matth. 3. Marc. 1.

non aliud docet & hortatur, quã corda ad eam gratiam, quã Christus à patre missus effusurus erat in nos, præparare & idonea reddere. Non enim aliud est parare viã domino, quã aptũ se reddere gratia eius & capacem donorum recipiendorum illius, quæ corde peccatis inquinato, mundiq; libidinib⁹ æstuanti, infundi non possunt. Prima igitur præparatio detestari peccatum, Deo vocanti obedire & assentiri, omnem voluntatem eius voluntati subijcere. & operanti in nobis salutem nostram cooperari, gratiamque illam pri-

primam qua nos præuenit, cogitationesq́; bonas cordi nostro infundit, voluntatem excitat ac ad se vocat, cupide amplecti; Hoc enim modo maiorem meremur gratiam, hoc modo gratia ꝓ gratia nobis datur, hoc modo gratiam fidei meruit Eunuchꝰ ille, cui Philippum spiritus sanctus legēti, Esaiam occurrere iussit, præuentus erat gratia Dei, quæ cor eius incitabat, quæ ad cognoscendum verum Deum eum excitabat, ac mentem eiꝰ erigebat. Qui dum se gratum Deo beneficij præstat, legem amplectitur, dum eam meditatur, gratiásque Deo qui eam populo suo seruando dederit, agit, maiorem gratiam meretur, maioribus muneribus Dei augetur, ad CHRISTI cognitionem, qui solus est via, veritas, & vita, finisque legis deducitur, regni Dei hęres & vitę ęternę particeps fit. Ita prima illa gratia, gratiam maiorem meretur, ac DEI bonitatem ad se ornandam, augendam, & coronandam prouocat. Atque hæc est præparatio nostra, hæc vna dignitas nostra, quam & ipsam etiam ex

Eunuchi præparaio.

Act. 8.

eodem

eodem fonte bonitatis Dei haurimus nam & hoc meritum Dei gratia est. Non possumus velle, non possumus operari, non possumus mereri, nisi in nobis Deus ea omnia excitauerit, Omnis iustificationis nostræ exordium est gratia Dei per IEsum CHristum, hoc est ab eius vocatione, quoniam nullis nostris meritis vocamur, vt potè qui p peccata auersi eramus, per eius gratiã excitamur, & excitati adiuuamur & ad ei⁹ iustitiã cõuertimur, & liberè ei assentiẽdo & cooperãdo, aptamur & disponimur, idoneiq; reddimur, ita vt tangẽte Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque ipse homo nihil agat, inspirationem illam recipiens (quam etiam si velit pro sua libera voluntate & arbitrio abijcere, & negligere potest) neque tamen sine gratia Dei se commouere ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit. Cuius quidem libertatis nostræ & auxilij simul diuini, verbis illis Propheta nos admonet: Conuertimini ad me & ego reuertar ad vos. Non erepta nobis est libera voluntas, nõ prorsus

Augnst.

Arbitrium liberum gratia Dei iuuatur.

Malach. 3.

sus

ſus extinctum liberum arbitriũ. Propterea iubet nos conuerti, quia in poteſtate noſtra eſt conuerſio illa. Propterea dicit: & ego reuertar ad vos, quoniam abſque ſuo ſubſidio, conuerti & venire ad ſe non poſſumus. Et propterea alibi dicitur; Conuerte nos Deus ſalutaris noſter. Vtraque voluntas cõcurrat neceſſe eſt, & noſtra & Dei. Nos iacentes, in cœno viciorum hærentes, auxilium Dei imploramus, manumq; eius prehenſamus; ille ſurgere conantibus manum dat, atq; prehenſos trahit. Hinc illud eſt, Conuerte nos & cõuertemur; ſine eo enim nos excitante, erigẽte, & ſuſtentãte, nec ſurgere, nec conſiſtere viribus noſtris poſſumus. Vt ſurgamus Dei gratia nos præueniat, vt ingrediamur ſubſequatur neceſſe eſt Diſponimur igitur & idonei reddimur ad iuſtificationem, tum gratia Dei nos præueniente & excitante, tũ excitanti gratiæ aſſentiendo, & proſequenti cooperando. Cuius diſpoſititionis modum Sacroſanctum Conſiliũ Tridentinum, ijs deſcribit verbis; Diſponuntur, inquit, homines ad ipſam iuſti-

Pſal. 79.

Imbecillitas noſtra.

Præparandi ratio in Sacrosancto Cōcilio Trid. relata. iusticiam, dum excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata & promissa sunt. Atque illud in primis, à
Rom. 10. Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionē, quæ est in Christo Iesu. Et dum peccatores se esse intelligentes, à diuinæ iusticiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propicium fore, illumq; tanquam omnis iusticiæ fontem, deligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam antè Baptismum agi oportet. Denique dū proponunt suscipere Babtismum, in-
Heb. 11. choare nouam vitam, & seruare diui-
Matth. 9. na mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum opor-
Eccl. 1. tet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Et, Confide
Matth. 3. fili, remittuntur tibi peccata tua. Et. Timor domini expellit peccatū. Et. Pœniten-

nitentiã agite, & Baptizetur vnuſquiſq; veſtrũ in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionẽ peccatorũ veſtrorum, & accipietis donũ ſpiritus ſancti. Et: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare quæcunque mandaui vobis. Denique præparate corda veſtra domino.

Act. 2.

Matth. 28.

Ad recuperandam gratiam & iuſticiam per peccatum mortale amiſſam præparatione opus eſſe, & quæ eius præparationis ratio ſit, & fidem non eſſe partem pœnitentiæ, hominem ſemel iuſtificatum & peccare, & recuperare gratiam amiſſam per pœnitentiam poſſe, & præcepta Dei non eſſe obſeruatu impoſſibilia.

CAP. XXXV.

ET ea quidem præparandi ratio ad iuſtificationem adultorum, primum ad Chriſtum venientium, & ſacro Baptiſmatis lauacro ſe à priſtina impietate & erroribus abluentium, quam deſcripſimus eſt. Verumenimuero, quoniam acceptam iuſticiam ex fide & baptiſmo, non facilè homines inuiolatam conſeruare poſſunt, vtpotè qui fragiles ſint, & ob infirmitatem corporis frangantur, & quod cogitatio

Infirmitas hominis.

gitatio ſenſuſque noſter omnis pron⁹ & præceps feratur ad malum, ſubſidia nobis & remedia contra eum morbũ à Chriſto relicta, ſancta Eccleſia mater noſtra demonſtrat, & à ſerpente peccati vulneratos, venenoque Sathanæ infectos ad æneum ſerpentem in cruce pendentem deducit, vulneribúſque illis malagina apponit, id verò eſt, pænitentiæ Sacramentum, per quod lapſi in peccatum, reparantur atque eriguntur, gratiamque peccato (quod quoniam mortem pariat, mortale & capitale appellatur) amiſſam, recuperant, ac iterum in numerum Chriſti fidelium recipiuntur. Quomodo Corynthius ille, quem Paulus ob libidines nefandas, quales nec inter gentes audirentur, perpetratas, Sathanæ tradiderat, Pœnitentia agenda, libidine deteſtanda, vita emendanda, gratiam & iuſtitiam amiſſam recuperauit, & corpori Eccleſiæ, vnde vt putidum membrum, reſectus erat, iterum inſertus eſt; per hoc enim remedium pænitentiæ amiſſam iuſtitiam recuperam⁹, & ſauciam peccatis mentem ſanam⁹.

Subſidia hominis.

Pænitentiæ Sacramentũ.

1. Cor. 5.

Ad

Ad quod remedium Ioannes nos pro uocat dicens; Fratres, ſcribo vobis vt non peccetis; ſed ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum patrē Chriſtum Ieſum, qui pro nobis interpellat. Videbat Ioannes ſpiritu Dei plenus infirmitatem noſtram, non ignorabat Sathanam paſſim nobis laqueos tendere, mundique illecebris nos decipere, & in foueam mortis præcipitare, ſemper contendere, varijſque tentationum armis nos oppugnare, & à recto curſu, gratiáque gratis nobis per filium Dei data: deijcere. Qui conatus eius quoniam ſæpe non inanis fit, remediū nobis Ioannes indicauit Chriſtum, & Eccleſia præparauit ſacramentum pænitentiæ. Difficilis ratio eſt, in ſemel accepta iuſticia perſiſtere: Quā etſi fidem integrè in Chriſtum mediatorem & redemptorem noſtrum retineamus, peccatis ſæpe abolemus ac pdimus, Deum præuaricando in eum offendentes, & ad iram prouocantes. & nouis vulneribus conſauciati concidimꝰ. Quis erat Dei amantior? Quis præceptorum & iuſticiæ Dei obſeruātior?

1. *Ioan.* 2.

Homo varijs tentationum laqueis obnoxius.

tior? Quis apud Deum gratiosior ipso Dauide? cuius pietatis & obedientiæ & amoris DEI vox illa Diuina testis
Psal. 88. est. Inueni DAVID seruum meum, oleo sancto vnxi eum; manus mea auxiliabitur ei. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Cur quæso ita? Quia inquit, veritas mea & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur
1. Reg 13. cornu eius. Et alibi. Quæsiuit sibi do-
1 Reg. 16. minus virum iuxta cor suum. Et, Inue-
Act. 13. ni Dauid filium Iesse virum secundum cor meum, qui faciet voluntates meas; ac cætera multa, quæ viri huius apud DEVM tanti, virtutes, gratiam & perfectionem in lege, & præceptis Dei seruandis demonstrant. Qui tamen tot præsidijs virtutum, tanta gratia DEI munitus, subsistere non potuit, grauissimè commisso adulterio pri-
Lapsus Dauid mùm, moxque homicidio concidit, ac sententiam mortis in seipsum pronunciauit, DEVM à quo tantis muneribus exornatus erat, grauiter suo scelere offenso. Quam ruinam suam cum cognouisset, ad eam medicinam, quã

vnicam esse sibi expositam videret, & qua sola morbum suum, & vulnus mortiferum illud sanaret, pœnitentiam, peccati detestationem, & misericordiæ DEI implorationem confugit. Et qui olim dixerat suæ innocentiæ confidens: Domine si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. Et, neque peccatum meum, neque iniquitas mea, sine iniquitate cucurri: agnita sua infirmitate, ruináque sua præsenti, exclamat: Miserere mei DEVS secundum magnam misericordiam tuam. Et ruinæ suæ causam reddit, quod infirmus sit, quod in iniquitatibus conceptus esset, & in peccato natus sit. Agnoscit Dauid se infirmum esse, agnoscit causam infirmitatis suæ peccatum, in quo & conceptus & natus esset, quod originis peccatum vocatur, cum quo & concipimur & nascimur, quod vires nostras bonis rebus agendis, & in iusticia perseuerandi, debilitat, ac sẽsus nostros ad mala oĩa inflectit, ac planè præcipites agit. Vnde illa diuina vox sens⁹ & cogitiones hoĩs prona sunt ad malũ: peccato enim li-

Psal. 7.
Psal. 58.
Medicina Dauid.
Psal. 50.

bera voluntas noſtra debilitata & infirma reddita, non facilè malis reſiſtere poteſt. Quare perſeuerare in iuſticia Dei ſemel accepta, & in gratia vocationis noſtræ, non facilè poſſumus, niſi idem ille Deus qui nos vocauit, qui in nos ſua munera effudit, qui nos iuſtificauit, qui nos ſua gratia foueat, ſuſtentet & currentes poſt ſe fulciat: Donũ Dei eſt perſeuerantia, in qua nemo perpetuò & in finem vſque permanere ſine Chriſto adiutore poteſt. Si Dauid tot tantiſque virtutibus præſentique gratia Dei munitus, ad aſpectum vni⁹ mulierculæ conciderit, difficilis omnino noſtra perſeuerantia eſt, quibus vndique inſidiæ, tum carnis, tum Sathanæ, tum mundi huius tenduntur. Nemo igitur quid poſterius docebimus, & pietati & vocationi ſuæ tantum confidat, vt ſemel iuſtificatus, perpetuò ſe gratiam DEI retinere, & in ſua illa iuſticia ac innocentia permanere poſſe certò credat: Donum hoc DEI eſt, non ex nobis eſt. In nobis quidem, ſed non ex nobis. Si ille manum nobis ſuam ſubduxerit: niſi

Non eſt facilè in gratia accepta permanere.

Perſeuerantia donũ Dei.

nos

nos vt gallina pullos suos sub alas suas collectos foueat, calefaciat, tegat, statim rapinæ mundi, & pruinæ peccati exponimur, multis casibus & ruinæ præsenti obnoxij sumus. Et quemadmodum mare ingressi, & si tranquillo cœlo vtantur, cursuque secundo velis extensis ferantur, tamen non ante se saluos esse iudicant, quam in portum venerint, quam cum omnes tempestates & scopolos omnes superauerint: Ita & nos, etsi nauem CHRISTI conscendimus, etsi secundis ventis gratiæ eius ferimur, tempestatem tamen aduersam mundi huius tentationum, insidias Diaboli prædonis, & scopulos in corpore nostro latentes extimescere debemus. Contra quæ pericula, & ne accidant, etsi accidant, præsidia nobis constituta. Ne accidant, timor & diuini præsidij inuocatio. Vnde illud est: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Etsi acciderint, si nauem nostram, vel euerterint, vel fregerint, & in scopulos impulerint,

Tempestas ante portum metuenda.

Matth 6. Luc. 11.

Naufragio facto quæ tabulæ arripienda. tabula nobis quæ arripienda fuerit in Ecclesia parata, demonstratur, Pœnitentiæ Sacramentum, quæ est fletus & detestatio peccati, confessio, animus contritus, misericordiæ diuinæ imploratio, vitæ emendatio, preces, eleęmosinæ, ac carnis ieiunio & vigelijs coercitio, scopulorúmque in eo hærentium conuulsio. Hoc modo DAVID naui sua qua securus ferebatur, tempestate peccati fracta, quæ tota mergebatur, enatauit, hanc tabulam arripuit, huic hærens, ad portum salutis delatus. *Petri lapsus.* Hanc item PETRVS in illis fluctibus negati CHRISTI arripuit, & ei insistens, vitam & gratiam CHRISTI recuperauit, vtque pastor gregis CHRISTI, primus & princeps Apostolorum, cui claues regni cœlorum *Math. 16.* committerentur dignus indicatus, qui nobis exemplum esset, vt ipsis Iudæis DAVID fuit, ne peccatorum mole obruti desperemus, vt ad pœnitentiam refugiamus. Conuersus PETRVS confirmat fratres suos, & ne desperent peccato commisso, & *Luc. 22.* gratia DEI amissa hortatur, non tam ver-

verbis quàm exemplo suo. Qui cum apertè in ipsius Christi penè sinu consistens ipsum abiurauerit, & detestatus vitam suam fuerit, tamen pœnitentiæ medicina vulneribus suis admota, gratiam receperit, & à Christo rediuiuo, non solum per mulieres, sed etiam ipsum Christum ad se venientẽ vltrò salutatur, & ad veniam, gratiámque priorem liberaliter inuitatur, ac nobis peccantibus exemplar viuũ ꝓponitur, in quo & infirmitatẽ nostrã tanquam in speculo, & in gratiam, misericordiamq; Dei inspectemus. Quod negauit, quod Christum abiurauit Petrus infirmitatis & peccati nostri nos monet. Quod pœnitentiam agat, ꝙ fleat, suúmque facinus detestetur, quod reuocatur, & gratiam amissam recuperat, quod maximis muneribus à Christo ornatur, remedium nobis primũ pœnitentiam, deinde iusticiam nostram vnde sit, & prœmia eius nobis ob oculos ponit. Docebo, inquit DAVID, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Quomodo docuit Dauid iniquos? quomodo & Petrus,

Pœnitentiæ vis.
Luc. 24.
Marc. 14.
Psal. 50.

trus ſeipſum eis exemplum proponẽs, ne & iuſticiæ ſuæ fidant, etſi prolapſi fuerint, ad pænitentiæ medicinam cõ fugiant, gratiam per eam, vt & ipſe recuperaturi. Nec Petrus igitur, neque Dauid ſuis viribus conſiſtere in ea, quam receperant, gratia & iuſticia poterant. Lapſi ſunt, & quomodò vita amiſſa recuperanda ſit, nos ſua pænitentia docuerunt; Et non eſſe certè currentis, & volentis, ſed Dei miſereutis, progreſſusq́; noſtros præſidio ſuo munientis, hoc mun⁹ eſſe nos monuerũt. Qui igitur ſtat, caueat ne cadat. Quod ſi ceciderit, miſericordiam Dei imploret, ac ad pænitentiam totũ ſe vertat. Neque enim impiæ illæ voces, doctrinàq; inſidioſa quorundam audienda eſt; pænitentiã non aliam eſſe quàm fidem, q̃ cũ initium vitæ conſtituiſtent, noſtræ ei acceptam retuliſſent, donũ Dei è quo omnia alia dona promanarent, fontémque vitæ & iuſticiæ noſtrę confeſſi eſſent, mox inter pænitentiæ partes eam retulerunt, quaſi non videant, fidem donum Dei, & op⁹ abſolutè bo-

Roman. 9.

Aduerſariorum ineptiæ.

tè bonum eſſe:pęnitentiam autem lu ctum & deteſtationem ſceleris admiſſi, erroriſq; emēdationem. Non ſua vi neque ſua natura pœnitentia bonum opus eſt, ſed tantum eo modo quod malum opus damnat, quod errorem & peccati magnitudinem agnoſcit, cor libidine peccati ardens, frangit & cōterit, & ab iniquitate perprętata reuocat: Non omnis pœnitentia opus bonum eſt. Pœnituit Sceuolam illū, qui primum hoc nomē apud Romanos ſortitus eſt, quod non Regem ipſum Porſenam, ſed purpuratū ſibi aſſidentem occiderit. Pœnitet latrones, quod à curſu ſuo aberrauerint, & rapinas facere non potuerint. Pœnitet adulteros, quod ne adulteriū perficerent, tardius venerint: Sed pœnitentia hæc non ſolùm non eſt opus bonum, ſed etiam ſceleris augmentum. Pœnituit Saulem, quod Dauid non occiderit: Pęnituit Iudam quod innocentem ſanguinem vēdiderit: pœnituiſſe multos vel erroris vel facti cuiuſpiam ſcimus, vel gentiles vel fideles etiā: Quorum tamē pœnitentia non erat bona,

Fidē non eſſe partem pœnitentiæ oſtenditur.

1. Reg. 20.
Matth. 27.

nec remiſſionem admiſſi erroris meruit Fides autem vt vel iſti ipſi contendunt nunquam eſt mala, ſed donum Dei. Semper eſt bona, ſemper manet, non ex malo ortum habet, verùm ex ipſo bonitatis fonte Deo, cuius opus eſt, vti iam diximus. Opus eſt quidem in pœnitendo, non ſolùm fide, verùm & ſpe remiſſionis peccatorum indubitata, op⁹ eſt credere Deum, pœnitenti ſyncero corde peccata remittere, & priori eum gratiæ reſtituere. Verumtamen alia eſt pœnitentia, quæ fidei ſubſidia poſcit: alia fides quæ poſtulatur, & iuſtificationis eſt initium, pęnitentia peccati comes eſt: eſt enim admiſſi peccati deteſtatio, & dolor in corde noſtro natus. Fides autem ante peccatum eſt, antequàm Adam peccaret fides erat. Credebat Adam verbo Dei, credebat, ſi de fructu vetitæ arboris ediſſet, ſe moriturum, credebat Deum eſſe, & remuneratorem operum eſſe bonorum. Poſterius fraude Sathanæ per os ſerpentis Euam aggredien-
Gen. 3.
te, à fide illa cui vita æterna propoſita erat ſeductus, & ad incredulitatem

præcipitatus peccatum cõmisit, quod & mors & pœnitentia consequebantur. Non erat opus pœnitentia, si non peccasset: peccati pęnitentia est, & peccatum pœnitētiæ peccatum. Sunt hæc ex eo genere rerum quę inter se conferuntur, & alterum alterius subsistentia est, cùm fides sit ex ijs quæ absolutè enunciantur, nec aliundè subsistentia eorum dependeat. Erat fides ante peccati ortum, non erat pœnitentia. Premium fidei Adæ vita ęterna proponebatur antequàm peccasset: peccatum, pœnitentia & dolor ille & fuga parentum nostrorum consequitur, fidei obiectum Christus ipse est, quem solũ respicit, pœnitentiæ verò peccatũ quod detestatur. Fides est in Christũ, fides in Deũ patrem, fides in Spiritũ sanctum, fides certò credit omnia, quæ Deus ꝑ filium suũ promisit, fides corda nostra stabilit, lætitiam in nobis excitat, solatur, firmat: pœnitentia frangit, mœrore & dolore nos cõficit, pleróſq; etiam de statu mentis suæ deijcit, omnisque mœroris & fracti animi causa est. Quem nisi fides & spes erigant, ac

Fides ante pænitentiã.

opem illi adferant, ſimulachrum mortis eſt. Si igitur vt iſti volunt, fides pœnitentiæ particula eſt, oportet fidem eſſe comitē peccati, & ex peccato naſci. Oportet concedi fidem, cùm eſſet nōdum fuiſſe. Fuiſſe quidem ante peccatum, cùm nōdum pœnitentia eſſet. Quod Adam Deum eſſe, & remuneratorem eſſe crederet: Nō fuiſſe autem, quoniam peccatum quod pœnitentia comittatur, patratum non fuerit, niſi fortè duas fides eſſe velint, & alterius ortus ipſe ſit Deus, alterius peccatum. Et aliam fidem eſſe, quæ corda noſtra ſolatur & erigit: aliā quæ frangit, mœrore afficiat, & quæ à malo originem trahat. Quæ quoniam inepta ſunt, & non modo ſanę rationi, verumetiam corrupto ſenſui repugnent, & reprehendenda, & vt vana reijcienda, & vt à delirantibus menteque captis cōficta damnanda. Aliud eſt pœnitere dolereque ob peccatum admiſſum, aliud credere. Credidit Dauid antequàm peccaſſet. Credidi, inquit, & locutus ſum: Pœnitentiam tum demùm egit, cùm adulter & homicida factus eſſet.

Fidei & pœnitentiæ differentia.

Pſal. 115.

Non

Non ſunt idem ea, quæ & temporibus diſtincta ſunt, & origines obiectaque diuerſa in quibus verſentur, & ad quæ referantur, habent. Si in gratia & iuſtitia per fidem apprehenſa conſiſteremus, immotique perſeueraremus in finem vitæ non peccantes, pœnitentiæ Sacramēto opus non fuiſſet, cùm cauſa eius inſtituendę, fuerit peccatum ipſum commiſſum, & à gratia accepta & iuſtificatione fide apprehēſa diſceſſio, qui viam rectam ingreſſus, non aberrat ab ea, reductione non eget: errorem reductio ſequitur. Fides & baptiſmus via recta iuſtitiæ, pœnitentia aberrantium ab illo vero curſu reuocatio & reductio eſt. Quæ quàm diuerſa ſint, vtroque etiam oculo captus videret. Si aberrauerit à ſuo curſu, & aliò quàm quò venire conſtituit deflexerit, reduci optat, opemq́, prætereūtiū implorat. Aliud eſſe iter ſentiēs, in qđ errore delapſus, aliud qđ ingredi conſtituerat. Sed de diſcrimine fidei & pœnitētię ſatis, ſine fide nemo iuſt⁹, nemo vitā cōſecut⁹: ſine pœnitentia niſi peccaſſet, æternā vitā & iuſtitiā ob ſolam fidem

fidem conſecutus fuiſſet. Et beata virgo abſque pœnitentia, non ſolùm iuſtitiam & vitam conſecuta per fidem, verùm etiã mater vitæ noſtræ eſſe meruit. Beata, inquit Elizabeta es, quæ credidiſti. Non cadit in Deiparam virginem peccatum. Neque igitur pœnitẽtia in ea locum habet: at fides in ea locum habuit, ob fidem enim benedicta eſſe pronunciatur. Fides abſolutè bona eſt, vtpotè donum & opus Dei: pœnitentia eo tantum modo bona, quod Dei auxilio in cordibus noſtris accenditur, quod malum deteſtatur, quod ob bonum amiſſum & gratiã Dei deperditam, dolore corda noſtra conterit, & ad bonum op⁹ reuocat, recuperandæq́; gratiæ inſtrumentum ſit. Nã quod à peccato ortum habeat, eo modo inter bona numerari non meretur, & propterea non omnem pœnitentiã, aut bonam, aut Sacramentum eſſe diximus. Quatenus à peccato oritur, nõ eſt bona, qua parte Dei mot⁹ in nobis eſt, & Dei gratia infuſa excitatur, cordaque noſtra incendit deſiderio gratię & bonorum Dei amiſſorũ recuperando-

B virgo ſine pœnitentia.

Luc. 1.

Pœnitentia cur bona.

do-

dorum,& odio peccati bona eſt & Sacramentū:Fides aūt abſq; diſtinctione omni bona eſt, opus Dei, donum ſancti ſpiritus eſt : quæ gratia etiā propter peccatū mortiferum,& iuſtitia amiſſa permanet Nam quod quidam dicunt, peccato mortali fidem amitti,id & vanum & impium eſt. Non amiſit Corinthius fidem propter peccatum cōmiſſum fidelis erat, ſed gratiam amiſerat, cui per pœnitentiam reſtituitur. Sed lōgius progredior quàm res poſtulat. Conſtat aliud fidem eſſe, aliud pœnitentiam, ineptéq; eos facere, qui ſatiſfactione,quæ eſt pars veræ pœnitentiæ reiecta, fidem cui omnem iuſtificationem ipſi attribuunt,inter partes pœnitentiæ numerant. cùm pœnitentia aliud prorſus ſit Sacramentum à baptiſmi Sacramēto vbi ex ſola fide iuſtificatio dependeat Fatemur pœnitētiā vt & omne bonum opus abſq; fide nō eſſe, cùm fides & vitæ & iuſtitiæ, & omnis meriti noſtri fundamentum ſit: non tamen inde neceſſariò colligi debet, fidem partem pœnitentiæ eſſe, cùm eadem ratione, eam etiam

Fides abſque diſtinctione bona.

1. Cor. 5.

bono-

Si fides pars pœnitētiæ, etiam & operum bonorū pars est. bonorum operum & charitatis officiorum partem esse, dicēdum esset, cùm opera illa sine fide nō possint esse Deo grata, cùm illi nonnisi ea opera, quę fides per dilectionem operetur, placeāt, & hæc sit principium & fundamētum quod iustificationem nostrā sustineat, & vnde gratia Dei in nos effundatur, & propter quam ab impietate ad Christum vocati, iusti pronunciamur. In qua si constanter & citra vllam offensionē perseueraremus, nec in hoc cursu nostro bonisque operibus (quæ ex radice eius oriuntur) exercendis, & iustificatione nostra per opera charitatis augenda, in offendiculum peccati impingerimus, pœnitentia nobis non fuisset necessaria. *Non peccāti, pœnitentia non est necessaria, fides verò necessaria.* Verumenimuero quia non quiuis in ea integrè & absq; omni offensione permanere, & ad metam vsque decurrere potest, propter eam, quam dixi, nostram infirmitatem, & laqueos diaboli, alio nobis præsidio, & alia medicina opus fuit, ad quam lapsi & gratia amissa, ipsa fide retenta decurreremus, ac vulneribus nouis morbisque nouis, noua subsidia peterem⁹. *Gratia amissa fides retinetur.*

Pauci

Pauci ecquidem ſunt, quibus hoc ſingulari Dei dono & gratia datum eſt, vt inoffenſæ curriculum vitæ conficiant, ad metam perueniant. Plures ſunt qui corruunt, plures qui hac medicina egent, & vt naufragio iuſtitiæ & gratiæ facto, enatent, tabulam hanc pœnitentiæ arripiunt. Falluntur vehementer illi, qui ſemel iuſtificatos & gratia Dei illuminatos peccare poſſe negãt, cùm exempla clariſſimè teſtantur, multos lapſos eſſe, & pœnitẽtiæ beneficio gratiæ Dei, reſtitutos eſſe, vt Dauid, vt Corintheum, vt alios plurimos. Qui etſi iuſti fuiſſe, & Deo dilecti ſcribantur, tamen poſt acceptam gratiam peccarunt, ac iuſtitiam ſuam deformarunt, gratiamque gratis datam, & bonis operibus cumulatam vna hora euerterint, prolapſi in peccatum. Salomon delitiæ Dei quàm grauiter lapſus fuerit, notius eſt, quàm vt narrare opus fuerit. Nicolaus Antiochenus inter ſeptem Diaconos boni teſtimonij ab Eccleſia numeratus, & Apoſtolorum authoritate cum cæteris confirmatus, dono Dei accepto, & poſt multa pieta-

Multi poſt acceptam gratiam cadunt.

Act. 6.

tatis opera & exercitationes, in turpe illam hæresim prolapsus, quæ ab eo Nicolaitarum appellatur. Non fidat sibi quisquam semel accepta gratia. Qui stat, videat ne cadat. Opem DEI imploret, ne inducatur in tẽtationem oret, ne post baptismum & acceptam iusticiam gratiamque superbiat, viribusque suis tantum fidat. Nam vt sua præsidia implorantibus, Deus opem fert, imbecillitatem eorum roborat: ita viribus suis nimium confidentes & elatos deserit, ac suis viribus permissos superbiam eorum ruina redarguit. Quod non solum Salomoni, verum & ipsi Dauid, qui soleret dicere: Si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, accidit. Vterque in peccatum lapsus, vterque ad pœnitentiæ remedium cõfugit, quæ præparat & disponit homines ad iusticiam amissam & gratiam DEI euersam, recuperandam. Nam vt fides ad baptismum venientes, obedientiáque vocanti DEO, præparat & disponit homines ad gratiam & iustificationem per fidem in baptismo primum accipiendam: ita pœnitentia

1. Cor 10.

Confidentes sibi Deus deserit.

Psal 7.

eos qui acceptam amiſerunt, ad recu-perandam præparat, & qui in poſſeſſi-onem amiſſam ob peccati fœditatem iterum reducatur, dignos reddit: DEVS enim qui cor contritum & humilitatum non deſpicit, vt viderit hominem lapſum, pœnitentiam admiſſi ſceleris agere, miſeriam in quam prolapſus fuerit, quæ bona amiſerit, vnde exciderit agnoſcere, & peccatum ſuum deteſtari, miſericordiam ſuam implorare, dignum cui ignoſcat, quem in ſuum locum reſtituat, pronunciat, ac ita iterum nobis iuſticiam ſuam & gratiam reddit, ac inter filios & regni ſui hæredes numerat. Per pœnitentiam DAVID amiſſam gratiam reuocauit: Pœnitentia & fletus Ezechiæ in ſedecimum annũ vitam produxit, ac gratiam ſuperbia amiſſam, reſtituit. Poſſumus igitur iuſtificati peccare, poſſumꝰ ꝑ pœnitentiã gratiã & iuſtitiã peccato amiſſam recuperare. Si perſiſteremus in priore iuſticia, & ad finẽ vitæ vſq; ꝑſeueraremus, nuſq̃ offenſo Deo niſi ad peccata relabi ſemel deguſtato dono Dei, poſſemꝰ & de virtute in virtutem

Pœnitentia præparat ad recuperandã gratiã amiſſam.

Pſal. 50.

4. Reg. 20.

de fide in fidem, de gratia in gratiam charitatis operibus exercendis, aſcenderemus, nullo offendiculo facto. Si morbum ſemel ſanatum vulnuſq; nõ refricaremus, ad altetã hanc medicinã decurrere nos, nõ fuerit neceſſe. Quod quoniam etſi non omnino impoſſibile, verùm tamen difficile ſit: & ſolis prędeſtinatis ſingulari gratia à Deo datum, remedio, recrudeſcentibus morbis nouo opus fuit, quod CHriſtus cõfectum in Eccleſię ſinu nobis repoſuit, ad quod aſſiduè nos peccantes, & ipſe & mater noſtra Eccleſia vocat dicens: Conuertimini ad me & ego reuertar ad vos. Promittit ſe peccatorũ noſtrorum, ſi pęnitentiam agamus & à vitijs noſtris peſſimis ad ſe redeamus, nõ recordaturum. Atq; hæc eſt præparatio & diſpoſitio ad ſecundam iuſtitiam & gratiam amiſſam, recuperandam; quã hoc contextu verborum Sacroſanctũ Concilium Tridentinum deſcribit & informat. Si, inquit, ea in regeneratis omnibus gratitudo erga DEVM eſſet, vt iuſtitiam, in baptiſmo ipſius beneficio & gratia, ſuſceptam, conſtan-

Morbus peccati recrudeſcens, medicina noua opus habet.

Malach. 3.

Eſa. 43.

Tridẽtini Cõcilij decretũ.

ſtanter tuerentur, non fuiſſet opus, aliud ab ipſo baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem inſtitui. Quoniam autem DEVS diues in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapſis poſt baptiſmum beneficium mortis CHriſti applicatur. Fuit quidem pœnitentia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequēdam neceſſaria, illis etiam qui baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt peruerſitate abiecta, & emundata, tantam Dei offenſionem cum peccati odio, & pio animi dolore, deteſtaremur. Vnde Propheta ait: Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & nō erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus etiā dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et princeps Apoſtolorum Petrus peccatoribus baptiſmo initian-

Cur Sacramentū pœnitentiæ inſtitutum.

Ezech. 18.

Luc. 13.

Act.2. dis pœnitentiam commendans dicebat: Pœnitentiã agite & baptizetur vnusquisq; vestrum. Porrò nec ante aduentũ Christi Pœnitentia erat Sacramentũ, nec est post aduentũ illius cuique ante babtismum. Dominus autẽ Sacramentũ pœnitentiæ tũc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus, insufflauit in discipulos suos dicens. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt. Quo tam insigni facto, & verbis tã perspicuis potestatem remittendi & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis & eorũ legittimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum patrũ consensus semper intellexit, & Nouitianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit, atque condemnauit. Atque hæc est præparatio eorum, qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderint, & qui hanc rationem reparationis nostræ tollunt, lucem soli

Quando pœnitentia cœpit esse Sacratum.

Ioan.20.

auferre

auferre conantur, ac Dei misericordię derogant, quales Nouationos fuisse pa- *Nouatiani.* tres sancti nobis tradiderunt, quosque ob tam apertum errorem in loco hæreticorum, vt modo dictum est habuerunt, doctrinamque istam vt impiam ab Ecclesia exterminarūt. Reparati multi post lapsū, Christiq; gratiā recuperarunt; pænitētia in animo eorū à Deo excitata, vt exemplis clarissimis docuimus. Non vult DEVS peccatorem perire, sed conuerti & viuere: Non solum septies, sed septuagies septies erranti & peccanti ignosci voluit. Non cuiuis quidem peccanti, verū ei qui pœnitentiam egerit, qui errorē suum damnauerit, peccatum commissum oderit, quod veræ pœniten- *Pœnitentiæ veræ signa.* tiæ munus est. Quare vt istorum error est abominandus, qui pœnitentiæ locum in lapsis esse negant: ita & eorum impudens asseueratio non ferenda, *Opinio non ferenda.* qui hominem semel iustum à Deo ꝓnunciatum, à gratia illa iustificationis excidere negant, cum apertissimè exēpla innumera doceant, hoēs à gratia iustificationis sæpè excidisse, & Paulꝰ di-

cat auaros fidei naufragium fecisse, & omnes fornicarios, adulteros, moles, masculorũ cõcubitores, fures, auaros, ebriosos, maledicos, rapaces, cæterisque vitijs obrutos, neget regnum Dei possidere. Quod quidem non de Gentibus & idololatris scribit, verũ Christianos & fideles monet, ne tales sint. Nam si fideles peccato gratiam iustificationis in se non corrumperent, quomodo fieri posset, vt ob ea peccata quæ recenset, & ne in eo errent admonet, à regno cœlesti, quod gratia Dei iustificatis datum est excluderet Apostolus? Hoc docet, hoc agit Paulus, vt non errent, vt sciant peccatis mortalibus perpetratis, iustificationis dona in se euertere, fidemque illis ad vitia priora relapsis, nihil ad vitam promissam conferre, nec minus quàm infideles damnari. Neque igitur eorum doctrina probanda, qui negãt peccato mortali, iustificationis gratiã fideles amittere: neq; illorum qui denegant lapsis veniam, & non posse iustitiæ gratiam amissam, pœnitentia agẽda recuperare contendunt. Sed neq; illi probandi,

Error insignis.

qui

qui aut non posse hominem semel iustificatum peccare, aut sine gratia Dei & auxilio ad finem vsque vitæ sine peccato perseuerare posse, contendunt. Quemadmodum & illorum detestandus error, qui præcepta Dei obseruatu homini impossibilia esse, & propterea ad eorum obseruationem fideles non adstringi doceant. Neque enim ita grauia sunt, vt portari non possint. Nihil Deus nobis pręcepit, quod portare nō possemus, imò iugum suum suaue, & on⁹ suum leue esse ait, & eum beatum esse vocat, qui iugum suum ab adolescentia portare didicerit. Arcta quidem via est qua itur ad vitam, sed ijs arcta & ardua qui vitijs onerati, mundoq́, dediti & mancipia eius facti: At ijs qui CHristi desiderio flagrant, nihil quod Christi est graue, qui vel montes ipsos transferãt, & sint sanè ea grauia, vt quidem nobis mundi illecebris constrictis, grauia sunt. At diuino auxilio accedente, leuia & ad implendum facilia fuerint, Nihil est apud Deum impossibile, nihil ijs qui se ei tradiderunt, eiusque ope nituntur, graue & difficilè.

Præcepta Dei obseruatu non difficilia.

Matth.11.

Sed neq; propterea quod grauia sunt negligenda, cum grauibus ferendis virtus probetur, & probata premijs orne-tur. Currere nos Paulus iubet, vt comprehendamus. Grauis contentio, vehemens & laboris plen⁹ cursus eorum est, qui in stadio currunt: nihil tamen eo deterrentur, quominus currant, vt premia & honorem cōsequantur: grauitatem ponderis, magnitudo premij subleuat, viresq́; ferentibus auget. Certauit Paulus & cursum consumauit ob eam coronam quam sibi repositam vidit, nihilque tam arduum, tam graue putauit, quod spe eius coronæ non aggrederetur, & humeris suis imponi nollet: nihil est amanti difficile. Si Christum amas, nihil eorū quæ præcepit tibi difficile fuerit. Sed ad alia pergamus.

1. Corint. 9.

Premia pondus leue reddant.

Timorem gehennæ ignis, inferi, & suppliciorum, præmiaq́ue proposita, ne vocati in suo cursu concidant, custodes & exhortatores esse.

CAP. XXXVI.

Erunt,

ERunt, inquit Apostolus, cùm sanam doctrinam homines non sustinebunt, sed ad sua desideria, coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. Quod cùm alias verum esse, tum verò hac ætate nostra, quæ præter fidẽ & Dei misericordiam audire nihil sustinet, & verum esse deprehenditur. Non sustinent isti qui noua dogmata instituunt, nouoque Euangelicorum nomine gloriantur: sanam doctrinam, quæ non solùm fidem salutis nostræ & iustitiæ fontem, & Dei summam erga nos misericordiam prædicat, verùm etiam de timore DEI, de supplicijs impiorum, peccati turpitudine, igne æterno, diabolo & angelis eius parato, iudicio seuero, DEI, supplicijsque inferorum disserit: premia bonis, supplicia malis decernit, virtutes commendat, bona opera exigit, peccandi licentiam coercet; vitia, libidines, homicidia, adulteria, scortationem fornicationem, & id genus plurima damnat, æternisque supplicijs mactat. Non sustinent hanc doctrinam corrupti huius ætatis mores.

Euangelici sanam doctrinã non sustinẽt.

Sana doctrina quæ doceat.

Matth. 25.

Vt

Vt primùm de supplicijs dieque iudi-dicij tremendo in sermonem ingredi-aris, deiecto vultu discedunt. De gra-tia, bonitate, misericordia Dei, Christi meritis, disseri apud se volunt, & vera hac doctrina relicta, eiusq; doctoribus damnatis, Magistros eos qui à Paulo describuntur, coaceruant, qui suis au-ribus libidine estuantibus, blandian-tur, qui regna cœlestia sibi obtrudant, merita Christi ostentent, fidem solam satis esse, qua omnia illa consequatur, asserant, peccati nullam mentionem faciant, libertatem viuendi scelerate permittant, neminem qui credat, eti-amsi sceleratissimus sit, etiamsi idolo-latras, libidinibus, & alijs sceleribus ex ercendis superet, damnari posse, nisi Christus ipse primùm damnatus fuerit, vt calua mens illa Caluini non solùm docere suos, sed etiam institutionibus illis suis, quibus omnem impietatem complexus est, tanquam fundamen-tum salutis suorum inserere non eru-buerat, ac se in ea impietate proden-da, vt victor iactauit, suæque ele-gantiæ vim monstrare contendit. Hæc cer-

Magistri Euangelicorũ quid doceãt.

Institutiones Caluini.

certè est illa prurientiũ aurium doctrina, hæc vitia ornat, libidines coronat, fures, adulteros, omniumque scelerum authores cœlo infert, inferni ignes mendacijs suis extinguit, imò infernum ipsum suppliciaque illa obruit euertitque, & homines ad peccandum & impiè viuendum securitate suppliciorum proposita inuitat, ac tum maximè Sathanæ cruciandos æternum tradit. Hoc fecit serpens ille, qui primum hominem euertit. Videbat metu supplicij, metu mortis à Deo denunciatæ. Euam abstinere à fructu vetito, videbat metu eam in officio & Dei pręceptis perseuerare. Tollit igitur illum metum, mortem non timendam, quæ nulla esset, concionatur, ac incautam mulierem securitate illa mortis & supplicij ostẽtata, in fraudem præcipitat, & morti Sathanæque suo magistro tradit. Illius serpentis ista est progenies: hinc istæ viperæ sunt natæ, quæ homines securos suppliciorum reddunt, & merita CHRISTI regnaque cœlestia sola ostentant, serpẽtem illum antiquum cuius pro-

Doctrina Euangelicorũ.

Serpens metu sublato hominem decepit. Gen. 3.

Hæretici viperæ, proles veteris serpentis.

progenies sunt, imitantur. Quo metu mortis Euæ adempto, scientiam bonorum & malorum, hoc verò est diuinitatem ostentauit. Eritis, inquiens, sicut dij scientes bonum & malum. Veteris huius magistri sunt hæc noua volumina, noui lapsus, nouum venenũ, Doctores isti, auribus prurientibus inseruientes, supplicia scelerum tollentes, sola Christi merita & fidem solam proferentes, quasi CHristus scelerum patronus sit? quasi non propter peccata euertenda venerit? quasi nõ nouum hominem exuto veteri nos induere voluerit? Nihil fides in CHristum, si in veteri fermento, quod Paulus expurgare, azimosq; fieri nos iubet, permaneas, si vt sus ad volutabrum cœni, & canis ad vomitum redieris, tibi profuerit. Crucem suam portantes Christus agnoscit, meritorumque suorum participes esse decernit; hædos libidinem mundi olentes, in ignem æternum detrudit, quod isti propter pruritum illũ suum & libidines mundi huius, quibꝰ æstuãt, aut nõ vident, aut vidẽt qdẽ, nã nec cœca mens ea ignorare potest, ve-

Christus cur venerit.

1. Cor. 5.

2. Pet. 2.

Libido veritati aduersatur.

rum libidine victi, veritati ipsi apertè, aduersantur, ac tacere sanæ doctrinæ Magistros iubent, & suis libidinibus blandientes coaceruãt magistros. Nõ est hoc Christi discipulum esse, non est è schola discipulorum Christi prodijsse, sed potius è Neronis, omni libidinũ ac scelerum fabrica, è qua prodierat Fœlix ille, apud quem Paulus, cùm de iustitia, castitate, & de iudicio futuro disputaret, conscientia suorum scelerum tremefactus, Paulum tacere & abire iussit: mortifer enim morbus & perdita valetudo, medicinam aspernatur, interireq; quàm sanari malit. Cùm isti de pœnis inferi, malorum supplicijs, æterno igne, in quem mittendi esse, nisi à peccatis discedãt, nisi nouam vitã, nouum hominem CHristum cũ fide induant, dicuntur, medicinã hanc doctrinæ & admonitiones salutares auersantur, deserta sana doctrina discedunt, scholas nouas & Neronis libidinũ officinas quib⁹ Spintriæ prę sint, cõstituũt, & omni metu pœnarũ ac supplicij remoto, solã fidẽ cõcrepãtes, ĩ libidinũ ac scelerũ volutabro deliciãtur quasi

Act. 24.
Fœlix Paulo disputante exterritus.

Euãgelici vnde cœlũ affectant. quasi statim cœlos inde scãsuri, & quasi monstra illa quæ impij finxerunt, vrsarum, serpentum, Iunonis, Veneris, Ganimedis, & aliorum sceleratorum socij & cohæredes futuri. Vnde, vt ibi integrum retineant regnum; sanctos *Euãgelici cur sanctos oppugnant.* detrahere conantur, metuentes scilicet, ne & illis suis sceleribus aduersentur. Non est dissimilis ratio doctrinæ istorum: perinde isti vitijs & nefandis quidem libidinib⁹ regna cœlestia partiuntur, & tradunt, atque vetustas illa idolorum cultrix ac scelerum omniũ inuentrix, ob eas ipsas libidines Venus *Euãgelium aduersariorũ carnale.* translata in cœlum, cæteraque illa cõficta monstra. Quid igitur ab his isti differunt? Si vitam spectes, nihil, imò ipsissimi Ioues, Martes, Vulcani, Veneres, Iunones sunt: sin religionem, hoc ipso ab eis alieni sunt, quod Euangelium in ore & fidem solam habent: Christum verò quem ore professi, factis & vitæ turpitudine, vitiorumque magnitudine, qua monstra illa superant, abnegant, vbi bonis operibus & charitate, sine qua fides nihil est, locus non datur: Quid ibi CHristus habet? Quid suum

um esse agnoscitur? Fidem inquies, Fidem ille postulat, non opera. Quid igitur habes, quo à diabolo differas? Habet ille fidem, credit & contremiscit. Si hoc satis est, priorem ille locum in regno illo tuo cœlesti habet, prior credit, & ita credit vt contremiscat, cum tu omnem timorem amoueris, ac ad nomen Dei non solum non cõtremiscas, verum etiã ad omne facinus proruas, audaciúsq; pecces. Non solam fidem Christus, & sui discipuli nobis cõmendarunt; opera etiam charitatis postulant, fictã fidem & mortuam damnarunt, viuam requirunt, quæ per dilectionem operatur, quæ cum spe & charitate coniuncta vigeat, omnéque scelus abominetur, damnet & frangat, quæ virtutis ac pietatis opera exerceat cõplectatur & persequatur. Quæ quoniam contemnis & damnas, eodem numero quod monstra illa gentilium, ac ipse omnium scelerum inuentor Sathan vis haberi. Illa sana est doctrina, quæ vicijs non blanditur, quæ pœnas irrogat, metu suppliciorum ad officium pietatis homines errantes reuocat

Vera doctrina.

quæ non ſolum premia iuſtis cū Chriſto ipſo, verū etiam impijs & ſceleratis graues pœnas, diem iudicij tremendum proponit, peccata damnat, in ignem mittit, vt & premijs vitæ æternæ ac beatæ oculis ſuis expoſitis, ad benè agendum piè & caſtè & ſobriè viuendum, auditorem prouocet & excitet, & pœnis monſtratis, inferni baratro aperto, peccatorum ſupplicijs explicatis, igne æterno accenſo & ſceleribus intentato, metu gehennæ à peccando deterreat, & ad piè viuendum impellat. Vtrumq; CHRISTVS nobis propoſuit, inter ignem & aquam nos poſuit; ignis exurit, aqua reficit aduſtos. Quod vel ille epulo qui Lazarum neglexerat teſtatur, cum guttam aquæ, linguæ flamma exuſtæ recreandæ poſtulat. Inter metum & ſpem poſiti ſumus, gehenna nos terret, ſpes coronæ bonis operib⁹ expoſita, ſolatur. Ibi ſupplicia malorum, hîc premia bonorū. Vidit Paulus ipſe inter hęc duo curſum ſuū poſitū eſſe, vidit in altera parte certaminis & curs⁹ ſui boni, coronā regni cæleſtis, q̃ certò ſibi pollicetur de

Inter ſpem & metum hominum locatum eſſe

curſo

curſo ſpacio quod ingreſſus erat: vidit ſupplicia & pœnas, ſi à curſu illo deflecteret, ſi certamen deſereret, ac è prælio prædicandi verbi DEI, gratiæque Christi excederet, ſi vocationi ſuæ non reſponderet, ſi ſe mundi illecebris vinci pateretur, ac certamine neglecto ocio & mundi voluptatib⁹ traderet; ac ꝓinde exclamat: Væ mihi niſi prædicauero. Cur ita Paule? Fidem habes, in Chriſtum credis, cur tibi væ niſi prædicaueris? Quæ ſupplicia te manent? qd metuis? Metuo dicet Paulus gehennã, metuo officij deſerti pœnam, illam ſcilicet; Qui me negauerit coram hominibus, negabo eũ coram patre meo. Negat autem eum, qui non prædicat, qui non ſequitur, qui crucem ſuam non tollit. Quæ igitur pœna hunc ſequitur? Negabo eũ corã patre meo, Quid hoc eſt? nunq̃ inter meos numerabo, nunq̃ coheredẽ faciam meum. Illud illi dicam: Amen dico tibi, neſcio te, vade maledicte in ignem æternum. Hanc ergo pœnam metuit Paulus, in quam ſi incidiſſet, diceret, væ mihi. Quã vt effugeret, & coronas acciperet,

Paulus non ſola premia ſed & ſupplicia ſpectauit.

Math. 10.

Math. 16.

laborat, prædicat, increpat opportunè importunè, pericula in mari, pericula in terra, pericula inter gentes, pericula inter ſuos adit; Flagellatur, virgis cædi-
2.Cor.11. tur, occiditur, mergitur, eſurit, alget, nullum periculum Chriſto prædicando effugit. Cur ita? Quia premijs, vt agat, excitatur & metu ſuppliciorum, ne deſiſtat, ne Chriſtum in quem crederet, corde, ore & factis abnegaret,
Matth.25. illámque vocem audiret, Amen dico vobis, neſcio vos, ite maledicti in ignẽ æternũ, terretur. Væ mihi, inquit Paulus, niſi prædicauero. Quamobrem væ? Propter eam pœnam, quam proſpicio negligentiæ meæ, & abiecto CHriſti prædicandi officio mihi imminere. Igitur Paulus non ſolum alios ſupplicijs à peccato deterret, premijſque ad piè viuendum incitat, verum ſeipſum etiam in eodem biuio poſitum eſſe teſtatur, & non ſolum premiorum ſpe, ſed etiam metu pænę Chriſtum prædicat, certamen pro illo certat, curſum conſumare contendit. Si Paulus vas electũ Chriſti metuit, ſi ſe iuſtum poſt tot labores exantlatos pronunciare non audet,

det, quid tu quæſo agis? Cur non metuis? cur ſuppliciorum & iudicij ſeueri mentionem apud te fieri nõ vis? cur ſecurus & omni metu ſolutus viuis? & quidem ita viuis, quomodo Paulus ne homines viuerent, tot labores obijt, tot pericula & diſcrimina adijt, die & nocte prædicare non ceſſauit? Scilicet tu Paulo iuſtior ac perfectior es? Plura tibi Chriſtus quàm Paulo debet? pluris te æſtimat, plus te amat, & propterea illum laboribus, vigilijs, ieiunijs, mortibus obiecit, te verò in lupanari voluptatum tuarum, vt mollius & ſecurius cubes locauit, vt te omni genere viciorum inquinatum, vt impudicam venerem à dextris ſuis locet, Pauloque anteponat. Non ſolum credere Paulum voluit, prędicando verbo ſuo periculis eum obiecit, niſique officiũ delatum ſtrenuè obiret, etiamſi mille fides haberet, væ illi denunciauit; te verò delicatum nihil boni agere, libidinibus vacare, genio indulgere hic voluit, vt nihil pro ſe perpeſſum Paulo ipſo altius tolleret, ac Sanctis qui piè vixerunt, qui labores, tormenta, crucia-

tus infinitos pro se pertulerunt, cœlo secundum tuam doctrinam deturbatis, te nouum Bacchum eó vocaret, vt nouo Ioui regnum cœli, in quo cum sua Iunone Venereque impudenter regnes, traderet? Fallimini viri boni, fallimini multum. Non hoc est iter Christi, non hac venitur in cœlum via: ad infernum quem magistri vestri doctrina sua obturarunt, tenditis, metu pœnarum remoto, in eas pœnas deducimini. Expergisci vos aliquo oportet à somno istorum Mercuriorum, quem oculis vestris vt Argo Mercurius infuderūt, vt nos causæ vestrę securè indormientes, Sathanę igni ęterno vrendos, ac morti metu eius sublato, quę Euæ accidit, traderēt. Duo sunt cursus nostri in hac vita custodes & ductores, metus pœnarū & spes pręmiorum. Alterum nos ad omnem pietatem inuitat, & volentes ducit: alterum inuitos etiam vrget, & nolentes ad rectè agendum impellit, & à vicijs repellit. Nā quemadmodū salutis nostræ author Deus, & q neminē perire, sed oēs saluos esse vult, nondū credentibus causas & occasiones,

Falluntur aduersarij.

Custodes nostri.

nes, quibus eos ad credendum & veritatem peruestigandam cognoscendā-q; excitet, offerre & præmittere solet, ita illuminatis, ad veritatis cognitionē deductis, & credentibus atq; iter vitæ ingressis, ne à recto cursu alio deflectant, ne vel illecebris mundi irretiti insistant, & ad mundi voluptates, vnde euocati sua bonitate essent, reuoluātur, vel molesto cursu laboribusq; pro Christo ferendis & periculis subeūdis fracti, cursum suū interrūpant, & ad ocium mundiq; desideria relabantur, custodes & duces eis apposuit, timorem suppliciorū & spem maximorū premiorū: quorum alter inferni tormenta, ignes, cruciatus æternos, tenebras vincula, tyrannum Sathanam, omneque suppliciorum genus, apertis inferorum claustris, eis ostentaret, & quasi faces serpentésque furiarum eis intentaret. Quibus exterriti, & mundi huius inanes & breues voluptates, desideria carnis, omneque genus viciorum ac peccati, quod regnum Sathanæ est, diffugiant ac euitent, illud inculcans eis semper; Qui mala egerūt *Regnum Sathanæ.*

Matth.25. ibunt in ignem æternum. Et, Ite maledicti in ignem æternum, Diabolo & angelis eius paratum, ibi erit fletus & ſtridor dentium, & alia plura. Ac non ſolum pœnas illas quæ fata ſequuntur explicet: verum etiam iram DEI in eos, qui veritati non obediunt, qui dotibus & DEI & ſuis, in hoc mundi curriculo abutuntur, impiè viuunt, ſceleribus indulgent: ſuppliciáque præſentia, quibus in hac vita affligantur, vt peſtem, famem, bella, vrbium excidia, cædes, regnum ac regnorum interitus demonſtret eáque illis omnia impendere denunciet. ſi à recta illa quam ingreſſi fuerint DEO pro ſua bonitate eos vocante deflexerint, & ſineglecta luce veritatis, caſtitate, iuſticia cæteriſque virtutibus, in tenebras viciorum ſe coniecerint, & ad volutabrum vt ſues, vomitúmque ſuum vt canes redierint; Hæc enim omnia genera ſuppliciorum, impietatem & mundi deſideria ſequuntur. Non ſolum apud inferos poſt hanc vitam impij cruciãtur, in hoc etiã mundo varijs ſupplicijs afficiuntur, ac ſuorũ ſcelerũ pœnas

Cõcionatoris boni officiũ.

Impiorũ ſupplicia.

pœnas dant. Dedit pœnas inobedientiæ suæ Saul: non tantum regnum perdidit, verùm & ipse cum tota stirpe interijt. Dederunt pœnas graues tyranni Pharaones, Antiochus, Hærodes, & alij plurimi impietatis suæ in Deum, in populumque eius, sui sceleris. Non solùm Sodomorum regnum hiatu terræ absorptum, propter ea quæ patrabant scelera: sed etiam populus Dei ob præuaricationem suam, & ciuitatẽ sanctam, & templum Dei amisit, & in sęuissimam & crudelem abductus seruitutem. Non solùm enim Deus scelera illa æterni ignis, quem Sathanæ & angelis eius parauit pœna mactat, verumetiam in hac vita sceleratè viuentes, & à sua lege & veritate recedentes, varijs supplicijs afficit. Non refero Iuda & Israel, impios reges, non refero quam graues pœnas impietatis suæ & præuaricatæ legis dederunt: hæc enim sacra historia copiosè exponit, quę exempla oculis nostris obijciuntur, propterea vt hoc metu in officio vocationis nostræ facilius retineamur, præuaricari in Deum non audeamus, Deum

Gen. 18. et 19

Scelerati & hic & in illa vita puniuntur.

nos ad coronas vocantem ſequamur. *Timor qualis cuſtos officij.* Malus quidem cuſtos officij eſt timor, facilè ſtationem ſuam deſerit: verumtamẽ quoniam ingenia hominum varia ſunt, varij cuſtodes illis neceſſariò quærebantur. Sunt enim quidam, qui totum ſtudium ſuum ad laudem, gloriam, honeſtatis amorem, & ad omne *Varia genera hominum.* genus virtutũ conferant, qui non metu ſuppliciorum, ſed deſiderio honeſti ferantur, qui non metu ſuppliciorum, ſed deſiderio honeſti ac virtutum, premiorumque, quæ virtutem & pietatem cõſequuntur, hoc eſt glorię & honoris, iter rectum ingrediantur, nec ſe vllis illecebris ab eo curſu deijci ſinũt. Sunt alij qui neque premijs, neque honore, neque vita illa æterna, quæ procul ab oculis eorum poſita ſunt commouentur: qui tamen & præſentes pœnas, & æterna poſt hanc vitam ſupplicia cõtemnere non poſſunt. Viderunt hoc ita eſſe etiã illi, qui in Rebuſpubl. non malè inſtitutis verſabãtur, quamuis lucem Euangelicam ingreſſi nõ fuerint, quamuis Deum verum huius œconomiæ diuinæ in deducendis nobis

bis ad vitam meliorem ignorauerint. Vidit hoc non malus & Reipub. gerendæ & dicendi magister Tullius, cuius verba hæc sunt: Et quoniam non ad veritatem solùm, sed etiam ad opiniones eorum qui audiunt, accommodanda est oratio, hoc primùm intelligamus, hominum duo esse genera: alterum indoctum & agreste, quod anteferat semper vtilitatem honestati: alterum humanum atque expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, iustitia, omnisque virtus: Illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusque proponitur, atq; etiam voluptas, quæ maximè est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quàm immanissimus quisque acerrimè sequitur, neque solùm honestis rebus, sed etiam necessarijs anteponit. In suadendo cum huic generi hominum consilium des, sæpè sanè laudanda est, & illud videndum, quantò magis homines mala fugiant, quàm sequan-

quantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quàm deuitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis vllum decus tam vn quam expetat, quàm ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor grauis est. Omnino genus hominum ad honestatem est natũ, sed malo cultu, opinionibusque corruptum. Quare in cohortando atq; suadendo, propositum quidem nobis illud erit, vt doceamus qua via bona consequi, malaque vitare possimus. Sed apud homines bene institutos, plurimum & de laude & de honestate dicemus, maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in cõmuni hominũ vtilitate tuenda augendaque versantur. Sin apud indoctos imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesq; dolorum proferantur: addantur etiam contumeliæ atque ignominiæ. Nemo enim est tam agrestis, quem non, si minus ipsa honestas, at contumelia tamẽ & dedecus magnoperè moueat. Hæc ille: quæ apertè docent, timorem supplici-

pliciorum, virtutis, honestatis, vtilitatisque, non rarò authorem & custodem officij esse. Malum quidem custodem metum dixerunt sapientes viri, & sit sanè malus: negari tamen non potest, mala sua vi & natura, vsu bona reddi, & venena medicinam morborum fieri. Malus timor est, sed vita æterna, quam ne transgrediendo præcepto Dei amittas, timor suppliciorum te coerceat, bona est. Bonum est, dum metu suppliciorum lucem Christi deserere non audes, ac diutius in ea detentus amare eam incipias, & quod metu pœnarum faciebas, sponte & amore eius, quod bonum esse expertus es, facias & complectaris. Sæpè fit vt timor in charitatem vertatur, vt quod timore negligere nolueris, amare incipias, & pro timore charitatem recipias: qua recepta timor foras eijcitur, hoc est, cessat esse custos tuus, charitas te eò ducit volentem, & desiderio vitæ æternæ flagrantem, ad quam inuitum te timor suppliciorum impellebat, petendam. Si igitur supplicia, metumque eorum spectes, malus est timor,

Mala vsu bona reddi.

mala supplicia: sin ea ad quæ impelleris, & vnde repelleris, cogites, bonus est, nec otiosus custos, vrget vt in luce accepta persistas, ne neglecta luce in tenebras te præcipites, prohibet, ad vitam te cogit, à morte & interitu abducit, & quasi vi vltrò perire volẽtem, inhibet. Quamobrem falluntur illi, qui metum iudicij diuini & gehennæ damnant: præmissus enim timor (inquit Augustinus) in cor nostrum, pellit inde consuetudinem malorum operum, & seruat charitati locum, qua tanquam domina veniente, vt illa insideat, abscedit. Est certè timor seruus & minister charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedit seruus in corde tuo, vt seruet dominæ suæ venturæ, locum charitati. Fac, inquit Augustinus, vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ. Veniet domina, & seruus abscedet, quia consumata charitas, foras mittit timorem. Nam timor quo gehennam times, & ideò mala non facis, continet te, & sic volentem, peccare animo interire, non sinit. Est quidem timor custos quasi pæda-

Commoda timoris.

Epist. 120. ad Honorat.

De verbis Apostoli ser. 13

Aug. de verbis Pauli sermon. 18.

pædagogus legis, custodiat tamen timor iste: dum enim non facis timendo, veniet charitas quæ est perfecta, quæ nihil timet, quæ perfectam iustitiam operatur. Timor igitur non potest esse malus, qui charitati quæ bona est, præparat locum, & venienti vt dominę loco cedit, arcemque iustitiæ illi, quam inuitis ciuibus ne periret conseruauit, gubernandam tradit. Timor charitati ostium in corda nostra intrandi aperit. Qui si abfuerit, qua charitas ingrediatur non habebit. Sicut videmus, inquit AVGVSTINVS, per setam introduci linum, *Tom 9 in epistol. Ioan. tract. 9.* quando aliquid suitur: sic timor primo occupat mentem, & tanquam seta prius intrat, non vt ibi perpetuò maneat, sed vt bonum introducat, quia ideò intrauit vt induceret charitatem: cui nisi cedat, nisi exeat, charitati locus non fuerit. Primus igitur timor dux viæ est, primus custos cursus nostri, qui nos à morte reijcit ad vitam, etiã reluctantes impellit, cuius non ignarus Propheta dixit: Confige

Dauid exoptat timorem. *Psal. 118.*

fige timore carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. Quid optat Dauid? timorem cordi ſuo inſeri, quo à peccando reuocetur, ne in iudicium Dei, & ſententiam pro ſceleribus admiſſis, incidat. Poſtulat igitur eo timorē ſuum configi, qui à facinore eum deterreat, ne admiſſo peccato in eum incidat timorem, quem ſententia diuina pro admiſſo peccato decernenda, excitaret, in quem inciderat, cùm diceret illud: Miſerere mei Deus, ſecūdum multitudinem miſerationum tuarū. Quod ſi Dauid timorem ſuo cordi inſeri poſtulat, ſi ſe tutiorem eo muniтum contra peccatum eſſe iudicat, nō poteſt equidem dici timorem, quo à peccato refrenamur, aut ad petendam veniam peccati admiſſi excitamur, malum, aut peccatum eſſe. Neque enim Dauid peccato committendo peccatum adulterij & homicidicij expiare potuiſſet. Bonus illi erat timor, qui ad pœnitentiam eum excitauit, & ad miſericordiam domini implorādam impulit. Quicquid à malo nos abducit, & ad bonum adducit, non niſi bonum

eſſe.

esse non potest. Non est igitur quod quis timorem damnet, non est cur peccatum metum gehennæ appellet, cū met⁹ pœnarū & iudicij, & calamitatū hominem Christianum à peccādo deterreat, in officio contineat. Etsi peccauerit, ad pœnitentiā & ad implorandā Dei misericordiam excitet, charitatiq; cordis nostri fores aperiat, qua intrante discedit, ac vt se meliori locū relinquit, paratasque sedes tradit. Non minus metus gehennæ, timorque iudicij Dei, ac suppliciorum, nobis prodest, quam premiorū spes proposita. Etsi enim spe premiorū, quæ fidei nostræ & operib⁹ bonis ꝓponuntur, hoĩs excitantur, & ad ceptū cursum certaminaq; pro Christo subeunda incitātur, volentes tamen & maiora mente voluentes, altiusq; oculos fidei tollentes, magis concitant, quàm vulgus mundi huius illecebris immersum, & quod nonnisi ea, quæ ante pedes sunt, quæ passim oculis eorum occurrunt, in sensusque incurrunt, spectat & amplectitur. Illa autem quę sursum sunt, quæ à sensu procul absunt, bona,

Metus charitati locū dat.

Vulgi iudiciū

vel non tanta esse putant, quanta prædicentur, vel fabulis similiora, vt potè quæ vel captum eorum excedant, vel quod eorum nullam effigiem hic videant: mens enim purior ad illa cœlestia fertur, mens pura oculos suos in arcana illa infert, & quæ in cœli tabernaculis condita sunt, contuetur, ac perspicit: sensus obtusi & beluini, in eam lucem suos oculos inferre nequeunt, atque illa amplissima premia nobis à Christo in cœlis præparata, & mēsam illam, quam nobis in regno patris parat, negligunt. Hæc quæ hic passim occurrunt, quæque cernunt, quibus feruntur, illis reconditis & sensum suum superantibus anteponunt: At pœnarum, suppliciorumq́;, quorum hic passim exempla occurrunt, quorum acerbitatē & in alijs & in seipsis experiuntur, contemnere non possunt, sensuque eorum vehementius commouentur, & cum ea commemorantur, cum acerbus dolor ille explicatur, tam quam sibi ipsis iam facibus admotis excitantur ac exiliunt, metuque eorum quæ passuri denunciantur, à pec-

Timor excitat homines.

can-

cando abſtinent, peccatumque quod etſi non oderunt, relinquunt tamen, nec attingere audent. In quo metu ſi diutius perſiſtant, peccare dediſcant, & voluptatis eius, quã inique agendo capiebant, obliuiſcuntur, virtuteſq; & pietatẽ, quam non amarunt, quam vt aſperam refugiebant, ſenſim amare & complecti, ſine vlla vi, incipiunt, ac excluſo metu, charitati locum dant, virtutes amant, pietatis & iuſticiæ ſtudioſi redduntur. Et quemadmodum pueri literarũ ſtudia, quæ vt aſpera & moleſta ætati & ingenio ſuo repudiãt, minis & verberibus adacti, colere conſueſcunt, ſenſimque amare ea, & quẽ fructũ, quã voluptatem illæ intra ſe cõtineant, agnoſcere incipiũt, vt deinceps ſua ſponte ſtudia earum, reiecto pædagogo & virgis, ad ea ferantur, neque ſe ab eis abduci ſinant, ac toto pectore ea cõplectãtur: ita & illi quibus diſciplina Eccleſiæ, p̃ceptaq; Chriſti & officia pietatis aſperiora vidẽtur, q mundi voluptates, laborib⁹, & tribulationib⁹ fidelium anteponunt: metu pœnarũ iudicij extremi, & ignis ardẽtis, & à mũ-

Pueri quomodo ſtudia amplecti incipiant.

Metus commoda.

di cupiditatibus reuocantur, peccare territi desuescunt, ac pietatis studia amare, & peccatum odisse sensim incipiunt & consuescunt, ac progressu tẽporum, vsu & exercitatione & peccatum toto corde oderint, & pietatis studia tota mente complectantur, metuque quo à peccato deterrebantur, ammoto, & amore in eius locum vocato, sponte & cupidè virtutes complectãtur, & se impietatis studio exerceant, ac pro timore. seuero illo pædagogo, & plagas præsentes intẽtante, charitatem ducem benignam admittant, & sequantur. Cum igitur non vna omnium ratio, non omnium vna natura & studiũ sit, omniũ autem Ecclesia curam susceperit, omnes ad Christũ vocet, sciatq; Deum omnes saluos esse velle, neminẽ ex eis perire velle, sed vt conuertantur, vt ad se veniant & viuant, vt omnes eo deducat, operam sedulam in eam rem dat. Alijs premia illa ineffabilia promittit, & spe coronæ ad piè Deum colendum, & vitam innocentem agendam, excitat: alios qui tardiores sunt, qui terrenis inhiãt, qui

mun-

mundi libidinibus immersi, ad illa ineffabilia oculos attollere, vel nolunt, vel nō possūt, pœnarū grauitate, iudicij diuini seueritate, vermis illius, qui nūq̃ moritur, & ignis qui nūq̃ extinguitur, alijsq́; generibus suppliciorum, quæ & in hac vita mundo deditis & peccatoribus, & post fata impendeant, ante oculos posita, & à mūdi amore auocat, & ad Christi fidem operaq́; bona, vitæ innocentiā ꝑtrahere conatur, ac Deo, quoquo modo adductos tradere contendit, varia scilicet ratione sanandi & persuadendi adhibita, omnes ad salutem & incolumitatem euocat, omnium salutem operatur, ad ea quæ illis commoda videat, quæ vtilia, quæ vitā afferant deducere contendit, varijsq; argumentis, ingenio cuiusque & opinionibus seruiens, vtitur. Alijs premia quæ petant proposita demonstrat; alijs supplicia & pœnas quas fugiant ob oculos ponit. Non eandem suadendi rationem oratores apud omnes adhibent; non ijsdem argumentis vbique vtuntur: nec semper eodem modo, non easdem machi-

Vermis non moriens.

Diuina prouidentia, in salute nostra, alios præmijs metu pœnarū excitat.

nas pectoribus auditorū expugnandis admouent, non eodem modo in prælium armati descendunt. Alios honorum ostentatione, alios gloriæ splendore, alios virtutum amore, alios lucri cupiditate, opum ostentatione, voluptatibus alios, ad ea quæ suadent amplectenda & probanda impellunt: vt naturam, vt mores, vt studia cuiusque viderint, ita orationem suam temperant, studijsque auditorum omnia sua argumenta & suas suasiones accommodant, vt ex ijs Ciceronis quę retulimus verbis, & ex orationibus, tum eius ipsius, tum aliorum multorum cōstat. Idē studiū, eadē cōtētio Ecclesiæ est. In qua quoniam varia ingenia, varia studia, mores, instituta hominum inueniantur, varijs rationibus ad piè viuendum, Christique viam currendam omnes incitat. Alios metu pœnarum à peccato deterret, & ad piè viuendum adducit: alios premijs vitæ æternæ, regni cœlestis & splendore gloriæ, non inuitos excitat. Viderunt hanc ingeniorum diuer-

Ingeniorum varietas, variam institutionē postulat

uersitatem, & suadendi varietatem columnæ Ecclesiæ patres sancti GREGORIVS Nazianzenus, HIERONYMVS & alij multi: & propterea mo nuerunt non eandem cunctis exhor tationem conuenire, quod non om nibus par morum ratio contingat, & ea quæ alijs profuerint, alijs officere; Diuersa valetudo, diuersa remedia postulat. Aliter (inquiunt illi) admo nendi sunt homines paupertate. affli ctionibus, aut miserijs confracti. Hi enim per æternum cœleste prẹmium, sunt ad spem, fiduciam & patientiam erigendi; delicatis verò illis & carnis illecebris deditis, decor iusticiæ premiumque cœlestis vitæ non tantum saperent, vt illi miserias, calamitates, doloresque in sua paupertate & afflictionibus hic ferre didicerunt: ita illa supplicia, quæ eis deinceps intentarentur, non multum metuenda videantur, at delicati & voluptati asueti, dolorem maximum malum iudicant. Delicati igitur per timorem gehennæ ignis, diuinique iudicij seueritatem, conturbandi, sup-

Non eodem genere docendi apud omnes vtendum esse patres docent.

Vide Driedonem

plicia illis ob oculos ponenda, ignis oculis eorum inferendus, ſerpentes collo inijciendi, furiarúmque & inferi horrenda facies obijcienda. Quib⁹ ſi non moueantur, etiam præſentes pœnæ & ſupplicia adhibenda, carceres aperiendi, virgæ expediendæ, ſecures proferendæ, gladijque nudandi. vt ſi futuris malis non moueantur, præſens ſupplicium & tormenta delicato illi; ſuo corpori admota, à peccando eos absterreant, & ad pietatis ſtudium compellant, ita & illi ſpe bonorum erigentur, & iſti metu ſuppliciorum terrebũtur: vtrique ſuum officium facient.

Metum ſuppliciorum & ſpem præmiorum non eſſe inuentum pontificis Romani ſed Dei ipſius inſtitutum

C A P. XXXVII.

Spes premiorũ & timor pœnarũ Dei inſtitutũ eſt.

NE autem hanc rationem retinendi hominis in officio nouam & Romanum figmentum eſſe, vt plæraque alia iſti qui omnia euertere conãtur, & putent & clament, altius hoc inſtitutũ videtur eſſe repetendũ, & nõ ab hominib⁹ inuentũ, ſed ab ipſo Deo ab ini-

ab initio conſtitutũ eſſe, demonſtrandum. Vt primùm enim Deus hominẽ è limo terræ eformauit, & in paradiſi illa amenitate, omni genere deliciarũ luxuriante locauit, hos cuſtodes & pędagogos illi apposuit, metum ac premia: metum mortis, quæ eſum pomi vetiti ſequeretur: premium & eas quibus tum perfrueretur, paradiſi voluptates, & vitæ immortalitatẽ: Ita enim ad eos loquitur, & legem hanc fert: Ex omni arbore fructu veſcimini, præter quàm ex arbore quæ eſt in medio paradiſi, cauete ne comederitis fructum: quácunque enim hora illud guſtaueritis, morte moriemini. Qua lege vides Adamum cum Eua hęredem mundi, paradiſique dominum conſtitui: Audis præceptum illi dari, omnes fructus, omnem arborem eius vſui permitti, vnam arborem tantum excipi ac vetari ne eam attingat, mandatique eius cuſtoditi premium, vitam mortis expertem: præuaricati verò mortem præſentem. Vt igitur ſuum præceptũ ſequantur, vt beatã vitam conſequantur, ne à curſu demõſtrato deflectant, Gen. 3.
 quaſi

quasi cancellis eos sepsit, mortis metu, & vitæ æternæ spe. Mortis metus ne gustent, ne præceptum Dei violent, terret. Immortalis vita proposita, vt quod mandatum est custodiant, ne ab eo præuaricentur suadet. Cui suasioni dum obediunt, dum premia vitæ æternæ, & tetrã mortis faciem apud se expendunt, & alterum expetũt, alterum exterriti fugiunt, prę́sentibus bonis & amœnitate paradisi cõmodisque omnibus perfruuntur. At violata ea lege, & premijs propositis, & metu mortis contempto, arbore vetita violata, & illa commoda amittunt, nudos se esse vident, ac præ pudore à se diffugiunt, latebras turpitudinis & nuditatis suæ tegendæ quærunt, ac mox sententiam mortis in se pronunciari audiunt, paradiso exturbãtur, ac laborib⁹, sudorib⁹, dolroib⁹, morbisq; subijciũtur varijs, ĩ sudore & labore ꝑpetuo pane vesci iubentur. Premia igitur, & metum pœnarum instituit Deus, nobisque vt custodes currentibus apposuit, vt alter à peccando pœnarum facie obiecta nos absterreret, alterum ad præstanda

ſtanda opera pietatis, curſumque vitæ rectum tenendum, premiorum ſplendore exhortarentur. Niſi primus homo metum ſuppliciorum abiecilſet, ad ea premia quæ illi expoſita erant perueniſſet: at eo amoto exemplo in calamitatem incidit, peccatum commiſit, premia immortalis vitæ amiſit. Vnde conſtat, quid metus, quid timores ſuppliciorum commodi hominibus ad CHRISTI fidem vocatis afferant. Neque hominum Romanique Pontificis hoc inuentum eſſe, ſed Dei hominis conditoris ſapientiſſimũ inſtitutum. Cùm enim Deus hominem ita condidiſſet, vt illi libera voluntate & arbitrio ſuo vteretur, libertatique ſuæ eum permiſiſſet, vt bonorum operum premia & coronas, iuſtitiam vltrò ſequenti, & meliorem partem eligenti daret, ne pro ſua infirmitate ille ad deteriora præcepti & conſilij ſui immemor delaberetur, & mala bonis præponeret, metum & premium illi vt conſiliarios adiecit. Qui vt meliora eligeret, vt ſuum præceptum ſeruaret ſuaderent,

derent, ſpes premiorum gloriæ ſplendorem & vitæ immortalitatem æternaſque voluptates demonſtraret, metus faciem tetram mortis, iudicij diuini ſeueritatem, ignes æternos & labores ſudoreſque quos quærendo victu exhauſturus eſſet, peccare volenti, & à pręcepto diuino diſcedere paranti obijceret, vt à facinore cogitato, & delecto abſterreret. Et hic vide prudētiam diuinam, iuſtitiæq́; ſeueritatem, vt nō ſolùm futurum premium vitę immortalitatem homini primo propoſuit, ſed etiam præſenti vitæ voluptates paradiſi, ita peccato mortem & ſupplicia futura apud inferos, & præſentis vitæ labores, ſudores, dolores & alias moleſtias. Vnde rectè eos facere dicendum eſt, qui non ſolùm peccantibus, ſupplicia iudicij extremi minantur, verumetiam magiſtratui puniendos tradunt. Vt enim boni & præſentibus cōmodis perfruuntur, & cœleſtis regni gloriam expectant: ita malis & venturum iudicium Dei, igneſque ęterni denunciandi, & huius vitæ præſentiſque temporis pœnæ admouendę, ne & hic

&

& post hanc vitam impunè peccent, iustitiæq; quam sceleribus merentur, hoc est supplicij nusquam nō sint participes. Idem custodes metus cum spe premiorū, qui Adamo admoti à Deo erant, Caino etiam, irato fratri, & cedem eius spirati, ab eodem Deo admouentur. Quem cùm videret ita furentem & inuidia æstuantem, nec ignoraret quid animo ille volueret supplicio mortis eum, à facinore animo concepto deterrere, & spe gratiæ suæ ad benefaciendum, charitatemque colendā adducere contendit, & sceleri pęnam, & bonis operibus suis premium ostendens: Quare, inquit, iratus es, & vultus tuus concidit, nónne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribꝰ peccatum aderit. Quasi dicat, molestè fers & irasceris fratri tuo, quod eiꝰ munera probauerim, quod accepta & grata mihi esse videas, tua verò à me repudiata & contempta cernas: non est qđ vel inuideas vel irascaris fratri, in tua potestate est probari, à me munera tua improbaríue. Age bene, charitatis studia, & in me & in fratrem exerce, & statim

Adamus inter spem & metū statim positus.

Gen. 4.

Cain à DEO terretur et sustentatur.

tim cognofces munera tua & holocaufta, quæ ob vitia tua & impietatē, auerfatus fum, & repudiaui, mihi gratiffima & accepta fore. Mentem & pietatem offerentis, nō magnitudinem oblationum fpecto. Quod fi in tua ifta impietate, & inuidia odioque fraterno perfiftas, & fcelus quod animo voluis perfeceris, vitæque rationem non mutaueris, peccatum tuum in foribus tuis excubat, ac ipfa mors præfens adeft, quam peccatum peperit. Dederunt parentes tui pœnas, præcepti mei præuaricati, dabis tu, cum tua progenie multò maiores. Quorfum autem hęc? vt à fcelere concepto, quem premijs abduci non poffe videbat, fupplicij cōminatione deterreret, proponit vtrūque, & fuā gratiam fi refipifcat, & pœnas graues fi in malicia perfiftat. Ac vide quid fcriptura doceat, pofito Caino inter fpem & metum, propofitis illi & premijs & fupplicijs, relinquitur illi libera poteftas ac voluntas: Sub te, inquit Deus, erit appetitus eius, & dominaberis illius. Ego quidem tibi indicaui, quid eligas, quid fugias, vim tamen

Cain libera voluntas relinquitur. Gen. 4

mentib⁹ nullã infero, tuo libero arbitrio ac volũtati tuæ te relinquo, tu tuã voluntatem citra vllum impedimentũ explere poteris, libera tibi electio, vel mortis suppliciorumq́; vel gratiæ & misericordiæ meæ deligendæ datur. In altera parte ignis est, in altera aqua, mitte manum ad vtrum velis: boni operis premia laturus, mali pœnas graues daturus. Tu voluntatis tuæ & factorum tuorum, dominus & moderator esto, tu cupiditati & appetitui tuo dominaberis: quod volueris probaueris, liberum est tibi facere. Vbi vides liberi arbitrij dominium nobis dari, liberam voluntatem & eligendi potestatem nobis relinqui, nullis fatis vinculisq́; insolubilibus ac necessitate vlla agẽdi nos ådstringi. Data Adamo libera voluntas edendi vel abstinendi à fructu arboris in medio paradisi florentis, vtriusque illi premium demonstratum: Si abstineat, immortalem vitã: si comedat, mortem. Eadẽ volũtas libera Caino datur, bono opi suo gratia Dei, sceleri admisso mortis suppliciũ proponitur, vtriusuis eligẽdi potestas

ſtas ei permittitur. Quare inſaniunt ac Soli lumen adimunt, cœloque arma vt Gigantes inferunt, qui de libero hominis arbitrio doctrinam Catholicæ Eccleſiæ oppugnant. Expreſsè hic ſcriptura de libero arbitrio loquitur, palamque indicat, & liberum arbitrium voluntatemq́; hominis liberam eſſe, & Deum homini metum & ſpem premiorum, vt cuſtodes exhortatores, ac veluti curſus eius duces appoſuiſſe; eoſque impietatis & hæreſeos nefandæ reos eſſe, qui metum noſtrum, peccatum eſſe clamant, cùm Deus peccati author nũquam fuerit, cùm Deus metum nobis ne peccatum cõmittamus, appoſuerit. Donum Dei metus eſt: Nemo metuere & ſupplicia, & ipſum Deum poterit, niſi illi gratia Dei, hic metus infuſus fuerit. Qui metum hunc damnant, conſilium diuinum apertè reprehendunt, & ipſum Deum bonitatis omnis fontem, criminis reum agunt. Qui enim eſſe poteſt, vt eum, qđ ille fecerit, quod conſtituerit damnes: non eum ipſum, qui fecerit damnes? peccatum metum gehẽnæ, peccatum

pre-

recitas, gratia Dei nos saluos & iustos esse dicis, gratia Dei nos saluos factos, donum Dei esse, non ex nobis ne quis glorietur. Paulum appellas, Pauli aduersum te sententiam audi. Quæ illa sententia est inquis? Illa, quam Romanos damnando, in te, quem non ignorabat spiritu Christi plenus, hanc impietatem asseueraturum, pronunciauit. Audi enim quid ille dicat, quid cõtra aduersarios veritatis decernat, quo modo eos & accuset criminibus eorũ prolatis, & supplicijs æternis addicat. Primum ait eos repletos esse omni iniquitate, malicia, fornicatione, auaricia, nequicia, plenos inuidia, homicidio, cõtentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, odibiles, cõtẽtiosos, superbos, elatos, inuentores malorum parentibus nõ obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Hæc crimina sunt quæ Paulus Romanis obijcit, & reos eorum agit. Audi q̃d decernat, quomodo cominetur. & quem metum illis incutit. Qui cum iusticiam, inquit, Dei cognouissent,

Romanos Paulus territat.

Rom. 1.

non intellexerunt, quoniam qui talia agũt, digni ſunt morte. Audiuiſti quæſo quid Paulus dicat? audiuiſti morte mulctari eos, quorum ſcelera protulerat, audis quem ſuis metum incutiat, vt eos ab illis quę enumerauit ſcelerib⁹ abſterreat, & ad bona opera Euangelio Chriſti digna, pietatem colendam abducat. Audi quid deinceps pronunciet; Non ſolùm patratores eorũ quæ enumerauit ſcelerum, morti addicit, verùm etiam ijs, qui & ſi ipſi ea nõ patrant, ijs tamen qui ea patrant, vel non aduerſantur, vel conſentiunt, ac vicia eorum tacendo comprobant Non ſolùm, inquit qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Quid hìç quęſo Paulus ait? quid decernit? Non ſolùm facienti, verùm etiam conſentienti mortem cominatur, ac grauiſſimè cominatur. Propter quod, inquit, ô homo inexcuſabilis es. Inexcuſabilẽ Paulus aſſerit, nõ ſolũ ſcelera patrantẽ, verumetiã ei aſſentientẽ. Cur inexcuſabilis? an ne non poterit ad eas confugere excuſationes, quibus tu in tuã & aliorũ perniciẽ abuteris, ſatis te vrgeri

Rom 2.

geri dicens, ſyderũ illos eſſe motus, & vim inclinandi tui ad mala illa patranda, liberũ arbitriũ tuũ nullũ eſſe, & bona & mala quæ hoẽs faciant, à Deo in nobis excitari, eundẽ Deũ Dauid cauſã fuiſſe vt adulteriũ cõmiteret, q pœnitentiã in eo cæteraq; egregia facinora excitauerit. Cur nõ dicit, ille à Paulo dãnat⁹, Fidẽ habeo, dãnari non poſsũ: & cætera figmẽta veſtra qbus veritati illuditis, & ſcelerib⁹ veſtris patrocinamini. Nõ audit hæc tuus quẽ appellaſti Paul⁹ ſentẽtiã, apertè fert. inexcuſabilẽ te eſſe ꝓnunciat, iudiciũ Dei ſecundũ veritatẽ, nõ ſecundũ figmenta veſtra eſſe ait, conſtitutũ & immotũ. Scimus inqt, quoniã iudiciũ Dei ſecundũ veritatẽ in eos eſt, q talia agunt: qd agũt rogo? in quos Dei iudicium ſecundũ veritatem inſtitutũ eſt? Diuitias bonitatis & ſapientiæ Dei, contemnunt ſapientię eius, ſuis figmentis & mendacib⁹ interpretationibus, blaſphemijſque illudunt, ſcelerum ſuorum ad quæ ſua ſponte feruntur, cauſas in aſtra rejiciunt, cœli quod eſt ſedes & tronus Dei curſus infamant, fata, ipſi fatui, fingunt,

gunt, in Deum ipſum bonitatis fontem cauſas nequicię ſuæ conijciunt, ac reum ſcelerum omnium ſuorum, quæ ſine vllo timore & pudore patrant, authorem aſſerunt, ac veritati tenebras offundere conantur: hoc enim eſt, diuitias bonitatis Dei contemnere, ſapientiæque eius illudere. Contemnũt bonitatem Dei iſti, qui ad pœnitentiã adducuntur, ad quam & metu ſuppliciorum, & ſpe premiorum excitantur. Qui tamen ſceleri ſuo ita indormiunt, vt etiã deo ſe excitãti ac sõniũ viciorũ eis excutiãti, ſuis Zophiſmatis illudant peccatiq; omnẽ metũ tollãt, ſpẽ premiorũ in benè agẽdo dãnẽt, & ſecũdũ duritiam ſuam, impœnitenſque cor ſuũ, iram Dei in diem iræ ſibi theſaurizant, graues pœnas ſuorũ quæ tuentur peccatorum, in die reuelati iuſti iudicij Dei, daturi, quo in iudicio Deus reddet premia ſecundum ea, quæ quiſque geſſit. ijs qui ſecundum patientiam boni operis, honorem & incurruptionem quærunt, vitam æternam. Premium bonis operibus vitam æternam Paulum propoſuiſſe, quam in die iudicij

Premia bonis Paulꝰ proponit.

Rom. 2.

cij illis redderet, qui ea agerent, vides. Quod premium cogitantes, & quasi ante oculos suos positum cõtuentes, piè, castè & iustè viuerent. Quod premium si non liceret bene agendo intueri, eiusque spe ad bona opera agenda excitari: aut si hoc peccatum esset, & Dei bonitatis honorem imminueret, Paulus nunquam ad eam spem suos vocaret, reiecta omnium spe & cogitatione premiorum, de sola fide & gratia Dei concionaretur, nullum discrimen inter benè viuentes, & impietatis sectatores statueret, omnibus absque discrimine gratiam Dei demõstraret, quæ & bonis & malis exposita est, vt solis splendor. Gratia enim Dei omnibus sine merito vllo vltrò offertur, omnes ad eam vocantur, non omnes tamen eam consequuntur, nõ omnes premiorum vitæ æternæ, ad quæ nos Apostolus vocat, participes fiunt; Omnes currunt, non omnes brauium capiunt. Illis tantum datur qui legitimè certauerint, cursum consumauerint, piè, castè & iustè, vixerint. Omnes vocantur, sed non omnes eam viam 1. Cor. 9.

am qua ad pręmia cœleſtia venitur, ingrediuntur, non omnes curſum conficiunt, multi alio deflectũt, nec eó quo gratia Dei vocantur, contendunt, viã illam latã, quæ mortis eſt, arctæ illi cœleſti anteponunt, mundi illecebris mãcipantur, ac gratiam gratis ſibi oblatã, & donum Dei contemnunt. Et quidem quod vocantur gratiæ DEI eſt, donum Dei eſt, non ex nobis: Quod eam viam, qua ad vitam & premia venitur, negliunt, & eam quæ ad inferos ducit intrepidè arripiunt, eorum eſt electio: gratia Dei vocamur, noſtra autem voluntate, hanc vel illam ingre-
Rom. 9. dimur viam; Non eſt quidem currentis & volentis, ſed Dei miſerentis: verum tamen ita Dei eſt, vt noſtrum hoc munus etiam ſit. Neque nos ſine gratia Dei currimus, neque ille ſine aſſenſu & voluntate noſtra deducit, currentes adiuuat, quod ante pluribus docuimus. Qui igitur gratia DEI euocati, & ad brauium illud deducti, mundi deſideria, labori & contentioni, libidines caſtitati, iniquitatem iuſticiæ anteponunt, & vitæ pręmijs quę
illis

illis indicantur reiectis, ad ea quæ mũdus illis ostentat, cursum vertunt :ea prę̨mia quæ patientiæ & bonis operibus exposita esse ,Paulus demonstrat, non modò non consequuntur, Sed etiam vt contrariam viam ingrediuntur,ita contraria prę̨mia referunt,mortem & interitum suppliciaque apud inferos æterna ,vt hæc quæ sequuntur apud Paulum disertè docent.Ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati,credunt autem iniquitati,ira & indignatio; tribulatio Rom.2.
& angustia in omnem animam hominis operantis malum , Iudei primum & Græci:gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. Hæc Paulus, quæ rogo te quid aliud docent? quam supplicia iniquitati,gloriam & honorem,æternamque pacem,iustè, piè, & castè viuentibus proposita,& in altera parte metum & terrorem esse, in altera spem prę̨miorum. Quæ duo vt pædagogi duo nos ducant,metus terrendo,spes prę̨miorum hortando, in officio confirment.

Timorem & premia bifariam spectari.

CAP. XXXIX.

SEd occurret aliquis, ac nobis Chri-
stū opponet, Phariseos, qui & si spe
premij multa egregia facerent, eleę-
mosynas egenis largirentur, orarent,
ieiunarent, victimas offerrent, repre-
hendentem tamen; ac scopum eum,
quem illi in exercendis illis bonis ope-
ribus spectarent, damnantem. Obiji-
et item nobis eundem CHRistum, ti-
morem suis excutientem. Sed isti obi-
ces cursum nostrum mimine impedi-
re possunt. Non quemuis timorem
Cristus suis excutit, non omnem me-
tum tollit sed eum solum, qui à rectè
agendo, à pietate complectenda, vir-
tutibus exercendis, à veritate & Deo
homines abripit, & à cursu eo, quem
duce ipso ingredimur, & ad illa premia
quæ nobis ipse proposuit, properam⁹,
abducit, Deoque vero & quem ille mi
sit Iesum Christum abnegato, ad ido-
la mundique desideria sectanda, im-
pellit, qui homines plusquàm Deum
ipsum metuit, officiaque pietatis dese-
rere cogit; quod genus timoris graue

Quod genus timoris peccatum est.

pia-

premij cogitationem, dum benè agere pietatemq́ue colere instituimus, vocas? peccati Deum & metus pœnarum & expectationis premiorum authorē asseras esse necesse est. Quis enim iubet metuere? Deus. Quis sperare? Deus. Si spes premiorum, si metus suppliciorū, aut peccatū est, aut deteriores reddit, quomodo Deus peccati author non est? cùm hæc quæ arguis eius sint, & ab eo nobis assiduè cogitanda proposita sint. Bonus est ipse, & quidem solꝰ verè bonus: bona sunt omnia quæ ab eo proficiscuntur. Quicquid ipse fecerit, consuluerit, præceperit, bonū est, cuncta quæ fecit bona esse vidit. Ab illo metus suppliciorū, ab illo expectatio & spes premiorum: Vtriusq; ille, vt iā ostendimus author fuit, vtrúnque bonum nobis & salutare, vtriusque finis bonꝰ. Esse autem nequit, vt cuius finis bonus sit, vt id non sit bonum. Confugis tu ad illud Pauli. Non ex nobis, donum Dei est Ac inde colligis, si premia bene agendo cogitemus, operibus nostris nos iustos fieri velle, non gratia donoq́ue Dei, atque hoc modo

Si metus suppliciorum peccatū est, Deus erit author peccati.

iniuriam bonitati diuinæ fieri, à quo ſolo iuſtitia omnis noſtra, abſq; omni merito noſtro ſit; quod nō negamus, ac ita eſſe, multis ac neceſſarijs rebus iam oſtendimus. Verumtamen nunquam tibi cōcedemus, cogitationem noſtram præmiorum propoſitorum, Deo aduerſam eſſe, cùm ille ea ipſa pręmia nobis proponat, cùm nos ipſe ꝑ CHriſtum filium ſuum, ad ea capeſſenda excitet, cùm Apoſtolis præmia ꝓ ijs, quę vt ſe ſequerētur, reliquerūt, promittat, iudiceſque duodecim tribuum eos fore denūciet, & ea ſpe præmiorum ad certamen ſuum, animos eorum erigat atque firmet. Et quidem tum ea promiſſa facta, cùm de induſtria, de præmijs eorum, qui ſe ſequerentur, CHRISTVS deſereret, cùm adoleſcenti præmium regni cœleſtis, bonorum pauperibus diſtribuendorum & mōſtraret & promitteret: Vos,
Matth. 9. inquit, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & ſedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Volo, inquit pater, vbi ego ſum, ibi ſit & mini-

nister meus: Et cætera multa quæ passim in Euangelio occurrunt. Plena est sacra scriptura exemplorum huius generis. Vbique, vt pręmia rectè agentibus, iusteque viuentibus & pietatem colentibus, proponuntur: ita præuaricantibus legem & iniustè operantibus, varia genera suppliciorum denunciantur. Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiā hominum eorum, qui veritatem in iustitia detinent. *Rom. 1.* Inquit Paulus: Bona agentibus & legem diuinam seruantibus, magna præmia Moyses proposuit, præmijsque præsentis vitæ ad custodiendam legem excitauit, promisit vitam à morbis liberam, frugum copiam, pluuias temporibus aptas, rerum omnium copiam, terrā lac & mel fluentem, multiplicationē gregis, frumēti, vini, olei, & omnium fructuum, quos vel terra vel arbores, vel greges ipsi pariāt, promittit benedictionē in agris, in ciuitate, in matrimonio, liberis, & omnibus negotijs. Contra verò discedentibus à lege, & iniqua agentibus, graues & præsentes intentat *Moyses et terret & solatur.*

 poe-

pœnas, terræ ſterilitatem, ventos vren tes famem, cedes, captiuitatem, grauiſſimas ſeruitutes, ac multiplices calamitates, quorum etiam exempla plurima in ſacra ſcriptura paſſim occurrũt. Quoties enim Iſrael à lege Moyſi diſceſſiſſet, & in Deum ſuum præuaricatus fuiſſet, toties varijs & grauiſſimis ſupplicijs affectus: Non ſolùm tum, cùm in terram patribus promiſſam ingreſſus eſſet, verùm etiam intereà, dum à Moyſe in eam ex Aegypti

Num. 21. ſeruitute liberat⁹ duceretur. Noti ſunt

Exod. 32. ſerpentes quos Deus in eos immiſit; nota cędes adorãtium vitulum, in Aegyptumq́ue reditum parantium, notũ illorum ſupplicium, qui in terram pa-

Exod. 16. tribus promiſſam ingredi recuſarunt,

Num. 16. qui in deſerto omnes mortui ſunt: Notus eſt Choræ & ſui ſceleris ſociorum

Num. 25. interitus. Non ignoratur premiũ Phinees, qui legem Dei zelatus, in ſcortatores, idolis ſeruientes impetum fece-

Deut. 1. rit, ac principes coniurationis à DEO deficiendi, occiderit. Honoratus eſt Io-

Num. 14. ſue, honoratus Chaleb, quòd Deo paruiſſent, quòd vera populo, alijs explo rato-

ratoribus mentientibus, & ab ingreſſu terræ in quam ducebãtur, populum deterrentib⁹ retuliſſent, atq; vt Deum ſequerentur, in eoque ſpem ſuam figerent, hortati eſſent. Nota eſt Dauidis & pœna adulterij, & pietatis eius premia. Paſſim exempla & premiorum iuſtitiæ & prȩuaricationis ſuppliciorum occurrunt. Nihil eſt quod diutius moremur: Dei inuẽtum eſt & inſtitutum, tum ſpes premiorum, tum metus ſuppliciorum, cuſtodes & pædagogos eos duos eſſe Deus noſtros voluit, vt alter nos pœnarum acerbitate expoſita, & oculis noſtris ſubiecta, à peccando deterreret: altera illa, ſpem premiorum dico, commodis premijſque ampliſſimis caſtæ, iuſtæ, & piæ vitæ explicatis, ad bene agendum ſemper hortaretur, ac vterque nos in officio continerent: metus terrendo, ſpes premia ampliſſima oſtentando. His duobus liberam voluntatem noſtram, conſiliaque noſtra ſepire voluit, ne ad ea quæ pernicięm nobis afferent, libertate arbitrij noſtri abuteremur. Etſi abuſi eſſemus, ne inanes cauſas facinoris noſtri fingeremus,

Spes & metus cuſtodes officij.

mus, culpam nostram vel in DEVM, vel in aliud quiduis reijceremus, sed nosmetipsos potius damnemus, qui custodibus nobis Apostolis & consultoribus datis, non paruerimus, sciẽtes ac prudentes, liberę nos ruinæ tradidimus, deteriore parte electa: Nostra enim culpa non Dei, non astrorum, nõ elementorum est. Non vlla externa vi perimus, libera voluntas nostra est, liberè quod vult eligit, liberè amplectitur. Videt supplicia impietatis & iustitiæ, habet qui eam admoneat. Hinc metus eam pœnis malorum demonstratis dehortatur: inde spes & præmia ad rectè viuendum, & omnem impietatem fugiendam exhortatur. Tua ipsius culpa est, qui in ignem manum potius quàm in aquam conieceris.

Non peccare eos, qui metu suppliciorum premijue spe, à vitijs abstinent, bonaque opera exercent.

CAP. XXXVIII.

NON est igitur, quod quis aut metum suppliciorum, aut expectationem præmiorum reprehendat, nõ est

est quod peccatum esse contendat. Vtrumque est donum Dei, vtróque nobis, incolumitatique nostræ consultũ esse Deus voluit. Vidit nos ad bene agendum & iustitiam colẽdam pigros esse, ad mala autem præcipites ferri, & sensus nostros ad deteriora semper ꝑniores. Prouidit igitur nobis vt meliora eligamus, præmijs nos hortatur, vt peccata vitemꝰ, supplicia sensibus nostris admouet, & quos ad pręmia coronasq; petendas negligentes videt, ignis æterni supplicio excitat, & terrore incutiendo à via illa lata, qua ad inferos segnes feruntur, dimouere contendit, inuitosq; etiam, & perire vltrò volentes, conseruare & ad vitam attrahere nõ cessat. Tu verò non solùm ducentem, & vltrò vitam tibi offerentẽ, non sequeris, verùm etiam dona sua & sapientiam in te seruando calumniaris, metum pœnæ, præmiorumque expectationem, peccatum esse dicis, blasphemareque Deum non erubescis, & iram DEI in diem iudicij tibi ne thesaurisas. Si metus pœnarum, spesque præmiorum peccatum sunt, cur idem

Christus qui premia nobis proposuit, Phariseis metum gehennæ & supplici-orum cominatur, & quos premijs ad fidem alicere non potuit. metu iniecto excitat. Nullum genus medicinæ in nobis sanandis Christus prætermittit, & pœnarum metum & spem magnorum premiorum languentibus nobis admouet: Qui igitur potest esse, vt metus quo à peccando abducimur, malus sit? aut quomodo homines deteriores reddit? quem CHristus medicinam nobis aduersus vulnera peccati esse voluit, & ne deteriores fieremus, eò nos cohibet? Nisi fortè CHristum ipsum, in quo Paulus peccatum nunquam inuētum esse testatur, peccasse, cùm metum incuteret Phariseis, cùm peccantes terreret, ignem eis & tenebras minaretur, cùm premia Apostolis proponeret, secundum tuum hoc nouum & quintum Euangelium asseueres? Nunquam CHristus peccatum fecit, nunquam peccati author fuit, ad euertendum, non ad stabiliendum cō-mendandumque hominibus peccatū venit. Ad Paulum confugis, verba eius reci-

piaculum, graue ſcelus eſt, mortiſque æternæ inſtrumentum. Quem metum Sathan ipſe pijs hominibus ſæpè incutit, vt eos pietatis officij, & veri Dei præceptorum & fidei, quæ & vitæ & iuſtitiæ noſtræ fundamentum, deſertores reddat, mundiq; laqueos illis inijciat, & poſt ſe abducat. Quomodo populū Dei terruit, cùm Antiochus varia tormenta, acerbaq; ſupplicia ijs, qui nollent legem Dei deſerere, idolaque colere obijceret, ac multiplici pœnarum genere torqueret. Cui timori qui ceſſiſſent, grauiter peccabant, execrādum ſcel⁹ admittebant, ac dum vitę metuerent, vitam eam quę verè vita eſt, amittebant. Quem metum Eleazarus contempſit, firmus & immoto animo omnia tormentorum genera ſuperauit. hic idem metus Paulo & Apoſtolis admotus, nunquam eos à ſuo ſtatu, & CHriſti prædicatione, dimouere inflectereque potuit, firmi conſtanteſque in fide in Chriſtum & Deum, ſpe pręſidij diuini, in certamine aduerſus diaboli conatus ſuſcepto perſtiterunt, mundiq; huius terrores omnes, & ille

2. Mach. 5. 6. & 7.

cebras omnes superarunt. Hunc metum quem Sathan per ministros suos tyrãnos, pijs hominibus obijcit, Christus contemnendum docet, & tanquã præsentem interitum nostrum, scelusque graue amouendũ à cordibus monet: illum verò qui Dei est commendat, vtpotè qui nos in officio pietatis, fide & Dei obedientia contineat, à peccando deterreat, & ad charitatis officia sensim deducat, vitamque in nobis operetur, quē Dauid optat dicēs: Cõfige timore tuo carnes meas. De vtroq; eo timore CHristus ita ait: Nolite timere eos qui occidũt corpus, sed eum timete, qui potestatem habet mittere corpus & animam in gehēnam ignis. Mundi metum Christus damnat, metum DEI commendat: non enim hoc quod homines minãtur metuendum, sed quod Deus minatur. Mundus corpora occidit, quæ Deus suscitat, & ad vitam quæ verè vita est, reuocat: Deus & animam & corpus, æternis cruciatibus ignis tradit, cuius decretum homo rescindere nunquam poterit. Itaque CHristus idem ait, eum qui amat in

Qui metus sit bonus.

Matth. 10.

Ioan. 12.

in hoc mundo animam ſuam, perditurum eam: eum verò qui oderit, in vitam æternam eam cuſtodire. Amare is dicitur vitam in hoc mundo, qui homines metuens Deum deſerit, corporis incommoda fortunarumq; iacturam fugiens, Deum offendit, & iram eius in ſe concitat. Qui huic mundo deditus & pręſentis vitę amore victus, DEVM qui & ipſum corpus & animam in ignem æternum mittere poteſt, non metuit, ac deſerit: At qui in hoc mundo vitam ſuam, præ veritate, iuſtitia, fide negligit, qui hominum minas contemnit, DEI ſolius mandatis hæret, omniaque amore eius pericula ſubit. Odiſſe quidem vitam & ſeipſum videtur, cùm tamen vel maximè eam interim amet, & ab interitu conſeruet. Hoc modo PAVLVS animam ſuam in hoc mundo odio habuit, hoc modo eam in vitam æternam conſeruauit. At illi miſeri, qui vel metu tormentorum, vel gloriæ diuitarumque amore, CHRISTVM IESVM deſeruerunt, tormentis & igni æterno eā conſeruarūt, *Vitā amare quid ſit.*

qui timore hominum victi ſunt, animam quam amarunt, æternum perdiderunt. Pulchrè igitur monet Auguſtinus, vt id quod minatur omnipotẽs exhorreſcamus, & quod pollicetur amemus. Quibus verbis & timere nos Deum præcipit, & amare præmia promiſſa ſuadet, duoſq; illos duces, quos nobis appoſitos à Deo dixim⁹, metum diuini iudicij, & ſpem pręmiorum nobis commendat. Duo igitur genera metus ſunt: Alterum quod à Sathana per ſua inſtrumẽta homines nequam contra nos excitat, quod pluris mundum hominumq; fauorem nos facere, quàm ipſum Deum, quàm vitam æternam cogit: Alterum verò, quòd omne periculum mundi, & omnia commoda eius cõtemnere iubet, Deumque ſolum metuere, & ea quæ ille malis irrogat, ſuppplicia vitare hortatur. Quod gen⁹ timoris bonum & Dei donum eſt: nemo enim hoc timore timere poteſt, niſi diuina gratia hic timor ei infundatur, vt illa Prophetæ teſtantur quæ modo retuli, quibus hunc timorem poſtulat, dicens: Confige timore

Metus diuini iudicij.

more tuo carnes meas. Quo timore *Psal.118.* ſanctos illos viros, quorum pietatem ſcriptura celebrat, timuiſſe ſcimus. Timuit Abraham Deum, timuit Iob, ti- *Abraham timuit Deum.* muerunt omnes alij. A iudicijs tuis, inquit Dauid, timui. Et beatus vir ille dicitur, qui timet dominum. Quod gen⁹ timoris non eſt ſimplex: habet enim amorem & charitatem ſibi admixtam, nam & ſupplicia metuit euitareq́; contendit, vt mala, & Deum amat, neque eum offendat, ne à gratia ſua excidat cauet, omnia illa quibus ſupplicia expoſita ſunt, vitat. Non ſolùm mala illa contendit euitare, verumetiam bonitatem Dei amat, qua ne priuetur metuens, vitia fugit, ac ita duo ſemper ꝑſpicit, metum gehennæ & gratiam ipſam Dei, quã inoffensè cuſtodit. Quod genus timoris ſalutare, & donum Dei eſt, vt diximus. Cuius reſpectu qui non peccat, qui in officio manet, Deique præcepta cuſtodit, non ſolùm non fit deterior, non ſolũ non peccat, non ſolũ gratiæ Dei nihil detrahit, ſed etiam ipſum honorat, cuius mandatis paret, & nulla in re ab officio pietatis diſce-

dens, fauoremq; eius conseruat, iustus & timens DEVM beatusque esse pronunciari contendit. At si quis illum timorem, quem CHRISTVS damnauit, quem nobis præcepto suo adimit, hominum inquã timorem, quo à Deo præceptisque eius & fide in Christum IESVM veritateque colenda, & iustitia exercenda abducimur, respiciat, si omnia ita agat, vt terrores mundi effugiat, ac hominum neglecto DEO fauorem venetur, multum & pernici-

Timor malus.

osè peccat, honorem quem Deo debet ad homines transfert, in cõsilium

Psal. 1.

impiorum abit, & cathedras pestilentis honoris ambit, & corpus & animã igni æterno cõdemnat. Hunc igitur timorem pestiferũ si damnes, ac in numero peccatorum habeas, iudicium tuum probo, idẽ hic cum Ecclesia, quę istam pestem detestatur, sentio. Si autem metum gehennæ suppliciorum ignis æterni in vitãdis vicijs, peccatum vocas, omnemq; nostram in cursu nostro decurrendo cogitationem, ab eo seuocas, teipsum igni æterno cõdemnas, Deo aduersaris, eius gloriæ detrahis,

His, qui pro ſua ſapientia, & vitę noſtrę ſtudio, tum præmia bonorum operū, tum flagitiorum ſupplicia nobis appoſuit, eaque ſemper cogitare & proſpicere præcepit, vt & metu pœnarum à peccato abducamur, & amore deſiderioq; præmiorum ampliſſimorum, ad benè, piè, iuſtè caſteque viuendum inducamur. Nam quod cogitationē prę miorū damnas, quod eo modo gratiæ Dei nos iniuriam facere ais, quod iuſtitiam, præmia expetentes à Deo colamus, quod propterea iuſtificari cōtendam⁹, id quoq; quale ſit, nō eſt difficile demonſtratu. Nā ſi prēmia illa & mercedē, quę ab hominib⁹ mundiq; huius fuco dependent damnas, nō tu ſol⁹ ea, ſed etiā ipſe CHriſt⁹, veritas & vita noſtra, in Phariſæis damnauit, nullā partē præmiorū cęleſtiū eis reliquit, propterea ꝙ ab hoīb⁹, quorum fauorē, & gloriā venarentur, præmia captarēt, hoīb⁹ placere, ab hominibus laudari, honorari, in locis primis locari, & fortunis augeri potius quàm à Deo, cuius gloriam negligerent, expeterēt. Amen. inquit, dico vobis, quoniam receperunt

Cogitatio præmiorum quæ damnatur.

Matth. 5.

mercedem suam: receperūt enim præmia ab hominibus, dum laudantur, dum honorantur, dum salutantur, primas cathedras in synagogis, primos accubitus in nuptijs, titulosque magistrorum accipiunt, nihil illorum ieiunijs, nihil orationibus, nihil eleemosynis, quamuis tubarum cantu egenos ad eas capiendas euocarent, quamuis homines in sui admirationem verterent, CHristus Deum patrem illis debere testatur, cùm non eius gloriam in ijs agendis spectaret, non Deo placere, pietatem suam contenderent, sed hominum fauores, & mundi tum glorias, tum opes venarētur. Hoc studium, hanc præmiorum in bene agendo cogitationem, & hunc scopum operum bonorum, si damnas, peccatumq; appellas, nemo te damnare potest. At si illa præmia illamque mercedem, quę à Deo dependet tota, quam ille pietati nostræ proposuit, ad quam nos inuitat, quam neque oculis nostris, neque cogitatione cordis nostri comprehendere Isaias & Paulus posse nos, asserāt: multum falleris, multum gloriæ Dei detra-

Pharisæorum mores.

detrahis, ac ingrati animi eum planè condemnas, bonitati eius manicas inijcis, poteſtatemque ſtudij noſtri obedientiæ & amoris in ſe honorãdi, præmijſque ornandi adimis, cùm Dei bonitas omnia dona ſua in nos effundere cupiat, cùm nos coronis ornare contendat, quę coronę & honores nõ niſi certantibus, non niſi malis reſiſtentibus, & bona operantibus ab eo dentur, expectationem prę miorum peccatum vocas, ſtudium bene agendi tollis, quo ſublato manum bonitatis diuinæ claudis, quę otioſis, quę non certantibus clauſa eſt. Deſine igitur & meritorum & metus gehennę cogitationem damnare: deſine ſapientiam Dei quæ vtrumque inſtituit, nobiſque cuſtodes dedit, reprehendere, ac dona Dei calumniari, homines à præmijs ſibi paratis, coronaq; operib⁹ bonis expoſita, retardare, ac gloriæ eorũ vel inuidere, vel obſtare. Sed ad illud credo, tu iterum confugies, Cùm feceritis omnia, dicite ſerui inutiles ſum⁹, quod debuimus fecimus. Si inutiles ſerui Dei ſumus, pro ijs omnibus quæ fece- 2.Tim.4. Corona cui detur. Luc.17.

 ri-

rim⁹, quid premij nobis debetur? quas coronas poſcemus? Nihil nobis debetur, nihil ſeruo dominus, cum ſuũ officium facit, debet. Eſt quidem quod nobis obijcias, CHRISTI verba ſunt quæ refers, quibus inutiles ſerui DEI eſſe pronunciamur, ſed tamen qui ſenſus eorum ſit vide. Nos quidem & arare & paſcere, & cœnam parare, vt ſeruos ſuos & mancipia ſua iubet DEVS, præcipit vt omnia quæ mandauerit faciamus, nobis tamen propterea nihil eo nomine deberi decernat. Equidem nihil nobis debetur, ſi vires ſpectentur noſtræ, ſi noſtra impuritas, quæ nihil rectè agere poteſt, inſpiciatur. Non eſt currentis, non laborantis & officia præcepta implentis, ſed DEI miſerentis, ſine illius gratia & ope nil vtile agere poſſumus, viribus noſtris non conſiſtimus, debitum flagitare non poſſumus. Quicquid ſumus DEI beneficio ſumus: ille & velle & facere in nobis excitat, ille vires dat, ob idque vt ante diximus, totum quod à nobis benefit illi tribui-

Nihil nobis deberi quomodo accipiendum.

bui-

buimus: nihil nobis deberi ab illo fatemur, non debitam mercedem, sed gratiam quam vt serui peculium à suis dominus expectare soleant postulamus. Fideli & diligenti seruo, nomine peculij, dominus de suo aliquid elargitur, frui suis bonis permittit, operas & fidem serui honorat, ignauos flagris castigat, honorem illis nullum habet, quod quærunt vt suum accipit, nullum peculium eis concedit, quod non merentur, virtus enim honorem & præmia vt apud homines, ita apud DEVM meretur. Nihil equidem ille nobis debet, voluntatem tamen nostram, studium erga se nostrum & benè agendi animum, operaque quę fides per dilectionē in nobis exercet, honorat, nobis quidē qui nihil ob nostri peccati sordes purum agere in conspectu eius possumus, nihil debet, fidem tamen, opera bona iusticiæ pietatisque studium, quæ sua dona sunt, in nobis honorat, ac præmijs vt peculio quodam auget, suisq; commodis nos pro sua bonitate perfrui liberaliter permittit, & quod nobis

Matth. 25.

Serui boni honorantur.

Deum non debita nobis donat. bis non debeat, donis suis quibus nos adornat, largitur, muneraque sua in nobis coronat, & omni genere bonorum cumulat. Ornat fidem qua purificamur, & idonei serui ad eius munera obeunda reddimur. Non solùm autem fidem, verùm etiam ipsa bona opera, quæ fides per charitatem & dilectionem operatur, in nobis honorat, premijsque sua bonitate & diuitijs dignis ornat. Quæ quidem bona opera sunt lux fidei nostræ, quam lucem gentes cùm videant & admirentur, DEVM patrem glorificant, ac debita laude exornant. *Matth. 5.* Hanc igitur lucem in nobis DEVS coronat, huic debita præmia reddit: p hāc lucē operum, ea, quæ nobis præmia proposuit, consequimur, dignique gratia & omni honore iudicamur. *Quid Deus in nobis coronet.* Quæ lux bonorum operum, quoniam non in omnibus par est, non par honor, nec præmia paria omnibus redduntur, alij alijs copiosius peculium hoc à domino consequuntur. *Bonorum impar honor.* Alij talentum vnum, alij duo, alij quinque, *Matth. 25.* alij

alij decem dantur, omnes tamen pro magnitudine ſui peculij à DEO dati, lucrum facere iubentur. Qui plura lucratus fuerit, maiore honore dignus iudicatur, magis lux eius lucet. Sicut ſtella à ſtella differt in gloria, ſic & ſeruorum CHRISTI lux diuerſa erit: quæ diuerſitas non tam ex fide, quàm è bonis operibus & lucro talenti fidei naſcitur, augenti peculium, augetur lucrum & honor apud dominum, cuius opera maiora & clariora, ille honoratiorem locum apud dominum ſortitur: multum habenti plus datur, negligenti ſua bona auferuntur. Etſi igitur DEVS nihil nobis iure, vt ſeruis dominus debeat, & vires noſtræ nihil neque conari neque efficere poſſunt, ille tamen voluntatem noſtram ſuis mandatis parere contendentem, operaſque noſtras, curſum noſtrum quem gubernat & fulcit, honoris debitis remuneratur & exornat, velle noſtrum probat, & prçmio dignum iudicat, & hoc vel maximè quòd vocanti paremus, probat, præmijſque dignos iudicat. Quæ omnia

1. Cor. 15.

Voluntatē noſtram Deus probat.

nia

nia apertè docent, non peccare eos, qui præmiorum ſpe mandata Dei ſeruare contendunt, operaque pietatis exercent. Nam quod dictum eſt, Nos ſerui inutiles ſumus, fecimus quod debuimus, có ſpectant, vt nos quidem & ſi fecerimus præcepta diuina, & ea omnia officia pietatis ad quæ vocati ſum⁹ cōpleuerimus, non tamen præmia ꝓpterea à Deo vt mercedem debitā poſcere poſſumus, ſed totū hoc bonitati Dei committimus. Ille gratia ſua nos vocat, quo nomine illi plurimum debemus; ille præcepta ſeruanda dat, & dignos quibus ſua conſilia credat, facit, quæ magna gratia eſt: Ille pręmia ꝓ ſua bonitate nobis largitur, non merito noſtro: quod vocat, quod ſuæ occulta ſapientiæ nobis communicat, & ad ſua officia euocat, vaſa honoris nos facit: vt portemus nomen eius dignos iudicat, totum eſt bonitatis eius, totum gratiæ eius, non meritis noſtris debetur. Nos quidem inutiles natura noſtra, ob eas ſordes quas peccato contraximus, ſed ille pro ſua in nos bonitate & miſericordia dignos

Luc. 17. Serui inutiles ſumus quomodo intelligendum.

Dei bonitas.

&

& vtiles ſibi facit, in vineam ſuam vocat, præcepta piè viuendi dat, & quaſi vaſis electis ſuum nomen, ſuæque ſapientiæ arcana infundit, totum hoc donum Dei eſt, non eſt quod præmium inde flagitemus. Sed & quod ille præmia largitur, id quoque gratiæ eius beneficium totum eſt. Nos facimus quod ſecundum vacationem noſtram debemus, ille quod non debet, quod non meremur largitur, & obediendi ſtudium noſtrum amplectitur, cuius bonitati nos officiaque omnia noſtra, ac cogitationes noſtras committere debemus, & ea ad quæ vocamur, ſyncero corde complecti, vocantem ſequi, præcepto eius parere, in conſilia ſua non inquirendo. Quod dum Abraham facit, iuſtus reputatus, & amicus Dei vocatus; magnaque præmia meruit: Audit vocem illam, Ne timeas Abraham, ego tecũ ſum, merces tua magna apud me, terram quam cernis tua eſt, tibi eam & ſemini tuo dabo. Nam quod ad metum illum qui eſt gehennæ, attinet, ſi præmia non meretur, pœnam

Omnis dignitas noſtra ex Deo eſt.

Deum ſequi debemus.

Gen. 26.

nam tamen effugit, quo nomine non potest dici inutilis; ille verò qui nos Deum quem amamus offendere non patitur, quo Dauid carnes suas configi optat, non potest præmijs & honore carere. Sed ad alia pergamus.

Iustificationem nostram non solam esse remissionem peccatorum admissorum, verùm etiam inspirationem gratiæ & donorum Dei, quæ ad bene operandum nos & excitat & adiuuat.

CAP. XL.

CAusæ quæ sit iustificationis nostræ superius diximus, nunc qua ratione fiat inquirendum, non enim omnium ea de re sententia est, alijs alia videtur iustitiæ nostræ ratio: Alij enim Iulianum Pelagianum secuti, in sola remissione peccatorum iustificationem nostram versari & consistere asserunt: alij alias rationes sequuntur. Ecclesia verò Catholica, veritatis omnis columna, & fides recta, non sola remissione peccatorum iustitiam nostram cõstare asserit, verùm etiam gratiæ & donorum Dei cordibus nostris infu-

Non eodẽ modo oẽs de iustificatione sentire.

Iustificationis ratio quæ sit vera

insusione, quæ & peccatis ꝑpter Christum nobis à Deo remissis, deinceps resistat, & ad opera bona, castam, sobriam, & iustam vitam deducant, & ad opera bona excitent: Est enim iustificatio nostra, vt Sacrosanctum Concilium Tridentinum docet, non sola remissio peccatorum, sed & sanctificatio & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt sit hæres secundum spem vitæ æternæ; Post remissionem enim peccatorum, mũdata domo nostra, per CHristum IEsum, qui nos sanguine suo ab iniquitate nostra mundat, gratia Dei per spiritum sanctum in cordibus nostris nobis infusa, ꝗ iustificamur, diffunditur, atque nobis inhęret. Vnde simul in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia infusa accepit homo, per Christum Iesum cui inseritur, fidem, spem, & charitatem, quæ dona spiritus sancti, & peccatum sanguine Christi deletum, deinceps nobis imprimi non patiuntur, & virtutum studiũ, Sess. 6. ca. 7.

tatis officia, operaque bona excitant. Quibus agendis verè nos iustos & mẽbra Christi demonstramus, ac non solùm nos recessisse à malo, verum etiã facere bonũ, non solùm mortuos Sathanæ & peccato, sed etiã viuere Christo & operibus bonis nos probamus, & nos à morte ad vitã verè esse translatos ostendimus. Neque enim satis est, vt toties diximus, liberari à malo, nisi etiam in possessionem bonorũ veniatur, nisi abiectis operibus tenebrarũ, opera lucis exerceamus. Primus igitur gradus iusticiæ nostræ, remissio peccatorũ per Christũ Iesum; secundus gratiæ Dei & donorũ eius in cordib⁹ nostris diffusio: tertius resistendi peccato, & benè agendi, piè castè, iustè viuendi voluntas. Nam ꝙ Pelagiani aliter sentiant, quòd sola remissione peccatorũ hominem iustum esse definiant, id totum vanum & hæreticum figmentum est, & Ecclesiæ Catholicæ & fidi verè aduersum. Quem errorem diuus Augustinus, quod suo tempore maximè caput suum attolere conaretur oppugnat, ac eum deprimit, gratiaque Dei,

Quando verè iusti simus.

Opera probãt nos Christo viuere.

Primus gradus iusticiæ.

2. Gradus.

3. Gradus.

Refelluntur aduersarij.

Dei, non ſolum reatum omnium peccatorum ſolui, in omnibus qui baptizantur in Chriſto, quod fit ſpiritu regenerationis, verum etiam in grandibus & adultis, voluntatem & liberum arbitrium ſanari, & à domino ſpiritu fidei & charitatis præparari diſertè docet. multiſque in locis eam ſententiam vrget, ac eos qui iuſtificationem noſtram ſola remiſſione peccatorum conſtare aſſerunt, Anathema eſſe iubet. Quicunque inquit dixerit, gratiā Dei qua iuſtificamur, p Ieſum Chriſtū dominū noſtrum, ad ſolam remiſſionem peccatorum valere, quę iam cōmiſſa ſunt, non etiam ad adiutorium gratiæ vt non committantur, Anathema ſit: Gratia enim Dei per Ieſum Chriſtum, quod fides vera & catholica tenet, ſemper Eccleſia puſillos cum magnis, à morte primi hominis ad vitam ſecundi hominis transfert, non ſolum peccata delendo, verum etiam ad non peccandum recteque viuendum, eos qui iam poſſunt vti volūtatis arbitrio, ſic adiuuādo, vt

De Eccl. dogmat. cap. 28.

Aug. ep. 106. ad Sextum.

nisi adiuuet, nihil pietatis atque iustitiæ siue in opere, siue etiam in ipsa voluntate habere possimus. Non sola igitur remissione peccatorum iustificamur, non sola remissio peccatorũ iustos nos reddit, verum vt ante necessaria est inspiratio fidei, & timoris Dei, ita post remissionem peccatorum, nisi mundatam domum spiritus sanctus habitet, spiritus immundus cum septem alijs venit, & fiunt nouissima illius hominis deteriora, quàm erãt prima. Necesse est igitur, vt nostri cordis domo mundata, & peccatis nobis remissis, spiritus sanctus in nobis maneat, & donis Dei contra insidias Sathanæ & imminentia nobis peccata armet, & charitate, sine qua nemo rectè viuit, communiat, quæ diffusa in cordibus nostris, ad opera bona, & piè, castè, sobriè, & iustè viuendum nos excitet, ac non solum morbum ab interiore homine nostro amoueat, verum etiam vires ad benè operandum infundat. Nam sicut claudus, inquit Augustinus ideo curatur, vt sanato malo pterito, futurus dirigatur ingressus: sic mala nostra

Aug. ep. 105. ad Sextum.

De nat. et gratia cap. 26.

nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, vt illa iam non sint, sed etiam vt deinceps rectè ambulare possemus. Duo igitur spectat medicus noster Deus, & vt deleat quod peccauimus, & vt præstet vires ne peccemus: atque non solum vt non peccemus, verum etiam vt benè operemur. Tollit morbum, restituit vires, quibus & resistamus recurrere conanti malo, & aggrediamur bonum, operemurque salutem nostram. Hoc modo sanatus Paulus, primùm reuocatur à persecutione Ecclesiæ & Christi ipsius, quod grauissimum peccatum erat, & morbus mortem præsentem ferens: deinde vocatur ad bonum, & Christũ prædicandũ, ab infidelitatis morbo sanatur, & à peccato gratia Dei absque vllo suo merito, emundatur. Deinde ad Euangelij prædicationem mittitur, & vt vas electum nomen Christi portet. In quo prædicando ne succumbat, Sathanæ, hosti Ecclesię & Christi resistat, gratiam Dei & cętera dona, quibus armat⁹ in acie firmus staret, accipit, primum vt vas immundum emundatur.

Quid Deus in nobis curãdis spectet.

Peccatum Pauli.

Paul⁹ à morbo incredulitatis sanatus ad prædicandũ mittitur.

ac mundus à labe peccati fit: deinde ei nomen Christi infunditur, fitque vas purum Christi, fide, spe, charitate plenum. Quibus donis instructus, res magnas & stupendas gerit, ac Sathanæ mundoque vniuerso resistit. Et quidem Paulus sua vi nihil erat, sed gratia Dei id quod erat factus, quæ gratia Dei & dona ei infusa, vires illi suppeditarunt, ociosa in eo non fuerunt. Vt primum credidit, vt primũ sacro lauacro mundatus, CHRISTO amicus fit, CHRISTVM prædicat, Iudeos refellit, & in eo completur illud Prophetæ: Credidi & locutus sum. Non est in Paulo fides, quæ est donum Dei, ociosa: loquitur, docet, veritatis aduersarios premit, mirantur aduersarij: vnde illi tantæ vires, tantus animus visque dicendi, gratiam Dei in eo non animaduertentes, recordantur cum secum staret, non tantum illi virium fuisse, quibus ille respondet. Ego quidẽ vt ante, ita & nunc nihil sum: quod autem sum, id totum donũ Dei est. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia Dei in me non est ociosa. Per hanc remissionem

Psal. 115.

Paulo vnde vires in docendo.

1. Cor. 15.

onem peccatorum, per hanc vires p̄di candi, ac ꝑ Christo tantum certamen sustinendi accepi: gratia Dei me susten tat, donaq́; eius me ro borant, quæ me ociosum esse non sinunt, quæ ad certamen excitant, ac virtutes in me operā- tur. Fatebatur Paulus, & se sua natura nihil esse, & gratia Dei potentem esse, non suas illas vires, sed Christi in se lo quentis & tantas res operantis esse. Fatebatur tū demū, se ad perfectam illam cui corona debeatur, iusticiā venisse: cum nō solū Christo & in Christū credidisset, sed cū spiritu sancto sanctificatus esset, & dona Dei accepisset, armatus & cōfirmat⁹ in certamē discedens, victoriā de hoste Christi reportaret, bo nū certamē certasset, & cursū consumasset: quo cōsumato, coronas & prę mia posuit. Concludamus igitur, iusti ficationē nostram, nō sola peccatorū remissione fieri, verū etiā gratię Dei & donorū ei⁹ infusione, q̄ sūt fides, spes, & charitas: q̄ diffusa ī cordib⁹ nostris, opa bona, opa pietatis exercet sine qua fides, vt iā diximus, ociosæ & mortuæ instar est. Quę etsi iniciū iustificatiōis

Quod sum, inquit gratia Dei sum.

Conclusio

nostræ sit, nisi tamen spes qua roboratur, & charitas qua perficitur, ad eam accedat, & quod illa orsa est perficiat, aut nullũ, aut exiguũ fructum affert, ociosa manet, mortuæ nomẽ sortitur.

Spem & charitatem fidei comites esse.

CAP. XXXXI.

VT igitur fides prodesse, vt fructũ parere queat, comites illi accedere spem & charitatẽ necesse esse. Et spẽ quidem eiusmodi esse oportere certũ est, qua nihil nobis ipsis tribuamus, vt nõ nobis ipsis fidamus, verũ omnẽ illã spem & fiduciam nostrã in Deo defigamus, ac in eo solo eam ponamus, cuius vnigeniti filij morte remissionem peccatorum consecuti sumus, in domino Deo spes nostra esse debet: viribus nostris, præsidio humano non est fidendum. Si consistant, inquit Dauid aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum prelium, in hoc ego sperabo. Et, Bonum est sperare in domino, quàm sperare in homine, qui suis viribus fidit. Sperat in homine, hoc est, in seipso, quæ spes vana & inanis est. Spes igitur & fiducia nostra

Viribus non fidendum. *Psal. 26.*

Psal. 117.

nostra in solo Deo posita, firma & vtilis est. Si in domino confidis, & quæ credidisti vera esse, certa & indubitata spe futura expectas, veluti remissionẽ peccatorum propter Christum & vitam æternam, hæreditatemque regni cœlestis, vt ille nobis promisit, benè speras, & ad thronum Dei accessum tibi paras. Quod.n. crediderimus, quod Christus nobis promisit, spe etiam certa & firma complecti debemus, verbum Dei immotum & æternum esse credentes, cum ille dixerit, cœlum & terram transitura, sua autem verba immota & æterna esse. Spes igitur firmat fidem, viresque illi ad ea quæ credit apprehendenda & possidenda, suppeditat. Nam qui credit quidem Christum in mundum venisse, pro peccatis nostris mortuum esse, & cætera alia, spe autem certa & firma destituitur, deque bonitate & gratia Dei, quã nobis per filium suum vnigenitũ promisit, dubitat, fides sua nihil illi prodest, non vt iustum commendat, sed vt reum apud Deum accusat, & diffidentiæ damnat. Cuius vicij cum alios

Verbum Dei æternum.

Mar.13.
Luc.21.

Fides spe firmatur.

Matt.8.

tum etiam Apostolos suos Christus reprehendit & reos fecit, & modicæ fidei eos vocat, quod ea quæ crederent, non firma spe apprehenderent, neque planè fiderent. Spes ergo fidei robor est: quæ tamen & ipsa vana & inutilis prorsus erit, si ad eam charitas non accesserit Nam vt fides veritatem apprehensam credit, spes certa fiducia quæ fides comprehendit, expectat, ita charitas vtramque ad operanda ea, quibus & fides & spes commendatur, excitat. Nā frustrà crediderit aliquis, peccata sibi propter CHristū remitti, nisi iustū de patratis illis dolorem corde conceperit, nisi detestatus & confessus illa fuerit, nisi fructus dignos pœnitentia sua egerit, frustrà misericordiam quam credidit, & quam sperat implorabit, qui eam à se imploranti negauerit, frustrà remissionem debitorum suorum apud Deum orabit, nisi debitori suo se petenti remittat debitum. Dimittite, inquit Christus, & dimittetur vobis, Date & dabitur vobis, & nisi remiseritis peccata aliorū, non dimittetur vobis. Dat nobis eius

Incredulitatem improbat CHristus.

Charitatis vis.

Luc.6.

rei clarissimum exemplum, seruum illum, cui decem millia talenta donata erant: qui quod conseruo suo centum denarios donare nollet, debiti quod erat illi donatum reus damnatur, & ligatus in carcerem, omni spe misericordię adempta cōijcitur; quare cōiuncta sint fidei necesse est, sperare & benè agere. Primū quidem est credēdum, deinde sperandum, tertio loco charitatis opera exercēda. Sine charitate & fides & spes inutiles sunt. Charitas est, quæ & fidem & spem perficit: charitas est perfectio iustitiæ, Frustrà credis, frustrà speras, nisi charitatis opera exerceas. Quod cùm videret Dauid, sæpiùs nos vt spei nostræ, charitatis opera adiungamus, monet. Spera, inquit, in domino, & fac bonitatem, & pasceris tu diuitijs ei⁹. Et, Sacrificabo sacrificium & sperabo in domino: tum demū enim spes in domino prodest, cùm bonitatē facimus, cùm opera pietatis, quę fides per charitatem profert, exercemus. Tū & fides & spes vtilis & viua est, cū p dilectionē operatur, cū declinat à malo & facit benè. Nā si nihil aliud fecerim⁹ quàm

Charitas perfectio iustitiæ.

Fides viua.

quam credamus & ſperamus, credere & ſperare profeſſi charitatis opera neglexerimus, & ab iuſtitia quam fides parit, longè remoti fuerimus, & illam vitam, quam nobis promiſſam ſperamus, nulla ratione conſequi poterimus, & ab ingreſſu regni cœleſtis excludemur. Quo ſi peruenire velimus, operemur neceſſe eſt opera charitatis, quæ iuſtitiam noſtram perficiunt, & ſpem confirmant: hoc enim eſt operari ſalutem, opera charitatis exercere, non ſolùm credere & ſperare. Nō ſola igitur fides iuſtitia noſtra eſt, non ſola ſpes & fiducia præmia & coronas conſequitur, ad honoreſque nos euehit. Multi ſunt qui credunt, & dæmones quidem, multa qui falſa fiducia nituntur, nihilque ſibi non promittunt, regna cœleſtia ſpe deuorant, ac ſe iam eſſe cum CHRISTO gloriantur. Qui quod charitate vacui ſint, toto cœlo, quod dicitur, errant: nihil min⁹ quàm hoc quod credunt & ſperant conſequuntur. Sperabant virgines fatuæ, ſe introituras cum ſpōſo ad nuptias, credebant illis quæ ab illo nunciabantur,

Iuanis iactātia fidei.

Virgines fatuæ cur reijciūntur.

vo-

vocatæ occurrunt: ſed quoniam oleũ defuit, quoniam oleum operum charitatis non acceperant, reijciuntur & excluduntur: fruſtra pulſant fores, audiunt illã horrẽdã vocem: Amen dico vobis, neſcio vos, vt & illi qui dicebãt, Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus? nónne ſigna in nomine tuo fecimus & prophetauimus? Credebant iſti, & ſpem fiduciamque vitæ æternæ habebãt, ob eamq; petendam acceſſerant ad CHriſtum: quibus ille tamen reſpondit, neſcio vos: ite maledicti in ignem æternum. Si crediderunt, ſi ſperarunt, cur reijciuntur? cur non iuſti pronunciantur? Quod charitate vacui ſint, quod fides & ſpes eorum charitatis operibus perfecta non fuerit. Vt igitur perfectam iuſtitiam cõſequamur, & verè iuſti & ſim⁹ & pronunciemur, charitas fidei & ſpei noſtræ comes adiungenda. Sed & charitas illa vt & fides & ſpes, vera non ficta ſit, hæc enim non iuſtum, ſed hypocritã reddit. Non defuerunt opera charitatis Phariſæis, dabant eleemoſynas, ſubueniebant inopi: ſed quoniam illa charitas ficta erat,

Matth. 25.

Matth. 7.

Doctores qui charitate carent damnantur.

Charitas ficta non prodeſt.

erat, & ambitionis instrumentum, ostentatioque pietatis, captandi hominum fauores, gloriamque mundi, nō iusti à Christo iustitię datore, sed hypocritæ & parietes inalbati esse pronunciātur. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm scribarum & Pharisæorum, non intrabitis, inquit, in regnum cœlorum. Quæ est abundantior iustitia? Charitas ex corde puro & conscientia bona & fide non ficta. Charitas igitur perficit iustitiam: sola charitas est, quæ & fidem & spem perficit & vtilem efficit: Vbi hæc nō est, omnia inania sunt, nihil Sacramenta, nihil eleemosynæ, nihil ieiunia, nihil fides, nihil spes absque charitate sunt. Huic Paulus soli omnia tribuit, Corinthios suos ne errent, & sola fide & spe nitantur, monens, hanc vel maximè sectari iubet, ac virtutes eius vimq; pluribus depingit verbis. Si, inquiens, linguis hominum loquar & angelorum, charitatē autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniēs. Etsi habuero prophetiā, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam: etsi habue-

Matth. 5.

Abundantior iustitia charitas est vera.

1. Cor. 13.

habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, etſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Charitas patiẽs eſt, benigna eſt, charitas nõ ęmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa non quęrit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Hæc Paulus quæ diſertè docent omnia illa quæ recenſuit, tum demùm nobis prodeſſe, cùm charitas illis aſſiſtat; fruſtrà habebis omnia, niſi charitatem habeas. Inanis tua fides, inanis ſpes, linguarum cognitio, eleemoſynæ & cætera omnia nihil profuerint, niſi à charitate ea proficiſcantur & exornentur, quæ eſt ex puro corde, quæ non ficta eſt.

Sine charitate fides mortua.

Qui

Qui, inquit Augustinus, charitatem non habet, frustrà cætera habet, quam tamen nemo nisi seruꝰ Dei habere potest. Etenim qui Christi non sunt, neq; charitatem veram quæ donum Dei est habere possunt. Quæ cùm ita sint, opera danda. vt & credamus, & speremus, & charitatis opera exerceamꝰ: quæ qui negligit, iustitiam negligit: Opera illa, & fidem & spem quales sint, demonstrant, iustitiamque à fide inchoatam, spe firmatam & auctam perficiunt, & absolutam præmijsque dignam reddunt.

Charitas donum DEI.

Charitatem non esse eandem re ipsa cum fide & spe.

CAP. XLII.

SED & illorum ineptiæ non ferendę, qui fidem spem & charitatē, nō re sed nomine tantum distinctas virtutes esse volunt, in eoq; diligenter philosophantur, & nimium ingeniosi videri volunt, si quid contra apertam veritatem garriant. Quos quoniam ipse Paulus apertè refellit, non est cur eis aut Augustinum, qui hæc distincta in

En-

Enchiridio ſuo eſſe doceat, vel aliquẽ alium Doctorum, qui eum errorem iam olim refutarũt, obijciamus. Quid enim ea verba, quæ modò ex Paulo retulimus, volunt? quid indicant? quam fidem, ſpem, charitatem, diſtincta dona Dei, diſtinctasq; virtutes eſſe. Nũc, inquit, tria hæc manent, fides, ſpes, & charitas, maior autem horum eſt charitas. Tria, inquit Paulus, hæc manent: ſi tria ſunt, non vnum certè ſunt, & idem, ſed diuerſa & plura ſunt: tria enim non ſunt vnum. Quomodo Paulus tria hæc manere diceret, ſi vnum re ipſa eſſent? cum non in nominibus ſed in rebus numerus locum habeat. Poteſt vna res pluribus nominibus, notari, vna tamen manet eius ſubſiſtentia. Neque enim nominibus multiplicatis, rem ipſam multiplicari neceſſe eſt. Vnus erat Publius Cornelius Scipio, quamuis tria nomina haberet, non alius Publius eſt, quã qui Scipio, qui Africanus dictus: neque tres Scipiones conſules contra Annibalem miſſo Pub. Cornelio Scipione, mittũtur, quamuis ille triplici nomine vo- 1. Cor. 13.

cetur. Nomina multiplicata substantiam rei non multiplicant, nec nomē vnum plurium rerum, vnam rem reddit. Si plures sint Scipiones, & si vno eodemque nomine vocentur, non vnus tamen Scipio, sed plures sunt. Trecenti Fabij in bello Veientano cæsi, non vnus, quamuis vno nomine Fabij dicerentur: nomina enim neque augent, neque diminuunt rerum numerum: tria vnum esse non possunt. Iam quæ re ipsa vnum sunt, quamuis nominibus plura esse videantur, inter se comparari nequeunt: neque si vnum fuerit aliud abesse potest. Hæc autem quæ Paulus tria esse docet, fides, spes, charitas, & conferuntur inter se, & aliud alio mai⁹ esse dicitur, Tria, inquit Paulus, hæc manent, fides, spes, & charitas. tria esse numerat, tria manere docet, quotum posteà vnum tantum manebit, charitas ipsa fide & spe extinctis ac mox inter se ea confert, maioremque spe & fide charitatem esse asserit. Maior, inquit, horum est charitas: Horum dixit, numero multitudinis, vt nō ad vnum referat, sed ad plura, & inter

Liuius.

Idem sibi nō confertur.

Quæ comparantur plura sunt.

ea charitatem maiorem. Si vnum sunt & idem, quomodo idem seipso aut minus aut maius est? quomodo fide & spe cessantibus, charitas manere dicitur? Si idem spes, fides charitas sunt, manente charitate fides cum spe manebunt, non potest enim idem simul & esse & nõ esse, quomodo PAVLVS dixit, si fidem habeam vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum? Si enim fides & charitas vnum sunt, qui fidem habet, non potest dici charitatem non habere: aut si hanc non habet, nec fidem habebit. Iam illa quid volunt? quod fides inicium iusticiæ sit, charitas verò perfectio. Fides, ait Paulus, per dilectionem operatur. Aliud autem est quod operatur, aliud per quod quis operatur. Sed diutius in re luce ipsa clariore occupor, præsertim cum tam apertas nugas viri graues refutauerint, ac prorsus euerterint. Ga. 5.

Iustificationem esse formam re ipsa homini iustificato inhærentem, non imputatiue tantum.

CAP. XXXXIII.

ATque ex ijs quæ dicta ſunt, facile eorum conuincitur error, qui dicunt iuſtitiam noſtram non eſſe in nobis re ipſa, ſed tantum nobis eam imputari, cùm illa re ipſa in CHRISTO conſiſtat, qui verè iuſtus eſt: nos autem proptereà tantum iuſtos eſſe, quod iuſtitia CHriſti quam fide apprehendim⁹ nobis imputetur, vt noui iſti Doctores loquuntur, & accepta nobis feratur. Atq; ita nos non eſſe verè iuſtos, ſed pro iuſtis imputatiuè haberi, quaten⁹ CHriſti iuſtitiam per fidem poſſideamus: hanc enim ſolam eſſe volunt noſtram iuſtitiam, non quatenus ea nobis à Chriſto communicatur, ſed quatenus in Chriſto ipſo reſidens, poſteaquàm eam per fidem apprehenderimus, nobis perinde ac ſi noſtra eſſet imputetur: Docent enim iſti, nos reputari iuſtos, hoc eſt, acceptos non propter propriam qualitatem, hoc eſt, non propter gratiam, quam de plenitudine Chriſti accepimus, ſed propter aliud extra nos, ſcilicet propter mediatorem IESVM CHriſtum per miſericordiam Dei. Quod figmentum non diſſimi-

Doctrina erronea.

mile eſt faciei, quā in ſpeculo cernim⁹, quæ cū nō re vera ibi ſit, eſt.n.in nobis, qui ſpeculū intuemur, & nos quales ſimus cōtēplamur: tamē videtur eſſe, & quales nos ipſi ſum⁹, nobis demōſtrat. Speculi igitur nos ſecūdū iſtorū doctrinam inſtar ſum⁹, in quo Chriſti iuſtitię forma appareat, quæ re vera in ſpeculo illo nō ſit. Nā vt forma illa, quę nos refert in ſpeculo, non eſt forma ſpeculi, nec re ipſa in ſpeculo cōſiſtit, ſed in nobis eſt: ita iſti iuſtitiā in CHriſto re ipſa impreſſam in nobis tantū ſimulachrū videri, & putari eſſe cū non ſit, aſſerūt. Quæ doctrina apertè ex illis quæ diximus ante, falſa eſſe demōſtratur. Nā ſi iuſti tū ſumus, cū peccatis nobis propter Chriſtum IESVM penitus remiſſis, & radicit⁹ extirpatis, nō in ſumma cute tantū abraſis, gratia Dei cordib⁹ noſtris infunditur, ac dona illa ſpes, fides, charitas nobis dantur, & tū demū pfectā iuſtitiā cōſequamur, cū charitas in corde noſtro diffuſa, opa bona in nobis excitat, & fides in nobis p dilectionem opatur. quomodo fieri poteſt, vt iuſtitia cui⁹ cauſæ ī nobis ſint, ac re ipſa in nobis.

Imputatiua iuſtitia ſpeculo confertur.

Extirpari peccata, non radi.

Gal. 5.

Cauſa iuſtitiæ in nobis eſt, igitur & iuſtitia ipſa in nobis.

in nobis operentur, non sit in nobis re vera? Iusticia etenim nostra est charitas ex corde puro & conscientia bona, & fide nō ficta, q̃ tria in nobis re ipsa sūt, ac in corde nostro diffunduntur, & virtutes opantur, humiles, castos, iustos, pios efficiūt. Quę omnia in nobis sūt, & formā nobis imprimunt noui illius hominis, qui est Christus: nam per hæc tria, fidem, spem, & charitatem, character Christi nobis imprimitur, & imago illa q̃ peccato deformata erat, planeq; obsoleuerat, restituitur: quæ imago & similitudo in nobis re ipsa est, ac interiorē hoiēm nostrū instaurat & informat, deletoq; Sathanę charactere, q peccatū est, nouā nos creaturā facit, vt vbi abūdauit peccatū, supabundet gratia ait Paul⁹. Quæro aūt ex istis: nū peccatū re ipsa in nobis sit? nū nobis formā & characterē Sathanę imprimat? an verò extra nos est, & in Sathana solo hæreat, & nobis imputetur tantū? Re ipsa in nobis peccatum est, ab eo peccatores & iniusti appellamur: in omnes peccatum Adæ transiuit, & impressum re ipsa inest nobis. Audi Paulum

Imago & similitudo Dei in homine.

peccatum Sathanæ character.

Rom. 5.

Peccatum in nobis hæret.

lũ, Sed non ſicut delictũ ita & donũ; ſi .n. vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia dei & donũ, in gratia vnius hoīs Ieſu Chriſti in plures abundauit. In nos trāſiſſe re ipſa delictũ Adami, docet Paul⁹, in nos gratiā Dei & iuſticiā effūdi, nobiſq; eā imprimi diſertè concionatur. Vt peccatũ & iuſtitia in nobis reipſa ſunt, ita iuſticia in nobis eſt, verè liberi, verè iuſti ſum⁹. Si vos inqt Chriſt⁹, filius liberauit, veri liberi eritis. At iſti non eritis aiunt, verè liberi. Sed hacten⁹ tantũ eritis à peccacato liberi, quatenus vobis non imputabitur. Pater, inqt Chriſt⁹, ſanctifica illos in veritate. Iſti verò nō in veritate ſanctificari nos dicũt, nec verè iuſtos neq; ſanctos re ipſa, ſed imputatiuè tantũ haberi; Quod nō aliter dicunt, quā ſi quis ſimiā pulchrā, quæ deforme mōſtrum eſt, dicat eſſe, eiq; imputet eā formam, quam illa habere non poſſit, imputatione enim ſua tribuit, qui quod non eſt tribuit. Certè iſti illorum ſimiles ſunt, qui cum deformes liberos habeant, tamen pulchros appellant, & pro venuſtis eos habent. Ac vide

Vide Hoſium

Ioan. 8.

Ioan. 17.

iſtorum animum:ita opera bona ode-
rūt, vt & gratis quidem ſibi oblata re-
cipere, & intra viſcera ſua admittere
nolint, extra ſe ea eſſe volunt, cū Chri-
ſtus dicat. Qui fecerit iuſtitiam, iuſtus
eſt. facere autem iuſtitiam in nobis eſt.
Quam quod iſti nō faciunt, extra nos
eam locant, ne vim vllam veniens ad
nos, libidini noſtræ afferat. Si iuſtitia
noſtra extra nos eſt, & fides quam iſti
ſolam eſſe iuſtitiam docent, extra nos
erit, extra erit fiducia quam iactant,
extra eos eſt re vera charitas. hāc enim
cum operibus bonis à ſe allegant & ar
cent Si fides tua eſt in te, & iuſtificati-
onis tuæ cauſa eſt, cur iuſtificatio quā
illa parit, nō ipſa tibi ineſt? ſi fides, ſpes,
& charitas, quę tuæ iuſtitiæ cauſę ſunt,
in te ſunt, & iuſtitia ipſa, re ipſa in te
hæret, & vt imago ſimilitudoque Chri
ſti tibi impreſſa lucet. Nam quod iſti
Pſal. 31. ad illud confugerunt: Beatus homo
cui non imputauit dominus peccatū,
non eò ſpectat, vt iuſtitiam noſtram
extra nos eſſe doceat, ſed quod remiſ-
ſio peccatorum nobis propter CHri-
ſtum datur, & ita datur, vt nulla eorū
memo-

memoria exiſtat. Re ipſa igitur nobis imprimitur iuſticia: Nam ſi imputare verbum, eſt acceptum tantum facere, peccatum quoque re ipſa non hęrebit in nobis, ſed tantum vt & iuſticia imputabitur, ac ita nos non verè peccatores erimus, ſed tantum imputatiuè. Si propterea homo beatus, quia non imputatur ei peccatũ, & imputare eſt adſcribere aliquid alicui, quod ille re vera non habeat, beatus ille erit homo cui Deus peccatum non acceptũ fert, hoc eſt, cum ille verè peccatum nõ habeat, peccatum illi non adſcribat. Si iuſticia imputatiuè tantum eſt in nobis, & peccatũ tantũ imputatiuè, non verè erit, & ita non noſtro vicio peccatores erimus, ſed Dei culpa, qui nobis vel imputat, vel nõ imputat, quod noſtrum non eſt. Si poteſt non imputare peccatũ, poteſt etiã imputare peccatũ, nã ſi imputat iuſticiã, q̃ non eſt, poteſt imputare etiã peccatũ ꝙ nõ eſt. Nõ imputatio peccatores reddit; ſed ipſe reatus re ipſa admiſſus: nõ imputatio iuſticiã noſtrã parit, ſed q̄ iuſticiã operatur iuſtus eſt. Beatus igitur homo, cui non

Non imputari peccatum, est remittere peccatum.

imputauit dominus peccatum, id est, cui peccatum cōmissum remisit, propter suam misericordiam, neque amplius eū peccati cōmissi dānat, sed eo illi donato iusticiā suā & gratiā ei quæ diffunditur in corde ipsius, infundit ac re ipsa iustum facit, ac verè iusticiam nobis imprimit imaginemq; illam & similitudinem, ad quam nos creauit, q̄ peccati sordibus obruta erat, reformatam restituit. Re vera tollit peccata mundi, qui ait. Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorū tuorū non recordabor. Delet formā peccati, q̄ reipsa & verè nobis à Sathana imprimitur. Non dicit igitur, ego imputo, sed ego deleo, & deleo qđ est in te, nō qđ extra te est pctūm. Vt igitur reipsa peccatū delet, ita reipsa iusticiam suam nobis imprimit, quę est imago & similitudo Dei, ad quā creati sumus. Sed isti vrgent illud suum: Beatus cui non imputauit dominus peccatum, vt inde suam doctrinam stabiliant, ac iusticiam imputatiuam nobis vel inuitis obtrudant, vt cum putemus nos ab eis pulchrè adornatos, &

Deletur quod in nobis est, non quod extra.

no-

nouo panno isto iusticiæ à se contexto vestitos, nudos in conspectum Dei omnibus cælitibus deflendos ꝑducāt, ac vt histriones fabulā apud suos agāt qbus, vt sartor quidā nebulo simplici thrasoni illusisse narratur, suis illudāt, cuius fabulæ ea sūma est. Vano cuidā & simplici thrasoni pānus à nebulone sartore describitur percōmod⁹, sed eo colore infectus, vt à nothis & spurijs conspici non possit. Itaq; thraso cupidus emendi, pannum sibi proponi iubet nebulo protinus tanquam multarum vlnarum molem profert, & pansis palmis vt mercatores solent, licia deducit, speciem miratur, emptori suo prædicat & ostentat. Quem pannū thraso cùm nullum videret, adulterij matris suspitione protinus tactus, ob eamque causam pannum illum se videre non posse putat, confiteri tamē, se nihil videre, erubescit, ac vt probrum suum & matris suæ celet, pannum quem nullum viderat, & qui nullus esset, se videre & admirari dicit, & emit, vestemque sibi sarciciri iubet. Hic sartor exultare & serio

Doctrina hæreticorum de imputatione iustitiæ similis fabulæ.

Histrionum artes. ſerio triumphare incipit, pannum diuidit, diuiſionis ſtridorem miris modis imitatur, veſtemque hoc egregio inuiſi & inuiſibilis, nothis & ſpurijs, coloris panno conſarcit, precium denique accipit, & veſtem thraſoni ſtulto addicit, ac vt ſolent ſartores, alijs depoſitis veſtibus, thraſonem miſerum, nunquā viſa illa veſte induit, & aptam eſſe affirmat, miramq́; venuſtatem ei⁹ dilaudat, ac vt in publicū ita veſtitus prodeat, ac quantum illa veſtis gratiæ ſibi & admirationis hominum afferat, experiri iubet. Prodit ille vt erat nud⁹, fit hominum concurſus, alijs nouitatem inſaniæ mirantibus, alijs vt ſtultū thraſonem ridentibus. Nónne ſimile hoc eſt, quod iſti agunt, iuſtos nos eſſe docent, ea iuſticia, quæ in nobis non eſt, ſola apprehenſione per fidem Chriſti iuſticiæ, nos iuſtos eſſe aſſerunt, & nudos vacuoſque omni iuſticia. & veſte illa, quam nuptiæ CHRiſti poſtulant, Sathanæ ludendos tradunt, à thraſonibus inſenſatis præcium, nunquā viſi iuſticiæ ſuæ panni emungunt, ac voces veræ doctrinæ arte ſua imitantes

Accomodatio fabulæ doctrinæ imputatiuæ.

Origines.

tantes in fraudem homines præcipitant; Percommodus pannus & vestis esse videtur, aliena iusticia te iustum esse, CHRistum pro te satisfecisse, te non oportere opera bona agere, illa prouulgata iam esse: nullam gratiam tibi apud DEVM parere, modo per fidem CHRISTI iusticiam apprehendas, omne genus libidinum licere tibi patrare, ob nulla vicia te damnari posse, viueres vt velles, desiderijs tuis seruires, nihil id esse, fidem solam tuam CHRISTVM inspicere ac probare. Venusta hæc species iusticiæ & mundo grata, imò Sathanæ gratissima, tua ista vestis, cum qua cum in nuptias ingressus CHRISTI fueris, audies statim, Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Audies statim vocari seruos, qui te ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores mittant, ac Sathanæ cuius opera operatus fueris, cruciandum tradant. Sed quoniam vt diximus DAVIDIS illa isti sibi psallunt: Beatus vir cui Dominus non imputauit peccatum, quomodo ea verba intelligenda sint,

Matt. 22.

da ſint,quis eorum non modo ſonus quem hiſtriones iſti immittantur, ſed etiam ſenſus paulò latius explicandū videtur verāque explicationem corū verborum huic loco inſerendum, quam ijs verbis lumē Poloniç noſtræ Diuus Hoſius exponit. Verum à ſancto Dauid, aiunt, ſcriptum eſt: Beatus vir cui non imputauit dominus peccatum. Scriptum eſt, verùm non eo ſenſu, quo volunt nouatores iſti, neque hoc verbis iſtis Dauid ſignificare voluit; peccatum, quod quidem veri peccati rationem habet, quodq́; ſempiternæ mortis reum facit hominem, eatenus tātum remitti, vt non imputetur, non aūt vt nō ſit. Longè abfuit ab hac ſententia ſanctus ille Rex & Propheta: quin illud his verbis exprimere potiùs voluiſſe videtur, Beatum eum eſſe, in quo ſic peccatum deletur, vt eius etiā oīs memoria extinguatur, quaſi nunq̃ admiſſum fuiſſet, vt fiat illud quod per Ezechielem dicit dominus; Omnium iniquitatum quas operatus eſt, non recordabor. Iuſtin⁹ Philoſoph⁹ & martyr proximus Apoſtolorū tēporibus,

Pſal. 31. Beatus vir cui non imputauit domin⁹ peccatum, explicatur.

Ezech. 18.

Iuſt in col. cū Triphone Iudæo.

cum

cũ hunc ipsum locũ adduxisset, quasi perstringẽs nostri temporis hęreticos: Beatus, inquit, cui non imputabit dominꝰ peccatum, hoc est, cui pœnitenti peccata remittet Deus. Nõ sicut p̃dicatis vosmetipsi fallentes, & alij quidã vestri similes asseuerant, etiã si peccatores fuerint, modo Deũ norint, nõ imputabit eis peccata dominus. Videtur aũt Propheta quasi gradꝰ quosdã constituere, q̃ddã vt amplius esse velit tegere peccata, q̃ remittere; Rursus maius q̃ddã nõ imputare, q̃ tegere, quẽadmodũ à doctissimo Origene, & ab Euthimio legimꝰ annotatũ. Tunc .n. nõ imputari peccatũ interpręratur Origenes, quando mẽs hoĩs ad perfectũ venerit, ita vt oĩs malicia ex ea penitꝰ amputetur, eo vsq; vt nullũ in eo vestigiũ possit reperiri neq̃tię. Hierony. quoq; psalmũ hũc enarrãs, remitti dicit peccata p̃ baptismũ, tegi p̃ charitatem, de qua scriptũ est, q̃d operit multitudinẽ peccatorũ, nõ ĩputari p̃ martyriũ. Quibus verbis nõ obscurè videtur indicare, maiꝰ q̃ddã significare, cũ nõ imputari, q̃ cum vel remitti, vel tegi peccatum

Discrimẽ inter tegi, remitti & imputari.

Li. 4 in ep. ad Rom.

In psal. 31.

Imputari apud veteres quid.

1. Pet. 4.

tum

Quid sit non imputari peccatum.

tum dicitur. Quamobrem cùm legimus, non imputari nobis peccatum, sic accipere debemus, vt cùm puluisculo, quod aiunt, ablatum, nec vel vestigium vllum deinceps eius in nobis reliquum esse factum persuasum habeamus. De iustitia verò, CHRISTO potiùs & Apostolis eius fidem habeamus, qui verè nos sanctos, verè liberos, verè iustos esse constitutos, ac filios DEI non modo nominari, verùm etiam esse dixerunt: quam nouatoribus istis, per quos non aliam ob caussam, hanc de ficta & imputata iustitia, quam ipse commentus est Sathanas, doctrinam disseminauit, quam vt homines veræ iustitiæ prorsus expertes faceret. Hæc Hosius & alia plurima, quæ ex eius libro petantur: nos hæc pauca ex eo interea decerpsisse satis fuerit, qui ad alia properamus.

Homines iustos esse non ea iustitia qua Deus iustus est, sed qua illi ipsi iusti sunt.

CAP. XLIIII.

Non

NOn dissimilis est error eorum superiori, qui nos iustos esse non nostra iustitia, sed ea qua ipse Deus iustus sit asserunt: nam & isti nudos nos iustitia esse volunt, vesteque illa quā fides spe & charitate sibi adiunctis, consarcit, nos exspoliant, nudosq́; nos ad tribunal Dei deducere conantur. Habet suam Deus iustitiam, quę eius propria est: habent homines suam propriam, non quod proprijs viribus & suis eam contexant, sed quod Deo eam texenti, suum studium accommodent, & beneficio eius acceptam asseruant, & legitimè ea vtuntur. Iustitia enim Dei nostra fit, cùm donatur nobis, & cùm in ea accepta consistimus. Vnde fit, vt eadem iustitia & Dei donantis, & nostra, qui dono nobis datam accipimus, dicatur; iustitia namq; Dei nobis fit iustitia, cùm ei cohærēdo iustè viuim⁹, & multò magis minúsue iusti sum⁹, quanto magis minúsve illi cohærem⁹, ait Aug. Quid. n. aliud est iustitia in nobis, vel q̄libet virt⁹, qua rectè sapiēterq́; viuitur, quam interioris hominis pulchritudo, secundum quam pul-

Similis superiori error refellitur.

Aliā Dei iustitiā alia nostrā esse.

Iustitia DEI quomodo nostra fit.

Epist. 85.

christitudinem ad imaginem & similitudinem Dei facti sumus. Quam imaginem quoniam peccati venenum & obscænitas deformat & corrumpit, Paulus nos monet, ne conformemur huic seculo, sed vt renouemur in nouitate mentis nostræ, vt hoc modo probemus nos scire quæ sit voluntas Dei, quod bonum & placitum ei & perfectum. Cùm igitur Deus per gratiam suam dona sua nobis largitur, iusticiamque suam nobis, quam nos ipsi ex nobis habere non possumus, dat, & nos eã accipimus, & acceptę cohęremus in eaq; viuimus, nostra fit, in nobis verè hæret, & vt forma materiã sibi subiectã perficit & exornat. Si originem eius ac fontẽ spectes, Dei est, q est & iusticiæ & omnis opis boni fons & causa efficiens: sin eius possessionẽ hæreditatemq;, nostra est: illa est imago ad quã interior homo cõditus est. Falsum igitur dicunt, qui iusticiã hanc nostram extra nos esse contendunt, & impiè viuentibus propter solam fidẽ eam tribuunt, cum iusticia nostra esse non possit, nisi, cum & donatam accipimus

Iusticia & quæuis virtus est interiorus hominis pulchritudo.

Rom. 12.

Deus dona sua nobis largitur.

Dona Dei in nobis here re.

Quomodo Dei & quomodo nostra iusticia ist.

pimus & acceptam seruamus, eiq; re-
ctè viuēdo cohęremus, opereq́, bono
eam nos seruare demonstramus. nam
charitas ex qua iusticia nostra est, ex 1.Tim.1.
corde puro & conscientia bona, & nō
fide ficta, ociosa esse in nobis manere
non potest, semper nos ab benè agen-
dum, piè, castè, sobriè, & iuste viuen-
dum incitat, & quæ sit voluntas Dei
quod bonum quod illi acceptum de-
monstrat, imaginem Dei in nobis pec
cato deformatam reformat, ꝑ quam *Charitas vera quid faciat.*
in numerum filiorum Dei coopta
mur, & à filijs dei discernimur, de qua
charitate differens Augustinus, ait.
Non eam charitatem iusticiam no-
stram esse, qua nos ipse Deus diligit, *De spiritu et litera ca. 32.*
sed qua nos facit sui dilectores & ama-
tores, qua nos amati à Deo, ipsum a-
mamus Deū, & amantes amplius ama
ri meremur. Et hic noster amor Dei,
iusticia nostra est, quod Ecclesia oran-
do fatetur, dicens: Deꝰ quē diligere &
amare, iusticia est vnde cōstat & iusti-
ciā nostrā intra nos esse, & nos nō ea
iusticia iustos esse, qua ipse iustꝰ est, sed
ea q̄ in nobis facit: aliter.n. iusticia in-

Psal. 150. gitur, ait Augustinus, qua ipse Deus iustus est, aliter quàm in nobis facit, vt nos simus iustitia eius: hoc n. agit spiritus gratię, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret. In nobis vitium quippe cõtra naturam est, quod vtique sanat gratia, propter quã Deo supplicamus dicentes: Sana animam meam, quia peccaui tibi. Iustitia igitur nostra est, non qua Deus ipse iustus est, sed quã dat hominibus Deus, vt homo sit iustus per Deum. Et quidẽ eadem iustitia & Dei & hominis esse dicitur, sed ratione diuersa, quemadmodum & salus & nostra & Dei dicitur. Vt cùm dicitur, Domini & salus. Vbi etsi non ea salus intelligitur, qua ipse Deus saluus sit, sed qua nos saluos facit, tamen domini sal⁹ dicitur, quod ipse eam nobis det, quod ab eo proficiscatur, nostra autem quod in nobis sit, & nos integros seruat. Ita dicemus timorem Dei, non quo ipse timeat qui nihil timet, sed quem cordibus nostris inspirat, vt timentes se à malis abstineamus, quomodo dixit Dauid: cõfige timore tuo carnes meas. Et, timor

De spiritu & litera.

Vitiũ in homine contra naturam est.

Psal. 40.

Psal. 3.

Psal. 118.

Psal. 18.

Do-

Domini sanct⁹ pmanet, q in nobis nō in ipso Deo à quo nobis datur, est, & sanctos nos reddit, quo eodem modo iustitia quæ nostra est, Dei iustitia esse dicitur, quod Deus ei⁹ author in nobis sit, quod eã nobis sua gratia largiatur: Nam vt dixi, vna & eadem res & esse & dici diuersorũ, diuersa tamen ratione potest, vt Euãgeliũ idem & Euãgelistarum & Christi est; Christi quod eius author fuerit: Euangelistarũ, quod ipsi ea quæ CHristus & fecit & docuit, literis mandarunt: quomodo Paulus dixit, secundum Euangeliũ meũ, idem Euãgelium est, & Christi, quod docuerit & à patre ad nos detulerit, & Pauli quod à CHristo acceptũ docuit, purpuræ color, & purpuræ est & muricis, muricis quidẽ natura, purpuræ arte, cũ murice color ille nascitur. Purpura tincta cruore muricis colorem eum bibit, & suũ efficit. Quomodo nos, iustitia Dei, quæ ab ipso sit & nobis datur tingimur, iustiq; efficimur. Quę iustitia re ipsa nobis non minus inest, q̃ color ille purpure⁹, lanæ cruore muricis tinctæ: nō extra purpurã color est, sed inhæret

Vna res diuersa ratione diuersorũ esse potest.

Rom. 2.

Euangelium Pauli.

Purpura cuius sit.

lanæ cruore illo tinctæ, quę natura sua coloris eius expers fuit Et nobis iusticia Dei, quam à nobis habere non potuimus, re ipsa Dei gratia & beneficio data inhæret, nouamq; formam & colorem iusticiæ nobis imprimit, ob idque nostra & est & dicitur, contra quam aduersarij volunt extra nos eam esse, & sola imputatione nostrā dici contendentes, cùm purpuræ colorem eum quem natura non habuit, re ipsa hærentem non imputatione aliqua, & videant & fateantur. Pugnat cum ipsa ratione, inquit Hosi⁹, si quis dicat iusticiam Dei quæ nobis non inest, causam esse formalem iustificationis nostræ: neque minus pugnat cū recepta tot sæculis totius Ecclesiæ doctrina, quæ docuit nos quidem, quod iusticia Dei iusti simus, sed nō hoc sensu, quasi nihil sit in nobis, quo iusti simus, verum quod hoc ipsum, quod in nobis est, quo iusti sumus non ex nobis est, verum Dei donum est Quod in libro de spiritu & litera, quem falsò pro se facere nouatores isti contendunt, aliquot in locis inculcat Aug. Sed apertiùs etiam hanc sententiā adstru

Iusticia Dei in nobis reipsa hæret.

Vt purpuræ non imputatiuæ, sed re ipsa lanæ inhæret, ita nobis iusticia Dei.

Ecclesiæ doctrina de iusticia nostra.

De spiritu & litera cap 9. 11. 18. & 31.

it, enarrans illud ex Psalmo: In tua iusticia erue me. Est, inquit, tristitia Dei, quæ & nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem D E I iusticia dicitur, ne homo se putet à seipso habere iustiniam Et eadem verba in alio Psalmo explicans: Cum ero iustus, inquit, tua Deus iusticia erit, quia iusticia mihi abs te data iustus ero: & sic erit mea vt tua sit: id est mihi abs te data. Et alio loco. Dicitur iusticia Dei, non solum qua ipse iustus est, sed quam dat homini cum iustificat impium. Et iterum alibi: Ignorentes Dei iusticiam, id est, q̃ dat hominibus Deus, qui solus est iustus & iustificans: & suã volentes constituere, id est, velut à se sibi paratã nõ ab eo impartitam, iusticiæ DEI non sunt subiecti, & in alio quodam libro, loquens de virga Aaron: Nunc inquit, virga Dei dicitur, quæ primũ virga dicta est Aaron, posteà verò virga Moysi sicut dicitur spiritus Eliæ, q est spiritus Dei cuius particeps fuit Elias; sic illa potuit dici. Dicitur etiam Dei iusticia quæ nostra est, sed donata à DEO, de qua loquens Apostolus Iudeos

Psal.30. *Psal.70.* *Lib.14.de trin.cap.12.* *Rom.10.* *Quæst.sup. Exod.ca.25.* *Exo..7.* *4.Reg.2.*

Rom. 10. arguit dicens; Ignorantes Dei iusticiam, & suam constituere volentes, tanquam à se sibi paratam, contra quales dicit: Quid enim habes quod non accepisti? Eundem etiam Pauli locum explicans alibi; Quid hoc est, inquit, iusticia Dei, & iusticia hominis? Iusticia Dei dicitur, non qua iustus est Deus, sed quam dat homini Deus, vt sit iustus homo per Deum. Et ad Bonifaciũ scribens. Non enim propterea iusticia Dei dicitur, quoniã iustus est, sed quia homini ex Deo est. Et producens illũ ex Psalmo locum: Exaudi me domine in tua iusticia, hoc est, inquit, non in mea. Si diceret, exaudi me in iusticia mea, tanquam meritum vocaret. Vocat quidem in nonnullis locis & suam iusticiam, sed sic melius discernit, quia & suam quando dicit, datã dicit, quomodo dicimus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie: quomodo nostrum, quomodo da? Ne verò posset videri negare merita, post interiecta quædam subiungit: Hinc cum exieris, recipieris pro meritis, & resurges ad recipienda, quæ egisti, tunc Deus corona-

1 Cor 4. *Tract. 26 in Ioan.* *Cont duas epist. Pelag. lib 3 ca. 7.* *Serm. 69 de tempore.* *Psal. 142.*

nabit, non tam merita tua, quam dona sua. Atque iterum alio loco: Qui crediderit in eum, non habebit suam iusticiam, quæ ex lege est, quamuis sit bona lex, sed adimplebit ipsam legem, non sua iusticia, sed data ex Deo, ita enim non confundetur: charitas enim est plenitudo legis. Et vnde ista charitas? Diffusa est in cordibus nostris: non vtique à nobis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis. Hæc ille, quæ hoc loco retulisse satis est, quæ nō multum dissimilia sunt ab illis, quæ modo in superiore capite retulimus; cognati enim isti duo errores sunt.

Rom. 10.

Rom. 13.

Rom 5.

Gratiam qua iustificamur non esse solum fauorem sed donum Dei per spiritum sanctum datum, atque hærere in cordibus nostris.

CAP. XXXXV.

SEd & qui iusticiam nostram solam gratiam Dei esse asserunt, non minus errant, quam hi de quibus modo diximus, & illi qui solam remissionem peccatorum eam esse contendunt. Nō solum enim fauor ille diuinus & gratia eius & iusticia nobis (remissis & euulsis peccatis nostris) imprimitur, ve-

rum etiam infusis donis dei perficitur, ac charitate quæ in nobis est, roboratur. Quod ita esse Augustinus Pelagianos refellens, docuit: qui cum gratiam Dei iactarēt, nunquam de ea benè sensisse, neque vnquam ita vt confitenda sit, confessos esse scribit, & quomodo confitenda sit, ipse ita docet. Charitas inchoata iustitia est inchoata, charitas prouecta, est prouecta iustitia, charitas magna, magna iustitia, charitas perfecta, perfecta est iustitia, sed charitas de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita, sed maior si non habet, quo crescat: & alibi, cùm ipsa charitas diffunditur in corde credentium, lex est fidei, & spiritus viuificans delictorum. Et alibi Ipsa enim est verissima, plenissima & perfectissima iustitia. Ita nō sola gratia Dei iustitia nostra est, vt etiam non sola remissio peccatorum, sed etiā charitas diffusa in cordibus nostris, iustitiam nostram gratia Dei datam perficit atque exornat. Vnde concludendū est: nec extra nos iustitiam Dei esse, cū

De nat. & gratia, c. 70.

De spiritu & litera, ca 17.

De natura et gratia, c. 42.

cha-

charitas quæ eam perficit in nobis sit, neq; ea iusticia qua Deus ipse iust⁹ est factus, nos esse iustos, sed qua nos iustos fecit neq; obstare qđ iusticia nostra iusticia Dei dicatur cum alia ratio sit cur eius & cur nostra. & sit, & dicatur. Illius quia ipse eam fecit, & nobis donauit: nostra quia accepim⁹, & secundum eam viuimus, eique cohęremus, quodque imago nostra illa sit, ad quam natura conditi fuimus, quamq́ue peccato deformaueramus, quæ nunc à sordibus illis gratia DEI propter Christum Iesum, mundata in nobis lucet, per charitatemq́; de corde puro & conscientia bona, fidemq́; non fictam viget & elucet.

Fiduciam quam aduersarij iactant, iustos homines facere non posse, neque teneri omnes ad hanc firmam & constantem propriæ iusticiæ fidem.

CAP. XLVI.

MAgna cōtētione aduersarij Lutherū ducē sequuti, fiduciā suā, cui oēm iusticiā suā tribuunt, defendunt, ac omnes eos verè iustificatos esse qui certò credunt, se per fidem in Deum

Deum iustos esse, damnarique nõ posse contendunt. & propterea omnes q apprehendere iusticiã volunt, ad hanc firmam & constantem fidem, quam illi fiduciam vocant, astrictos necessario deberi esse docent. Inter cæteros enim errores de iustificatione, duo isti inueniuntur apud eos: Alter iusticiam homines apprehendere fide illa, qua certò credimus nos esse iustificatos, & propterea vel eam solam certam & indubitatã psuasionẽ, ad apprehẽdendã iusticiam satis esse: alter (qui ex hoc etiam priore nascitur) qui asserit, neminem iustum esse posse, nisi certò credat se iustum esse, & propterea omnes teneri ad hanc firmam & constantem propriæ iusticiæ fidem. Qui vterque eorum error, vt venalior sit apud populum eum; qui nihil boni agendo vitã æternam præmiaque illa, quæ Christ[9] suis pollicetur, apprehendere cupiunt: multas scripturas ad eum firmandum congerunt, populoque illi suo libidine mundi æstuanti, magna contentione inculcant, operibus bonis reiectis, solam fiduciam illam certam indubitatæ

[D]uo errores [ap]ud aduersa[ri]os de fiducia

[q]ibus ad[uersa]rij suas [defe]ndant.

tatæ

tatæ misericordiæ Dei ad iusticiam apprehendendam, sufficere eis asserunt, neque alia vel remedia morbi sui sanādi, vel instrumenta vitæ, præter illam fidem in Christum & fiduciam constā-
tem, quærendam esse monent: Qui cre- *Mar.16.*
diderit, inquiunt, & baptizatus fuerit, saluus erit. Sic Deus dilexit mūdum, vt *Ioan.3.*
filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed
habeat vitam æternam. Viriliter agite, *Deut.31.*
nec paueatis ad aspectum eorum. Vi- *Psal.26.*
riliter age & confortetur cor tuum. *Esai.35.*
Dicite pusillanimes, confortamini, no- *1.Pet.5.*
lite timere. Assumite vniuersam armaturam Dei, vt possitis resistere in die
malo. Cui resistite fortes in fide. Filiū *Ephes.6.*
suum misit in mundum, vt viuamus *1 Ioan 4.*
per eum. Commendat Deus charita- *Rom.5.*
tem suam erga nos, quod cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Dominus regit me &
nihil mihi deerit. Si ambulauero in *Psal.22.*
medio vmbræ mortis, nō timebo ma- *Psal.30.*
la, quoniam tu mecum es. Domin⁹ ꝓ- *Rom.8.*
tector vitæ meæ, à quo trepidabo? In te domine speraui, non confundar in æternum.

ternū. Certus sum, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; vlla creatura poterit me separare à charitate Dei. Omne quod dat mihi pater, ad me veniet,
Ioan. 5. & eum qui venit ad me, non eiciam foras. Quisquis inuocarit nomen domini saluus erit. Omne quod natum
Rom. 10. est ex Deo, vincit mundum, & hæc est victoria nostra, quæ vincit mundum:
2. Ioan 5. fides nostra. Quę testimonia sacræ scripturæ, cùm alij, tum verò Brentius, ad
In 2. Pericope Apologiæ suæ contra Petrū à Soto confirmandam suæ iustificationis certitudinem & inanem suam fiduciam congerunt ac ad suum errorem firmādū, interp̃tatione deprauata torquēt.
Catholici quid referāt aduersarijs. Quos cùm Catholici deprauare sacrā scripturam, & non eo sensu quo à spiritu sancto prolata fuerit, apud suos pronunciare viderent, non pauciora ex eodem fonte scripturæ sacræ testimonia eis obijciūt, quibus apertè eos errare conuincant, ac aliū sensum eius scripturæ q̃ illi proferant & ad suū er-
Matth 3. rorē confirmandū torqueant: osten-
Luc. 13. dunt: Facite, inquiunt, fructus dignos pœnitentiæ. Nisi pœnitentiā habueritis, omnes similiter peribitis. Compati oportet, si conglorificari, commori
Rom. 8.

ſi conuiuere : ſuſtinere ſi conregnare
volumus. Si vis ad vitã ingredi ſerua *Rom.8.*
mandata Dei. Si hæc ſcitis, beati eritis, *2.Thim 2.*
ſi feceritis ea: tunc reddet vnicuique *Matth.19. Ioan.13.*
ſecundum opera ſua. Omnes nos ma *Rom.2.*
nifeſtari oportet ante tribunal Chri *2.Cor.5.*
ſti, vt referat vnuſquiſque propria cor *Eccl.6. Apocal.12.*
poris, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue *Ioan 5.*
malum. Omnis miſericordia faciet *Eccl.9.*
locum vnicuiq; ſecundũ meritum o- *Pſal.18.*
perum ſuorũ. Ego venio citò & mer *Prouer. 20. Iob 9.*
ces mea mecũ eſt, reddere vnicuiq; ſe- *1 Cor 4.*
cundũ opa ſua: procedent q bona fece *Eccl. 5.*
rũt in reſurrectionẽ vitę, q verò mala *Exemplum habes ſecun-*
ægerũt, in reſurrectionẽ iudicij. Neſcit *di regum 6.*
homo vtrũ amore & odio dignus ſit. *Ozam quẽ fi-*
Delicta qs intelligit? Ab occultis meis *ducia iuſti- tiæ perdidit*
mũda me. Quis poteſt dicere, mũdum *& Dauid*
eſt cor meũ, purꝰ sũ à peccato? Verebar *quem dubi-*
oĩa opa mea, ſciens q̃ nõ parceres de- *tatio & ti-*
liquẽti. Nihil mihi conſciꝰ sũ, ſed nõ in *mor de pec-*
hoc iuſtificatꝰ sũ De ꝓpiciato peccato *cato ſerua-*
noli eſſe ſine metu. Ne dicas: Miſeri- *uit.*
cordia domini magna eſt, multitudi-
nis peccatorũ miſerebitur meorũ. Mi-
ſericordia .n. & ira ab illo citò proxi-
mant, & in peccatum reſpicit ira illiꝰ.
Cum timore & tremore ſalutẽ veſtrã

Philip.2. operemini. Beatus homo qui semper
Prouerb.28. est pauidus. Qui sine timore est, nō po
Ezech.1. terit iustificari. Hæc catholici aduersa-
rijs referunt, & alia pleraq́ue, quæ lon-
gum fuerit recensere, quæ aperte do-
cent ad iusticiam illam quæ nos Deo
commendet; cuiq́ue vita promittatur
apprehendendam, si quis illā fiduciam
quam isti stabiliunt habeat, non satis
esse, sed opus esse multis alijs auxilijs,
ad perfectam illam iusticiam apprehē-
dendam, cui vita illa debeatur. regni-
q́ue cœlestis hæreditas promissa sit.
Non satis est enim, si credas remissa ti-
bi peccata propter CHristum, te esse
in gratia, te esse hæredem vitæ æternæ,
Vetus homo qualis. nisi & veterem hominem tuum, qui
mundi desiderijs æstuat, exuas, vicijs
valedicas, & nouum hominem induas
in nouitateq́ue vitæ ambules, & tan-
quam infans efficiaris. Christ⁹ ipse qui
gloriam suam propter te reliquerat, &
serui formam induerat, non nisi post
multas ærumnas, & labores infinitos
hic exantlatos, ad patrem redijt. Opor-
Christi exēplum. tebat, inquit ipse, Christum pati, atq;
Luc.24. ita demum intrare in gloriam suam.
Tulit

Tulit Christus crucem suam, multa perpessus incommoda, multa bona operatus est, dum ad fidem nos vocaret: multa & nos pati, multa bene agere, cum crediderimus oportet, priusquã ad illam gloriam perueniamus: oportet sicut ipse ambulauit, & nos ambulare: oportet nos per bona opera certam facere vocationem nostrã: quod Paulum fecisse videm⁹, qui nõ solam gloriam Christi, ad quam post labores infinitos redierat, spectauit, verum etiam labores eius imitatus, nullam requiem die ac noctu habuit, nunquam laborare cessauit, multa pericula pro CHristo adijt. Quod vt & nos faciamus hortatur nos, dicens. Imitatores mei estote sicut & ego Christi. Non solum credendo suam vocationem certam Paulus demonstrat, verum etiam docendo, laborando, periculis subeundis, verberibus, cæde, naufragijs perferendis. Non tum cum credidit, præmia sibi pollicetur, sed cũ cursum consumasset, certamen bonũ certasset, Oportet igitur nos multa agere, oportet Christum cum Paulo i-

Philip. 3.

In Paulo multa præter fidem.

mitari, oportet vt lux noſtra ita luce-
Matt.5. at, vt homines videntes bona opera
noſtra, glorificēt Deum patrem. Quæ
omnia etſi confecerimus, dicamus ta-
Luc.17. men ſerui inutiles ſumus: & quamuis,
quod debuimus fecerimus, non tamē
oportet nos eſſe nimium ſecuros, non
oportet de remiſſo etiam peccato abſ-
1.Cor.4. que metu eſſe. Nihil ſe ſibi Paulus con
ſcium eſſe ait, non tamen propterea ſe
iuſtificatum dicere audet: metuit ne
quod ipſe peccatum non putet, apud
Deum cui homo compoſitus iuſtus eſ
ſe non poteſt, peccatum ſit: metuit
quamuis ſtet, quamuis currat, ne ca-
dat, ne vſquā impingat: meminit Da-
uidem dixiſſe, Neque iniquitas mea,
Pſal. 58. neque peccatum meum. Sine iniqui-
tate cucurri & direxi. Et, ſi eſt iniquitas
Pſal.7. in manibus meis. et alia plæraque: qui
tamē ab hoc ſuo curſu recto, facile de-
flexerit, facile in lapidem impegerit,
vno aſpectu mulierculæ captus, adul-
ter & homicida factus. Qui quamuis
legis diuinæ ſedulus cuſtos fuerit, ta-
men imperij magnitudine elatus à le-
ge diſcedit, aliter quam lex doceret fa-
cit,

cit populum numerat; vires suas iactat populo ciuibus & exercitui plusquam Deo fidere incipit. Quo facto quas pœnas dederit, quam sententiã in se ꝓnunciari audiuerit, notius est ex historia sacra quam vt hoc loco referri debeat. Recte igitur monet Paulus, vt qui se stare putat, caueat ne cadat, vt cum timore & tremore quisque salutem suam operetur: rectè monet Petrus vt sobrij simus, vt vigilemus, & semper excubemus, quæ sint fraudes aduersarij nostri qui impetus in securos docet cum ait: Fratres, sobrij estote & vigilate, quoniam aduersarius vester tanquam leo rugit, quærens quẽ deuoret. Sobrios nos esse vult, non solum à crapula vini, verum etiam ab ebria ista fiducia, qua isti inebriati, cum in fauces Sathanæ vltrò incurrant, & in cœno viciorum suorum volutentur, iustos se esse certò pronunciant, & cum se stare putant, hęrere se in volutabro mundi huius desideriorum, nõ sentiunt. Multa exempla nobis protulit sacra scriptura lapsus eorum, qui sibi multum placerent, ob eam quã ac-

1. Cor. 10. *Philip. 2.* *1. Pet. 5.* *Sobrietas.* *Ebria mens aduersariorũ*

ceperant gratiam Dei. Corruit Dauid
Psal. 88. ille de quo Deus ait: Inueni Dauid ser-
1. Reg. 13. uum meum: quæsiuit dominus virum
secundum cor suum. Palam Dauid has
voces audiuit, certus erat de sua voca-
tione: Qui tamen dum securus est, dū
fiduciæ suæ nititur, ruit, pœnasque me
retur. Loquebatur dominus non se-
mel cum Salomone, cum sibi solum è
filijs Dauid regem elegit, suam sapien
tiam ei infundit, amicum suum esse
voluit, incerta & occulta sapientię suę
illi reuelauit, tēplum sibi ab eo, quod
Dauid negatum est, extrui voluit: qui
tamen quàm turpiter lapsus fuerit,
quàm grauiter Dei legem præuarica-
4. Reg. 20. tus corruerit, historia sacra narrat.
Laudatur & Ezechias, cum Deo am-
bulasse dicitur, qui tamen cursum il-
lum gratiæ Dei perpetuum tenere nō
potuit, secundis rebus & thesauri ma-
gnitudine elatus, sententiam mortis:
per Prophetam contra se pronuncia-
ri audit: Qui nisi ad pœnitentiæ & la-
chrimarum orationumque medicinā
confugisset; nisi supplex Deo factus fu
isset, sine dubio perijsset. Securus erat
ser-

ſeruus ille, cui dominus decem millia talenta donauerat, plenus fiducia diſceſſerat, donatum ſibi debitum ſuum gaudebat; nihil ſe domino debere iudicabat, ac planè iuſt⁹ diſcedebat. Qui ebrius ſua iſta fiducia, conſeruum ob non multum æris debiti, dū premit, grauiter concidit, & ſuam fiduciam debiti à domino ſibi remiſſi, inanem eſſe cognouit; reuocatur ſtatim, quid remiſſum erat ſolui iubetur, in carcerē perpetuū abducitur. Gloriaris & certo credis propter Chriſtum tibi omnia peccata donata, & rectè quidam credis; caue tamen ne fiducia tua inſolēs te ſubuertat, ne omni metu depoſito ſecurus corruas; beatus vir qui timet dominum. Facie ad faciem loqueba- *Pſal.111.*
tur Abrahā cū Deo, tamen metuit, & inde laudatur quod metuat Deum. Sit quantumuis homo iuſtus, cogitare tamen debet, ne aliquid in illo, qđ ipſe nō videt, inueniatur culpandum. Cum Rex iuſtus ſederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non poſſent, ne illa quidem de quibus di-

ctum est: delicta quis intelligit? Cum
Rex ille iustus sederit in throno, quis
gloriabitur castum se habere cor, aut
quis gloriabitur mundum se esse à pec-
cato? inquit Augustinus. At isti dicũt:
De perfecti-one iustitiæ respons. 19. Iusti sumus, certò nos iustos esse credi-
mus, fiducia nostra nos iustos facit,
fidem habemus quæ est nostra: iusti-
ficatio qui enim credit certo sibi re-
missa peccata, iustus est apud Deum,
quasi non Deus iustciæ eorum author
sit sed fiducia eorũ. Non meminerunt
illius Pauli: Qui iusticiam & vitam no
stram gratiæ soli Dei tribuit, dicens:
Ephes 2. Gratia Dei saluati sumus non ex no-
bis, donum Dei est ne quis glorietur.
At isti gloriantur & fiduciã suam iact-
ant, qua iusticiam apprehẽdere se som
niant, & Deum inuitum etiam sibi iu-
stitiam imputare cogunt propter eo-
rum temeritatis plenam fiduciam cũ
fide accepta, donisque DEI abutãtur,
& quẽ abnegarũt Sathanã, cũ suis de-
siderijs sequantur, & in cœno viciorũ
volutentur, qui Deo ipsi insultare vi-
dentur ijs verbis; Nos credimus in
CHRISTVM, Baptizati sumus:

qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Non bonis operibus vita, sed fidei debetur: nostra fiducia vt nos iustos esse pronuncies te cogit, quibus respondetur. Credidistis & baptizati estis, certo vobis peccata propter fidē vestrā remissa esse creditis. Debetur quidem rectè credentibus remissio peccatorū, sed non sola remissio peccatorū iustū te reddit: necessaria multa sunt alia ad eam perficiendam, fides tantū initiū eius est, vt iam demonstratū est. Post cōdonationem illam peccatorū tuorū, in sacro illo lauacro ablutorū, vt sus ad volutabrū redijsti, in cœno viciorum volutaris, ad vomitum tuū vt canis reuersus es, & quæ scelera euomueras vt saluus esses, iterum repetis, ac virus eiectum intra viscera recipis, ac te ipsum indignum gratia accepta reddis, teipsum dānas, fidē verbis demonstras, factis negas. Tua ista fidúcia inanis est; tū erit vtilis, cū vicia fugies, misericordiam Dei implorabis: Et quanq̃ de illa nihil dubites, tamen infirmitatis tuæ cōscius, timeas necesse est. Nō debes quidē desperare de mi-

Non solā remissionē peccatorū iustitiam esse.

2. Petr. 2.

ſericordia, Dei qui vult oēs ſaluos eſſe, non tamen inſolenter fidem & iuſticiam tuam iactare. Vt non debes dicere: Maior eſt iniquitas mea quam vt mihi remittatur, quod deſperantis eſt & perditi: ita etiam fiducim tuam iſtā & certitudinē remiſſionis peccati fugere debes. Nam vt illa miſericordiæ & potentiæ diuinæ trahit minorem eſſe peccato affirmat, ita hæc iactantia libertatē eius imminueret, vt nō quod ille iuſtum videat, ſed quod tu fidis, facere cogatur. Ego inquis credo, & indubitatam fiduciam habeo, igitur mihi remiſſio peccatorum & fidei meæ iuſtificatio debetur; Quam quoniam certam habeo, non poteſt me DEVS, ea integra manente damnare. Quod ſi ita eſt, fides iſta tua cathenas DEO inijcit, libertatem eius tollit, ne quod velit & iuſtum iudicat faciat, ſed quod tu vis, & quo eum tua fiducia impellit. Magna quidem fidei vis eſt, fides cœlos penetrat, montes transfert, rerum naturam immutat, attamen Deo nullam vim afferre poteſt; ipſe & te & fiduciam tuam iudicat. Non quod tu

Non ſola deſperatio vitanda, ſed etiam præſumptio.

Aduerſariorum fiducia Deo vim infert.

Fidei vis.

tu fidis, sed quod ille iustum & bonum videat, statuit & decernit. Ita fidem & sua dona tibi largitus est, vt & tu & illa, in sua potestate sint, nec suæ iustitiæ impedimento sint. Non quod tu fidis, ille facere & probare cogitur, sed tu quod ille probat, bonum esse credere debes, & quod ille præcepit facere. Non solam fidem tibi commendauit, non cum sola fiducia te comitem sibi CHRISTVS esse voluit, crucem tuam te tollere vult, & si ita armatum in bellum contra principem harum tenebrarum sequi iubet. Credebat Abraham, & amicus DEI ob fidei magnitudinem appellatus, tentatur tamen, & non sola fidei confessione, suam obedientiam ostendere, sed etiam faciendo (hoc est, filio Isaac, vt iussus erat DEO immolato) iubetur. Quod cum faceret, & fidem suam integram esse approbauit, & à DEO benedici meruit. Nunc inquit Angelus, cognoui quoniam diligas DEVM, & vide prudentiam DEI. A fide primum commendatur Abraham. Credidit, inquit

Libertas dei

Matth. 16.

Gen 22.

Non ex sola fide Abrahā iustus sed etiam ex opere.

Cur à fide probatur Abraham. scriptura Deo Abraham, & amicus eius vocatus est, sine fide enim commendari Deo nemo potest. Primum igitur fides eius laudatur, fide primum Abraham placuisse Deo, fidem illi iter aperuisse ad DEVM demonstratur, vt scias te accedentem ad DEVM credere cum fideli Abrahamo oportere: Deinde iubetur filium quem amat offerre, quod ille statim facit, vt te doceat, non solum credendum esse, sed etiam faciendum, & fidem opere cōprobare deberi. laudatur quidem Abraham quod credidit, iustusque reputatur esse, sed multò magis laudatur *Ob filiū oblatū laudatur Abraham.* cum filium obtulisset, cum fidem opere comprobasset, & non ex sola fide iustus esse factus nobis ostenditur, sed etiam ex operibus, quod Iacobus apertè ita esse docet. Nam quod Pau-*Rom 4.* lus dicit, Abraham iustum reputatum quod crediderit, & non ex operibus, non hoc agit, vt doceat, Abraham nō *Cur Paulus dicat: Abraham ex fide iustificatum.* confirmasse & auxisse suam iusticiam operibus, sed monstrat, sine operibus legis per fidem homines Deo placere, non propter opera legis. Nam cū Iudeus

deus accessum ad Deum non alium esse, nisi per legem eiusque opera assereret, Paulus exemplo Abrahæ qui ante legem eiusq; opera, propterea quod credidit, à Deo iustum reputatum esse docet eamq; certissimam viā esse, quæ ad Deum ducat, demonstrat, & sine operibus legis ad Deum per Christū solum nobis patere accessum, ostendit exemplo Abrahæ; qui sine lege eiusque operibus Deo placuerit, & iustus amicusque eius pronunciatus fuerit. Non quod Paulus opera Abrahæ, quæ Iacobus commendat, & iustum esse propterea factum, quod Isaac obtulerit Deo demonstret, contemnat: neque enim Abraham propter fidem solam iustus vocatur, multa ab eo alia exiguntur sed primus accessus, prima commendatio Abrahæ fides est, qua vt fundamento iacto, multa posteà quæ DEVS probauit, quæ præmijs honorauit, propter quæ terram illi monstratam ac semini suo dedit, consecuta sunt. Nō sola igitur fiducia & fides mortua, ABRAHAM iustum fecit, verum opera etiam ea quæ fidem

Iusticiæ iniciū fides, perfectio bona opera.

conse-

conſequuta ſunt, quæ amor Abrahæ erga Deum operatus eſt. Sed ad certitudinem fiduciæ redeamas, de qua Sacroſanctum Concilium Tridentinum ita decreuit; Quamuis, inquit, neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa vnquam fuiſſe peccata, niſi gratis diuina miſericordia propter Chriſtum; nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorũ ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti vel dimiſſa eſſe, dicendum eſt; cum apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imo noſtra tempeſtate ſit, & magna contra Eccleſiam catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportet eos qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos, neminemq́ue à peccatis abſolui ac iuſtificari, niſi eum qui certo credat, ſe abſolutum & iuſtificatũ eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici, quaſi qui hoc nõ credt, de Dei promiſſis, deq́ue mortis & re-

& resurrectionis Christi afficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de CHristi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: sic quilibet dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Hæc Concilium illud Sacrosanctum, vbi disertè docemur, remissionem peccatorum gratuitam esse, soliusque misericordiæ Dei, propter CHristum acceptam esse ferendam, & iactantiam istam fiduciæ certitudinisque fidei de remissione peccatorum ac iusticia nostra fugiendam esse. Quamuis enim de misericordia Dei non dubitemus, neque dubitare debeamus, cum scripturæ testentur, neminem eum perire velle, sed vt conuertantur & viuant, omniumque misereri: tamen iactantia ista & fiducia arrogans, vitanda est. Nam vt desperatio misericordiæ Dei, ita & nimia præsumptio fiduciaq; de remis-
sis

De misericordia Dei non dubitandum

Fiducia arrogans vitãda.

ſis peccatis, de iuſtitia nobis neceſſaria ob fidem debita, peccatum eſt in ſpiritum ſanctum. Sperare certo de miſericordia Dei debemus: cum timore tamen & tremore ſalutem noſtram operari. Nihil vt diximus, Paulus ſibi conſcius fuit, non tamen propterea ſe iuſtum eſſe pronuntiari audet. Et Salomon grauiter monet, ne de remiſſo peccato nimium ſecuri ſimus: De propitiato peccato ait, noli eſſe ſine metu Nedicas, miſericordia Domini magna, multitudinis peccatorum meorũ miſerebitur. Non defuerunt enim qui ſecuritatem iſtam temporibus illis prę dicarent, qui miſericordiam Dei efferent & cum maximè ſecuros homines redderẽt, tum eos in laqueos Sathanæ & in infinita pericula conijcerent: Et cum illi prædicerent pacem, bellum veniret. Dicebant illi pax, & non erat inquit Propheta, pax: Dicèbant illi, Ait Dominus, cum dominus non eſſet locutus. Clamant noſtri, & Paulum dicenteω proferunt: Iuſtificati per fidem pacem habemus ad Deum: eaque voce peruerſè intellecta homines

Salus quomodo opranda.

Pgilip. 2.

1. Cor. 4.

Eccl. 5.

Cur Salomon dixit De propitiato peccato noli eſſe ſecurus.

Ierem. 6.

Vide Hoſiũ.

Rom. 5.

nes in peccando ſecuros reddunt, cum Paulus non eo ſenſu dicat, nos cū Deo pacem habere, quod ſolùm in Chriſtū crediderimus, ſed etiam quod Chriſti præcepta credentes, ſeruemus Non habet pacem ad Deum, qui ſolum credit, qui verbis ingeminat, Domine domine, ſed qui facit voluntatem patris. Vos amici mei, ait Chriſtus eſtis, ſi feceritis quę pręcipio vobis. Tum demū pax illa naſcitur, tum amici efficimur Dei & Chriſti, cum credentes præcepta eius facimus & ſeruamus. Primum pignus fœderis noſtri cum Deo fides eſt, quod tamen niſi operibus bonis obſignetur, ac perficiatur charitate, infirmum eſt. Non igitur ita ſecuri de propiciato peccato eſſe debemus, vt omnem eius cogitationem & timorem ex animis noſtris amoueamus, vt noui iſti Euangelici docent: ſed ſperantes miſericordiam DEI, cum metu & tremore eam imploremus, peccatū deteſtantes. Multo igitur cōmodius docent, qui fiduciam iſtam ſecuram tollunt, & terrorem ſemper auditori incutiunt, ſecurumq́; eſſe non patiūtur;

Ioan. 15.

Fides pignus primū fœderis cum Deo.

Securitatem tollere vtile eſt.

tur; quam rationem & Ecclesia Catholica semper probauit, & prophetæ legis veteris Iudeis concionando, tenuerũt, & exempla quæ imitari debem⁹, nobis ex professo reliquerunt. Primũ illi semper scelera suis exprobrant, irã Dei minantur, supplicia ventura annũciant, terrent, metum præsentis interitus incutiunt, securitatem peccandi adimunt, fiduciam misericordiæ Dei in dubium vocant: deinde contritis & perterritis animis, flentibus, & ad cinerem ciliciumque confugientibus, scelera detestantibus, misericordiam Dei implorantibus, spem veniæ indubitatam ostendunt, ac pauidas mẽtes erigunt & solantur. Primum Daniel regi Nabuchodonosor, à quo ad somnij sui interpretationem vocatus erat, iram Dei & supplicia quæ peccata sua meruerunt, & sententiam Dei in eum latam, denunciat, securam eius peccãdi audaciam terret, mentem superbã deprimit, ac planè quasi in terram abijcit: Deinde cum videret conterritum & pauentem, ac ad iram Dei denunciatam trementem, remedium terroribus

Prophetarũ docendi ratio qualis fuerit

Daniel. 4.

bus illis, & conſcientiæ pauidæ, ne deſperatione & mærore abſorbeatur, op ponit, pœnitentiæ medicinam monſtrat. Redime, inquit, peccata tua eleemoſina & miſericordijs in miſeros, ne forte miſereatur tui dominus, & transferat peccatum tuū. Vides quomodo primum peccantē terruit Propheta: deinde conterritum & trementem, ſententiamque Dei mutari, cum fletu & lachrimis petentem, ſolatur, & ſententiam in eum in aliud genus ſupplicij mutatam narrat, mortiſque ſupplicium illi remiſſum. Hoc eodem modo egit cum Achab Propheta, primum illi anunciabat peccata, & pœnas denunciabat, deinde pœnitentiæ medicinam indicabat, ac ſpem miſericordiæ pœnitentibus, & peccatum ſuum accuſantibus, & vitæ melioris ſpē oſtendentibus, certam promittebat Sic doctor gentium vaſque electum, portando nomini Chriſti inter gentes Paulus, Corynthios ſuos terret, ſecuritatem credendi & licentiam peccandi excutit, ſupplicia & mortem præſentem intentat, iram Dei denunciat,

3. Reg. 21.

Pauli prudētia docendo.

1.Cor.6. à regno eos cum factis eorum, & peccatis descriptis excludit: Ne erretis inquit, sed sciatis certò, quod qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt.

Error Corynthiorum vndenatus. Securi erant de sua salute propter fidem in CHRISTVM acceptam Corinthij, securè peccabant, scortabantur, adulteria patrabant, & alia vicia quæ eis obijcit, fiducia misericordię Dei propter fidem in CHRISTVM patrabant, illud vsurpantes sæpius, quod nostri isti noui Doctores assiduum in ore habent: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Quam *Mar.16.* securitatem perniciosam & fiduciam inanem, Paulus pœna gehennæ, & priuatione regni cœlestis illis denunciata, excutit, ad pœnitentiam prouocat, eijci Ecclesia impudenter peccantem iubet. Deinde cum contristatos & planè animo fractos cognosceret, pœnitereque eos peccatorum au-

Pauli seueritas. diret, & eum quē ipse absens damnarat, suo cœtu eiecisse sciret, quasi medicinam animis contritis, & metu pœnæ iræq; diuinę denunciatæ saucijs adhibet: alteram epistolam scribit, bono animo

animo esse eos iubet, emendatum pec catorem recipi in Ecclesiam suadet, tristiciam eorum probat, cōtristari nos ad tempus, inquit: Sed gaudeo quod contristati estis ad pœnitentiam: Vtilis est enim & salutaris timor, qui pœnitentiam de peccato admisso parit. 2. Cor 7. Iusticia pœnitētiā parit.
Primum igitur Paulus terruit suos, primum iram Dei venturam, iudiciumque seuerum iusti iudicij in eos, qui veritatem in mendacio detineant, denunciat, ac metu futuri supplicij & ignis æterni terret: deinde quomodo & quo ab ira illa Dei fugiendum sit docet, & ad fidem in Christum prouocat, præmia eis vitam æternam proponēs. Hæc ratio docendi & in officijs pietatis fideles detinendi in Ecclesia Catholica ad nostra vsque tempora seruata est hanc rationem Prophetæ sequuti. Neminem illi securum ita esse volebant, vt omnem cogitationem de peccato ꝓpiciato, animo amoueret suo. Promittebant misericordiam, vetabant desperare, securitatem tamen temperamento quodam orationis tollebant. Quis scit, inquit Ioel, si Ioel. 2.

Daniel.4. conuertatur & ignoſcat Deus, & relin
Act.8. quat poſt ſe benedictionem? Redime peccata tua eleemnſinis, ne forte ignoſcat tibi Deus. Et Petrus: Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Quod igitur neque Ioel, neque Daniel, neque princeps Apoſtolorum Petrus auſi, hoc noui iſti Doctores audent, ſpem illi miſericordię demonſtrabant, neque deſperare quenquàm in grauiſſimo etiam peccato conſtitutum volebant, iactantiam tamen & fiduciam iſtam, qua iſti abutuntur, aſſeuerare non auſi, ſi forte, ne forte, adhibitis particulis, ſermonem ſuum & ſpem promiſſam temperabant. Non audebant illi dicere, certò tibi remittētur peccata, fiduciam certam habe: ſed ſi forte conuertatur & ignoſcat Deus: ſi forte remittat tibi Deus. Volebant illi cautam pœnitentiam, & à ſecuritate iſta temeritatis plena alienā eſſe: Hortabantur igitur ad pœnitentiam quod eorum erat, quod ineffabiliter clementem eſſe Deum nouerant. Quoniam verò profundum ſapientiæ

Aduerſarij tamen impudēter aſſerūt Simonē magū, pœnitētiā ſerio egiſſe, neque Petro aduerſatum eſſe.

Quærunt hic elabendi modos aduerſarij ſed nihil agunt.

& ſci-

& ſcientię Dei noſſe non poterant, ſen tentiam temperabant & optabant potius, quàm præſumebant, ignota nobis peccata eſſe.

Duo Cauenda eſſe in doctrina de fide per quam accipitur remiſſio peccatorum & iuſtificatio.

CAP. XLVII.

NOn ecquidem patres ſancti & Ecclesia Catholica dubitat, Deum patrem & Ieſum Chriſtum filium eius eũ eſſe, qui ſaluos velit nos omnes eſſe, qui omnes ad ſe vocet, ad oẽs manus ſuas tota die expanſas teneat. Non dubitamus miſerationes eius immenſas & ineffabiles eſſe, & ea poteſtate eum eſſe, vt omnia quæ velit facere poſſit. Non negamus fidem Deo placere, & nobis propter meritum Chriſti, omnia peccata donari; verum enimuero fiduciam iſtam, quam noui Euangelij Doctores nimiũ iactant, Eccleſia nunquam probauit, nunquam nimium ſecuros fideles CHriſti de propiciato peccato eſſe voluit. Quemadmodum

enim terrores illos, qui animos deiciunt peccantium, et omnem ſpem veniæ peccati admiſſi adimunt, ac in deſperationem perterritos adducunt, Eccleſia ſemper improbauit, & eos qui ita lapſos terrerent, vt nullam ipſis remittendi peccati & gratiæ Dei ſpem relinquerent, damnauit, iniuriamq́ue diuinę bonitati eo modo fieri decreuit: ita nimiam ſecuritatem & fiduciam arrogantem non probat. Pollicetur quidem gratiam, confugentibus ad miſericordiam Dei ineffabilem, non eſſe diſperandum de bonitate & miſericordia eius, Deum ſemper eſſe paratum miſereri ad ſuam bonitatem confugentibus, & ſyncero corde ad ſe conuertentibus & peccatum deplorantibus, conſtanter docet: tamen infirmitatis noſtræ memor, & qđ ſciat plærosq́ue non ſyncerè ad Deum redire, qui verbis amorem ſuum in Deum iactent, fidem ore confiteantur & lingua mentiantur, cor autem eorum non ſit rectum, nec fideles re vera inueniãtur in ſua illa pœnitẽtia, de quibus David dixit: dilexerunt eũ in ore ſuo & lin-

Deſperatio et fiducia arrogans paria vitia ſunt.

Pſal. 77.

lingua sua mentiti sunt ei cor aũt eorũ nō erat rectũ, cũ eo nec fideles habiti sunt in testamēto eius. Nō simpliciter eā misericordiā; nec audacter promittit, sed temperat suum sermonem, additis illis vocibus: si fortè misereatur, ne fortè remittat tibi. Quibus vsum esse Danielem Ioel. & Petrum diximꝰ, cum ad pœnitentiam peccatores damnatos prouocarent, & à desperatione misericordię Dei auocarent. Non qđ dubitarent de misericordia Dei, sed ꝙ de animo syncero peccantiũ, illis non constaret, an illi syncerè pœnitentiam agerent, & an peccatũ suũ syncerè dānarent. Quamuis enim Simon, Petri sententia dānatus, & Dei misericordiā implorare iussus, respondeat. Orate vos pro me, tamen responsionē illam & terrorē eius non verā fuisse posteriꝰ apparuit, cũ ille prorsus Christi doctrina relicta, ad suas īpias artes & īpostu ras redierit, & in peccato suo mortuus fuerit. Veniebāt ad Ioan. multi ꝗ baptizabātur, ꝗ tamen gratiā pœnitētiæ suæ verbis simulatæ, & lingua emētitæ nō tulerũt, ꝙ nō ex animo pœnitētiā ad ꝗ̃

Non egit enim pœnitentiam.

Contra quā Caluinus negatur.

Baptizati à Ioanne non oēs pœnitētiā egerunt.

à Ioanne vocabantur agerent. Quod inde apparuit, quod fructꝰ dignos pœnitentiæ ad quos vocabātur, non egerint. Omnes Ioannes vocabat, omnibus remiſſionem peccatorum anunciabat. Ex vniuerſa Iudea ad eum concurſus fiebat, non omnes tamen eā remiſſionem peccatorum, quam ille eis nomine Chriſti venturi promittebat, cōſequuti, quod non ex parte Dei omnium miſerentis, omnibus ſua beneficia vltro offerentis accidit, ſed ex parte peruersè pœnitentiam agentium, qui verbis triſticiam & vultu ſimularent, in corde nequiciam alerent, videri potius; quàm re ipſa eſſe iuſti volentes.

De Dei miſericordia non dubitatur ſed de hominis vera pœnitentia dubitatur

Cum igitur doctores ſancti & Eccleſia Catholica, de miſericordia Dei certa, ex parte eius nihil dubitat, quin ad ſe redeuntibus, & peccatum ex animo & corde toto deteſtantibus ignoſcat; de homine autem quem ad miſericordiā Dei implorandam prouocat, & gratiā illi promittit, dubitet, vtrúmne ille ſyncerè doleat, & ex animo peccatū oderit. ꝓmiſſionē ſuā temperat, nec certò & cū tanta fiducia veniā illi, vt noui E-

uangelij Doctores faciunt pollicetur, sed quasi hac conditione adiecta: si sincero corde pœnitentiam agas, si syncerum cor tuum cum Deo fuerit: Non enim Deus quosuis audit, verum eos tantum qui syncerè cum eo agunt, qui non ore, sed corde eum diligunt, & syncere peccatum detestantur. Non igitur Ecclesia dubitat, de Dei misericordia quam omnibus expositam esse nouit, scit Deum facere vt sol oriatur etiam super malos, scit eum dare pluuias opportunas, & alia multa bona. Scit nemini manum bonitatis suæ claudere; scit eum velle saluos esse omnes, ac non solum velle, sed etiam posse, quod vult facere cum sit omnipotens. In hac igitur parte nihil dubij relinquit, certam fiduciam esse vult: At cum ad peccatorem cogitationem suam refert, quale sit cor eius scire nõ potest; Deus enim solus corda hominum inspicit & nouit. Etsi enim signa pœnitentiæ, lachrymas vocesque supplices & peccatum damnantes videat, tamen quia non ignorat hæc quæ extra sunt, sæpe non respondere illis, quę

animo fuerint, neque veram pœniten tiam ſemper demonſtrare: hoc modo veniam pollicetur eis, ſi fortè ſyncero corde ad Deum redeant, & quæ ore oſtentant, corde cōpleant. Si enim Eccleſia de cordibus noſtris ita certā haberet noticiam vt habet miſericordiam Dei cognitam, corde ſyncerè pœnitentium aſpecto, certam & indubitatam ſpem veniæ eis polliceretur, nec adderet temperamenta pollicitationi ſuæ illa, ne fortè miſereatur, ſi fortè conuertatur & ignoſcat, & relinquat poſt ſe benedictionem. Non igitur Deo fit iniuria, cum Doctores ſuā promiſſionem moderantur, cum fiduciam arrogantem non probent: nihil enim hic Deo iniuriæ fit, de cuius miſericordia Eccleſia non dubitat, ſed homo monetur tum ſe debere eſſe certū veniæ & miſericordiæ Dei, cum ex animo peccatum deteſtetur. Quod quoniam nemo Doctorū hoc certò ſcit, non certò, ſed ſub conditione gratiam promittit. Nam vt ignis etſi ſua natura vrendi vim in ſe habeat, niſi tamen

Doctores Catholici nō detrahunt miſericordiæ Dei

men in materiam capacē vstionis incitat, vim suam non exercet: Ita misericordia Dei, quæ est ignis ardens & omnia inflāmans, nisi cor purū & syncerum hominis offendat, vim suam in eo exercere non vult, duras ceruices & corda lapidea refugit, Si solis naturā spectes, dubium nullum est, eo orto, lumen vbique suum fore, omnibus enim sol & oritur & lucet nisi tamen qs integrum visum attulerit, si cœc⁹ aut viciatis oculis fuerit, solis ille splendor illi nō lucet, manet ille in tenebris, nō solis, sed oculorum corruptorū vicio. Polliceor quidem fore lucem, vt primum sol ortus fuerit, sed in tuo oculo illam lucem fore tum demum denuncio, si sanus & integer fuerit, si cum aperueris, nisi te in latebras conieceris: lumen quidē misericordiæ tibi à Deo offertur, sed cor obtenebratum peccato, capax eius non est. Nullum igitur dubiū ex parte Dei est: ex parte nostra frequens. Qui promissam remissionē peccatorum non accipit: non DEI vicio sed suo accipit quia non syncerè eam implorat. Petitis, inquit

Misericordia Dei vbi exercet suā vim

Solis lux quibus nō lucet.

Iacobus, & non accipitis, eo quod malè petatis. Si scirem te syncere pœnitentiam agere, syncere precari, et ita precari veniam peccati admissi, vt nunquam ad desideria eius redire velles, hortarer te ad fiduciam tuam istam: Sed quoniam, quo animo agas, quam syncere ad Deũ redeas, quomodo roges ignoro; cum timore quodã tibi gratiam Dei promitto: non Deo derogans, sed cordi tuo quod non noui, & voluntati diffidens, te inter spem & metum relinquere malo, quam aut ad præsumptionem temerariam, aut desperationem adducere. Nam vt desperatio prorsus frangit animos, & Dei bonitati iniuriam grauem infert, tum impotentiam illi, tum crudelitatem imputans: impotentiã, quasi non posset magnitudine peccati superatus misereri: crudelitatem, quasi volet figmenti sui recordari: Ita iactantia fiduciæ metum omnem tollit, securum peccati reddit, non tam misericordiæ & gratiæ Dei remissionem peccati acceptam fert, quam sibi ipsi, quàm vt debitam mercedem fidei suæ, non vt gra

Desperatio perniciosa.

Fiduciæ incommoda.

tiam

tiam flagitat. Quid enim istorum voces volunt; ego credo, damnari non possum, nisi Christus ipse primũ damnetur? quid hoc est? nisi velit nolit ignoscat necesse est, & remittat peccata mea propter fidem meam. Nec minus isti ita suam fidem iactantes peccant, quam illi qui operibus bonis suis, præmia, necessitate quadam deberi putãt. Nam vt hi præmia operum mercedẽ, non donum Dei, sibi deberi putant: ita illi fide sua certa DEVM adstringi volunt, vt non quod ille iustum iudicet, sed quod fiducia eorum flagitet, facere necesse habeat. Quo errore nihil perniciosius homini est. Descenderat in templum Phariseus, cum sua fiducia operum: gratias Deo agebat, quod ieiunaret, eleemosinas daret, quod nõ esset vt cæteri peccatores, & qui secum orabat publicanus. Iactabat iste opera & legis obseruationem, præmia sibi necessariò deberi, statuebat: qui tamen sententia Christi, cum ista temeritatis plena fiducia damnatur, exemplumque clarissimum nobis proponitur, fiduciæ & bonorum operum, & fidei

Cal. in instit.

Multum operibus tribuere non caret vicio.

fidei certè vitandæ. Et opus bonum, & fides Dei dona sunt & præmium vtriusque Dei gratia est, nō ex nobis. Quæ si fiduciæ tuæ deberentur, non gratia sed merces essent. Fingis fiduciam, fingis tibi necessariò deberi remissionem peccatorum propter tua opera & fidē, cum neutro horum nomine tibi debeatur; cum mera gratia Dei sit. Nō propterea dat, quia tu fidis, sed quoniam verax esse vult, quia vult iustificari in sermonibus suis. Promisit credenti remissionem peccatorum, promisit præmia operibus bonis, complet quod ꝓmisit: Non quia tu fecisti, non quia fidis, sed quod ille verax sit quod iustificari vult in sermonibus suis. Tu quidē credere debes, quod ille promisit, neq; de promissis veritateque eius dubitare: quia verax est; sed illi tua fiducia vim non affert præstandi: sponte facit, gratis facit, gratis promisit, gratis promissa pręstat. Non quia tu fidis, præstat ꝓmissa, sed tu credere debes: quia ille verax est, qui promisit: & quidem vt accipias credere te ꝓmittendi necesse est: nisi credideris, iniuriam veritati eius

Fiducia vim Deo nō infer.

Deus verax

eius facies, pœnam incrudelitatis mereberis, non tamē fiducia tua causa est præstandi promissa, sed eius mera in te bonitas & misericordia. Remissio peccatorum, & iusticia nostra donū Dei est, quæ datur nobis credentibus: non quia credimus, sed quoniā ille promisit, & promissa sua vt verax cōplet. Nō est volentis neq; currentis, sed Dei miserentis. Tu q credis veritati Dei, curris quidē, & accipere remissionē peccatorū vis, sed illud non est tuū, qui curris: sed eius qui tui miseretur gratia. Quod promisit gratia est: quod tu credis promissioni eius gratia est, efficiens causa remissionis peccatorum & iustificationis nostræ, est gratia Dei & meritum Christi, fides autem tua est adiuuans causa, quæ te aptum reddit, in quo Deus misericordiam suā exerceat, & in quē dona sua effundat. Sed descendamus ad nostra, & exemplis agamus.. Postulas opem ab principe q tibi nihil debeat, q te nec nouerat qdē promisit ille se daturum, credis & certò expectas, neq; dubitas facturū qd promisit, cum scias esse virum bonū.

Et donum et promissio gratia Dei sunt.

Exemplis agitur.

Non

Non fides tua hæc causa est, vt tibi ꝓmissa princeps præstet: sed eius liberalitas, Non quia tu illi promittenti credidisti, sed quoniam ille & tui misertꝰ petētis, & quod promisit præstare vult verax qui & esse & videri cupit, quæ ꝓmisit largitur. nam nisi ille vellet, non promitteret, non daret etiam si tu fiducias mille illi tuas opponeres, nam tua fiducia nullam illi vim afferre, neque illum obligare ad præstandum potest, sed obligat eum promissio, quam fallere non vult. Promisit quoniam voluit, præstat quoniam vult, gratia eius totum est, quod facit, non fiduciæ tuæ debentur: tu quidem quod viro bono credas, officium tuum facis, quod nisi faceres, iniuria eum afficeres, cuius fidem in dubium vocares. Quid igitur? quod tu credis, aptum & idoneum te gratia Dei reddis: quod ille facit non tua fides extorquet, non tua fides efficit, sed eius gratia & misericordia vltrò promittit, fidem tibi dat, vltrò etiam promissa complet, tua fiducia nihil extorquente. Quare iactantiam istam & fidei & bonorum operum, ex-

emplo

emplo etiam Pharisęi, qui à CHristo non probatur, vitandam esse dicimus: q cum ille sibi multum tribueret, nō multum illi Christ⁹ tribuit, nihil fiducia illa Pharisęi à Christo vt debitum extorquere potuit. At publicanus credit quidem & sperat, quod petit se impetraturum, non dubitat de misericordia Dei, non desperat veniam peccatorum suorum, nam propterea & in templum venit, & orat vna cum Pharisęo: metuit tamen cogitans peccatū suum, non audet attollere oculos, sed demisso in terram vultu, percutiens pectus suum ait; Deus propitius esto mihi peccatori. Non opponit fiduciā Deo, non flagitat debitam mercedē, pauidus orat, peccatum suum ac seipsum cum eo dānat, & nihil aliud quā misericordiam Dei intuetur, seipsum intuens metuit, nec audet in cœlū os tollere. Et Pharisęo fiducia obfuit, & huic timor & tremor profuit; iustior hic peccatorū suorum accusator, & solius misericordiæ Dei memor discedit è templo illo, quam Pharisęus virtutum suarum iactator. Pharisęum fidu-

Luc. 18.

Publicanus quid speret quid metuat.

cia damnat publicanum metus commendat, inter spem veniæ peccatorū & misericordiæ Dei, & metum peccatorum suorum & iustitiæ Dei positus erat. Publicanus: nec præsumere voluit, nec fiduciam iactare, nec veniā desperauit, medio tutus abijt, cū Pharisæus cum sua fiducia damnaretur. Bene igitur monent, qui in hac doctrina, duo cauere monent: Primum vt pauidis conscientijs occurratur vt misericordiæ Dei spes eis demonstretur, ne in desperationem fracti metu incidāt: Deinde ne timor Dei excutiatur, securitasque bene operandi remittatur, inter spem misericordiæ Dei, & metum iusticiæ eius incedere, & idē facere qđ publicanus fecit, nos docent. Iusticiæ Dei ob peccatum admissum metus & spes misericordiæ eius afferri ad orationē debet, desperatio & præsumptio vt extrema vicia vitanda. Inter spem & metum cursus tutior est. Quem cursum dum publicanus tenet, ad iusticiam peruenit. Et spes quidem tota dependet à misericordia Dei, certitudoque eius inde haurienda credendum

Fiducia Pharisæum damnat

Duo cauēda.

dum est Deũ esse verum, immo ipsam veritatẽ. Promisit ille pœnitenti misericordiam & peccatorum remissionẽ, nos credere & firma spe hoc totũ expectare promissum, nihilque ex parte Dei immutari posse debemus. Verax est, & iustus in suis promissionibus sẽper inuenitur. Primũ igitur cogitationem nostrã ad eius misericordiam & bonitatẽ veritatemq; referre debem⁹, *Psal. 88.*
nihilq; ex ea parte, nõ nisi certũ & indubitatũ expectare. At cum mens nostra ad peccata patrata à nobis, se referet: cũ iustũ iudiciũ Dei cogitat: metuere nos necesse est, non sola .n. misericordia Deũ præcedit, verũ & iusticia. Misericordia, veritas & iudiciũ p̄cedẽt, inquit Dauid, vultũ eius: Verumtamẽ cũ nos iustũ iudiciũ eius terruerit, cũ peccatorũ facies tetra nobis occurrerit, misericordiæ Dei cogitatiõe & spe certa nos consolari, & animum pauẽtem erigere debem⁹ maiorẽ misericordiã eius q̃ peccatũ nostrũ esse nõ dubitãtes, nihil tamen de misericordia eius temerè nobis pollicẽtes, sed tũ demũ

illi in nobis locum esse constituentes, cũ per veram pœnitentiã ad se redieri-mus, cũ peccatũ detestati fuerimus, no-uã vitã polliceamur. Et quanq̃ sciamus Dei promissa vera, & misericordiã ei' ineffabilẽ, tamen cogitatione nostræ infirmitatis sine timore esse non pote rimus; & quanq̃ certitudo gratiæ Dei nobis occurrat, quanq̃ nobis cũ Paulo nihil conscij fuerimus, nõ tamen nos iustos & liberos pronunciare debem', sed potius dicere, serui inutiles sum'; nõ tamen propterea iustificatus sum, inqt Paulus. Qui cum & ꝓmissorũ cer tus esset, & sibi nihil conscius fuerit, ta men negat se iustũ esse; possunt enim latere aliquã, quæ nos non cernamus in nobis: aut cernim' quidẽ peccatum tamen esse non iudicam', q̃ Deus non probet, & ꝓpter quæ quod ꝓ miserit, immutet. Multa promisit Israeli suo, non oĩa præstitit; quod illi pactum suũ & fœdera nõ seruassent, ꝙ à præceptis suis discessissent. Potest enim homo a-liquid pro sua infirmitate admittere, quod eo nõ sentiente Deum offendat. Quod Dauid metuens, ait: Delicta qs intel-

Infirmitatis nostræ cogitatio metum adfert.

Luc. 17.

1. Cor. 4.

intelligit, ab occultis meis munda me Domine. Non ſolum ea quæ ipſe in ſe damnaret, ignoſci ſibi vult, ſed etiam ea, quæ ille non ſentiret peccata eſſe, quæ occulta eſſent, quæ tamen Deus quem nihil latet, cui nihil fucum facere poteſt, agnoſceret, donari ſibi poſtulat. Et quanquam is eſſet Dauid, cui dominus iureiurando gratiam ſuam æternã promitteret, metuit tamē ſecur⁹ non eſt, deprecatur occulta peccata, quæ ipſi ignota eſſent. Nō dubitat de gratia Dei, deq; eius ꝓmiſſis, ſed de ſe ipſo dubitat, ne q̄d tale quod offēdat Deū à ſe nō ſentiēte etiã comitatur: sē ꝑ enim infirmitas noſtra nobis occurrere debet. Non ſolum miſericordiam Dei & promiſſiones ſuas intueri, verū etiam infirmitatem noſtram debem⁹. Credidit Abraham Deo, & iuſtus reputatus, amicus Dei vocatus, filium etiã offert, certò credens eum mortuum excitari, & iterum vitæ & ſibi reſtitui poſſe diuina potentia: audit vocem illam. Noli timere Abraham, quoniam ego tecum ſum. Scit ſecum eſſe DEVM vbique: tamen deſcendens in Ae-

Pſal. 18.

Peccata occulta.

Rom. 4.

Gen 15

Abraham certus de promiſſis Dei, metuit tamen ex parte ſua.

giptum metuit: vxorem monet, vt ſe
ſuam ſororem eſſe dicat:ne propter eã
occidatur.Non diſſidit promiſſis Dei
Abrahã,cuius fides tantum cõmenda-
tur,ſed cogitat infirmitatem ſuã, me-
tuit ne quid admittat vel nõ ſentiens,
quo ſtudiũ diuinũ à ſe alienet, ne me-
rito ſuo puniatur, ac Dei præſidio de-
ſtituatur. Hoc idem metuebat Iſaac,
Gen. 26. cum deſcenderet ad Abimelech re-
gem,eodem cõmento vſus. Non qđ
Deum ſecum eſſe dubitaret, nõ quod
& ſibi & patri ſuo præſidium promiſ-
ſum in dubium vocaret, ſed ſuam in-
firmitatem metuit, ne quid commit-
tat,quo Deus adferendum illi præſidi
um,retardetur Hoc idem Iacobus fe-
cit,qui cum iuſtus eſſet ad patrem re-
dire, ſecuritaſque illi reditus promit-
teretur:cum tamen accipiſſet Eſau ſi-
bi occurrere, et ſi amicè ab eius nun-
cijs ſalutaretur,pacemq́ue oblatam ſi-
Iacob cur metuit. bi audiret,tamen extimuit: non quod
DEO non fideret, qui ſe reuocauit,
ſed veritus ne vel ipſe, vel eius comites
imprudentes etiam Deum offende-
rent,pactumq́; ſuum cũ Deo violarẽt.
Nun-

Nunquam tanti viri, & qui cum Deo ore in os loquebantur, ſine metu fuerunt, nō Dei promiſſis diffidentes, ſed ſuam infirmitatem cogitantes: quorū nos exempla imitari, & cum timore & tremore ſalutem noſtram operari, remiſſa nouis Euangelicis ſua fiducia debemus.

Hominem renatum non debere certò ſe credere eſſe prædeſtinatum.

CAP. XLVIII.

SEd neque ſolam fiduciam Tridentinum Concilium damnat, ſed etiam neque illos probat, qui quod vocati eſſent, ſe in numero prædeſtinatorum eſſe certò ſibi perſuadent, ac ſemel iuſtum pronunciatum peccare non poſſe aſſerunt. Quem errorem olim D. Auguſtinus & cæteri patres grauiter oppugnarunt, neque volebant eam ſecuritatem in animis ſuorum relinquere quam pernicioſam eſſe illis viderent Quis enim, inquit Auguſtinus, ex multitudine fidelium, quādiu in hac mortalitate viuit; in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt

in hoc loco vbi sic cauēda est elatio, vt etiā p Sathanę angelū ne extollatur, tā t⁹ colaphizatur Apost. Si mā́seritis in me, inqt Christ⁹, sciebat ille an māsuri essent; quid igitur dicit si manseritis qa sciebat & si omnes essent vocati à se nō oēs ad vitam prædestinatos esse. Nā Iudas & si vocatus esset, filius tamen perditionis factus, quoniā in sua vocatione non mansit in Christo: Ita & cæteri nisi mansissent in Christo, nihil vocatio illa eis profuisset. Si igitur, inquit, manseritis in me, vitam æternam possidebitis, Conditionem illis fert, et potestatem eos habere, & manendi in se & discedendi ostendit. Sunt igitur multi, qui & si vocati sint, non manēt tamen in CHRISTO: qui autē in eo non manent, prædestinati ad vitam non sunt. Multa inquit August. similia

Ioan. 15. his dicuntur propter vtilitatem huius seculi, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiā qui bene currunt timeant, dū occultum est quo perueniāt, propter huius vtilitatē seculi. Credendum est quosdam de filijs perditionis, non accepto dono perseuerandi vsque in finē

in fi-

in fide, quæ per dilectionē operatur, incipere viuere, & aliquandiu iustè & fideliter viuere, & posteà cadere, neq; de hac vita priusq̃ hoc eis accidat discedere. Incerta est apud nos prædestinatio vitæ, donec in ijs periculis versamur, nihil nobis certi polliceri possumꝰ, quamuis apud eum qui nos fecit, certa sit & prædestinatio & ruina omniū, inde accidit, vt multos post multos susceptos labores, & multa exercitia pietatis, coruere videamus, ac vitā ad quam vocati erant, amittere. Multi sunt, qui cū piè vixissent, ad supplicia adducti, Christum negarunt; Cur ita? quoniā etsi vocati fuerint, non tamen ad vitam prædestinati. Vocatus erat ille in nuptias, epulabatur cum cæteris, quē rex ingressus, quod vestem nuptijs suis aptam non haberet, non solum è nuptijs abire, verū etiam ligatū, in tenebras exteriores mitti mandauit. Vocatæ erant ad nuptias sponsi virgines, fatuæ vna cū prudentibus, exire cōtendebant sponso obuiā, totā noctē morantem expectabant, fidem habebāt, quæ tamen nuptijs exclusæ audiunt;

Aug. ad articulos sibi falso impositos artic. 12.

Matt. 22.

Matt. 25.

amen dico vobis nescio vos. Vocatus
Act.6. erat & renatus Nicolaus Antiochen⁹,
iustè & fideliter vixit, inter septem Diaconos boni testimonij numeratus; qui quod non esset ad vitam præordinatus, grauissimè & ipse corruit, ac alios casu suo euertit, princepsque hæreticorum qui ab eo Nicolaitæ vocantur, factus. Non solum corruit, sed & illi quos in fide naufragium fecisse cap-
1.Tim.1. tos diuitiarū splendore, Paul⁹ scribit: Quemadmodū & illæ viduæ, quæ prima fide deserta, nubere vellent, quæ semper discerent, & nunquam ad veritatis cognitionem peruenirent. Scri-
1.Ioan.2. bit Ioannes, multos è nobis exiuisse, qui tamen ex nobis non erant; Nam si ex nobis, inquit IOANNES, essent, nunquam à nobis discessissent: Erant
Matt.7. vocati, sed non erant electi. Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cœlorum. Omnes qui dicunt Domine domine, renati sunt, vocationis CHRISTI participes sunt, sed non omnes prædestinati ad vitam: illi soli qui & dicunt Domine domine, & faciunt voluntatē

eius

eius, prædestinati sunt. Qui igitur prædestinati sunt ad vitã, nemo certò sciri potest, nemo certò sibi hoc pollicere debet, occulta & arcana sunt consilia scientiæ & sapientiæ Dei, q̃ inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ ei⁹, inquit Apost; Et paulo post: Solus Deus scit, qui sunt eius: Et quidẽ hoc dixit, cũ de arcanis illis Dei de vocatione gentium, & reprobato Israel dissereret. Cuius iudicij diuini cum causas comprhendere non posset, altitudinem diuitiarũ scientię & sapientia Dei excusauit, docens nos in arcana Dei inquirere nõ debere, sed nos potius iudicio eius submittere, & in quantũ possum⁹, vt piè viuam⁹, cõtendere, omnesq́; hoẽs ad bonũ op⁹ operandũ exhortari, ac orantes illud dicere: fiat voluntas tua. Neque fiducia nostra neque consilijs vllis nostris, iudicium de nobis eius, decretumq́; immutare & gratiam prædestinationis indebitam prerogare nobis possum⁹. Clarissimũ nobis exẽplum sacra historia ab oculos ponit, dũ narrat omnes Iudeos ex AEgipto euocatos, omnes mare trãsisse,
nes

Rom. 11.

Arcana Dei nõ inquirẽda

Math. 6.

legẽ à Deo p̱ Moyſen accepiſſe, & currere rectè cœpiſſe, non tamẽ oẽs quò ducebantur perueniſſe; non oẽs terrã illã Abrahæ & ſemini ſuo promiſsã ingredi potuiſſe, plurimos in deſerto perijſſe, q̃ ſcripta, ad noſtrã doctrinã ſcripta eſſe docet Apoſt. Nos in patriã cæleſtẽ, ex ægipto mũdi & vinculis Sathanæ euocamur, nos ducimur vt ante diximus, non oẽs tamen in regnũ Dei venimus: & quãuis rectè curram⁹, nihil tamen certi nobis ꝓmittere debem⁹. Sunt alij ꝗ malè currunt, ꝗ peruersè viuunt, ꝗ tamen in vitã æternã, cõmutata vita ingrediuntur. Meretrix erat Rab & idolis dedita, particeps tamẽ ꝓmiſſionis Abrahæ facta. Factus & letro, facta & Ruth ei⁹ promiſſionis cõſortes, à qua ſemẽ Abrahæ excuſsũ eſt. Sed de prædeſtinatione ſatis: de perſeuerantiæ dono pauca addenda.

Exod. 16. Num 11. Rom. 15. Ioſue. 6. Exod. 18. Ruth 4.

Donum perſeuerantiæ neminem temerè ſibi promittere debere.

CAP. XLVIIII.

Donũ perſeperſeuerantiæ incertum

CVius item certitudinẽ idẽ Concilũ Tridentinũ damnat, monetq; ne quis eã ſibi temerè promittat, cum

nemo

nemo perseuerare in sua vocatione, & vitæ nouitate sine diuino munere persistere queat, nec de ea cert⁹ esse possit, nisi singulari dono Dei datũ, & releuatũ fuerit. Certũ q̃dẽ est, neminẽ saluũ fore, nisi q̃ perseuerauerit vsq; in finẽ, cũ saluator noster dicat. Qui perseuerauerit vsq; in finem saluus erit, & exempla ea quæ retulimus de lapsis testãtur; tamen vt perseueremus nõ est nostrarũ viriũ, nisi Dei ope iuuemur. Nihil igitur hic temerè arrogandum: cũ tremore & timore salutẽ nostram nos Paulus operari præcipit, monet vt qui se stare putat, caueat ne corruat. Quid igitur? Ad eũ qui nos fecit, qui vocauit qui erigit, & volentes ducit confugiẽdũ, ab eo vires cursus nostri petendæ, illũ inuocemus; ad illũ clamandum & & dicendũ, Domine salua nos quia perimus: Domine deduc me in semitam mandatorum tuorũ. Vias tuas demõstra mihi, & semitas tuas doce me, viã iniquitatis amoue à me. Vt aũt nobis præstò sit, ea oĩa quæ præcipit, facere contendamus oportet. Pulsemus vt aperiatur nobis, petamus vt nobis detur,

Matt. 10.
Philip. 2.
Matt. 8.
Deus ductor
Psal. 118.
Psal. 24.
Psal. 118.
Luc. 11.

tur, lãpades noſtræ oleo implendæ, ne extincta lucerna noſtra in nobis corruam⁹. Sine me inquit Chriſt⁹, nihil facere poteſtis. Huic ergo sẽp hęrendũ, huius ſubſidia implorãda, in hoc ſpes omnis fingẽda, nihil temerè & arrogãtius de nobis ꝓmittẽdũ. Quos ille nouit ſuos nũq̃ eis deeſt, nũq̃ nõ p̃ſto eſt. Deſcẽdit in carcerẽ cũ Ioſeph, cũ Daniele in lacũ leonũ, cũ tribus pueris in caminum ignis, nuſq̃ ſuos deſerit, quos ſuos eſſe nouit. nihil tamẽ temere ꝓptereà ꝓmittendũ. Non ſolũ vocatus erat Petrus & cæteri Apoſtoli, verũ etiã p̃deſtinatus: Multa illi pollicebãtur, morituros ſe cũ Chriſto & ꝑ Chriſto minabãtur, ac ipſi Chriſto ſcandalũ eos paſſuros, ea qua tradebatur nocte, denũcianti, verbis obſtrepebãt, q tamen mox grauiter corruerũt, Chriſto abnegato fugerũt, in latebras ſe coniecerunt, ac ne vna hora in horto cũ Chriſto vigilare potuerunt. Monet nos grauis ille caſus Petri & aliorũ Apoſtolorũ ne temerè virib⁹ noſtris fidam⁹, ne pſeuerãtiæ donũ nobis arrogem⁹. Niſi Chriſt⁹ Petrũ ſe negantẽ reſpexiſſet, niſi ruẽti ma-

Marginal notes: Ioan. 15. — Gen. 41. Dan. 6. — Caſus Apoſtolorum monet ne temerè perſeuerãtiã iactemus. Matt. 26. — Luc. 22.

manũ suæ misericordiæ supposuisset, perierat & à sua vocatione exciderat. Quod totũ ad nostrã doctrinã scriptũ est, ne viribus nostris fidamus.

Gratiam iustificationis, non solum prædestinatis qui ad ad finem perseuerent, sed etiam vocatis contingere.

CAP. L.

ET quoniam sunt, qui omnes, qui euocãtur & iustificationis per fidẽ in Christũ participes fiunt, prædestinatos, vt iam dictũ est, esse volũt, neminẽ q; vocatũ à vita ꝓpter fidẽ excludi cõtendũt. Quod quãuis apertè falsum ex ijs q̃ dicta sunt, deprehendatur; Dicim⁹ tamen & hoc loco cum patribus, non omnes vocatos electos ad vitam esse. Cõmunis est gratia vocationis, cois̃ iustificatio, & vitæ innouatio. Vocati cum prædestinatis omnes viam salutis ingrediuntur, non omnes ad vitam perueniunt, ad quã ducuntur: multi in ipso principio cursus huius ruunt, vt Simon magus: multi in medio, *Act. 8.*
vt Nicola⁹ multi in extremo ipso cur- *Act. 6.*
sus sui puncto corruunt. Omnes vo- *Matt. 22.*
cantur, non omnes eligũtur: multi in


lapi-

Luc. 2. lapidem offenſionis impingunt. Poſi-
1. Ioan 2. tus eſt Chriſtus alijs in ruinam, alijs
Matt. 25. in reſurrectionē. Exeunt ex nobis qui
ex nobis non ſunt: ſecernuntur hædi
ab agnis. Quod quoniam iam ſatis de
monſtratum eſt mitto, ac de iuſtifica-
tione noſtra cuius finis eſt, gloria
Dei & Chriſti, & vita æterna
noſtra ſcribendi finem
facio.

FINIS







ſumus Dómi-
li tui N. pro
immolámus,

Secreta.

MVnera, quæſumus Dómine
quæ tibi pro ánima fámul
tui N. offérimus, placátus in[illegible]de

